BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVI
B
2
NAPOLI

Digitized by Google

JOHANNIS BAPTISTÆ THIERS,

CARNOTENSIS, BACCALAVREI Theologi Pariſienſis, & Camporotundenſis Eccleſiæ Parœci,

De Stola in Archidiaconorum Viſitationibus geſtanda à Parœcis,

DISCEPTATIO,

In quâ multa ad Archidiaconorum munus, juriſdictionem ac Viſitationes attinentia curioſè pertractantur.

Preſbyteri non vadant niſi Stola vel Orario induti.
Concilium Triburienſe cap. 26. apud Ivonem Carnot. part. 10. Decreti, cap. 139.

PARISIIS,
Apud JOHANNEM Du Puis in vico San-Jacobæo, ad Coronam auream.

M. DC. LXXIV.
Cum Privilegio & Approbatione.

B. R. NEAPOL.

PEr Stolam quid aliud quàm Sacerdotii declarantur inſignia? *Concilium Roman. 7. in Epiſt. Nicolai 1. ad univerſos Galliæ Epiſcopos.*

Dictum eſt Orarium, quia quamvis ſine aliis indumentis ſacerdotibus baptizare, conſignare, & alia plura orando facere liceat, ſine Orario tamen, niſi magna neceſſitate cogente, nihil horum facere licet. *Guillelmus Durandus ex Decano Carnotenſi Epiſcopus Mimatenſis, in lib. 3. Rationalis divin. Officior. cap. 5. num. 6.*

PRÆFATIO.

DE Stola in Eccleſiarum Viſitationibus geſtanda, Archidiaconos inter & Parœcos jampridem diſceptatur. Hanc ſibi unis deberi putant Archidiaconi; ſibi juxta atque Archidiaconis Parœci. Lis eſt adhuc ſub judice, nec quidquam de ea pronunciatum fuit hactenus, quod, non in univerſa dicam, ſed ne in Gallicana quidem Eccleſia, generalis regulæ loco eſſe poſſit.

Anni jam ferè ſeptem ſunt, cùm de ejuſmodi quæſtione quid ſentirem, etiam atque etiam rogatus ab amicis quibuſdam ſcribere, adduci numquam potui ut eorum precibus obſequerer. Nempe invidioſum eſſe argumentum intelligebam,

quod vix ac ne vix quidem tractari poſſet pro meritis, quin multis Archidiaconis diſpliceret, & maximè Carnotenſibus, quos ſuſpexi ſemper, & quorum nonnullis plurimùm me debere profiteor. Cùm enim Stolæ ita non amici ſolùm, ſed etiam amatores ſint, ut eâ exornatos Parœcos inter viſitandum ſuſtinere non valeant; incommodum atque injucundum ipſis futurum exiſtimabam commentarium, quod Stolam Parœcis eorum in viſitationibus aſſereret. Quid autem inimicorum numerum augere neceſſe eſt, ſibiquè detrimenta ultro arceſſere?

Nihilominus tamen ex quo tempore Archidiaconorum unus Franciſco Arnulpho Camburciacenſi Priori, & Præjecto Cevallerio Orgevallenſi Parœco, litem ea de re intendit, rumpendum ſilentium viri mihi familiares ac neceſſarii ſuaſere, & ad juſtam Parœcorum defenſionem, neglectâ omni invi-

diâ aggrediendam. Ipſorum conſiliis parui tandem aliquando, tum ut periclitanti veritati ſuccurrerem, cùm ne communi cauſæ deeſſem, egregium illud S. Auguſtini in lib. *De dono perſeverantiæ*, cap. 16. monitum ſequutus: *Dicatur verum, maximè ubi aliqua quæſtio ut dicatur impellit, & capiant qui poſſunt; ne fortè cùm taceatur propter eos qui capere non poſſunt, non ſolùm veritate fraudentur, verumetiam falſitate capiantur qui verum capere, quo caveatur falſitas, poſſunt.*

Iſthæc conſcribendæ DISCEPTATIONIS hujus oblata fuit occaſio; in qua quidem Diſceptatione id mihi unicè propoſitum eſt, ut *Stolam in Archidiaconorum Viſitationibus ferendam à Parœcis* commonſtrem. Id autem variis rationibus exequor, quas ex Conciliorum canonibus, decretis Romanorum Pontificum, Synodalibus Diœceſeon Statutis, Miſſalibus ac Ritualibus Eccleſiarum libris, Eccleſiaſticis

Scriptoribus, & ipſis etiam Senatus-conſultis repeto. Et quoniam in una conſuetudine innituntur Archidiaconorum plerique (quo argumento vix ullum ſive ad inveſtigandam, ſive ad adſtruendam veritatem inveniri miſerabilius poteſt) conſuetudinem illam oſtendo neque *Rationabilem* eſſe, neque *legitimè præſcriptam*, qualem in cap. *cùm tanto*, Tit. *De conſuetudine*, poſtulat Gregorius IX. iiſque meritò accenſendam quæ, licèt ſacris canonibus adverſentur, apud Archidiaconos tamen vulgò receptæ ſunt. In pravis autem id genus conſuetudinibus enumerandis, multa ad Archidiaconorum munus, juriſdictionem & Viſitationes attinentia neceſſe habui explicare, quæ Illuſtriſſimis Gallicanæ Eccleſiæ Pontificibus, quorum in auctoritatem ſæpius involant, ingrata ſpero non fuerint.

Si quid porrò in Archidiaconos ſcriptum aſperius, diſputationis ardori, quæſo, condonetur. Nemi-

nem lædere animus fuit. Si fortè quem læſi, præter mentem accidit; quoties & quomodocumque lubuerit paratus emendare. Archidiaconos, ut Parœcis præpoſitos ab Epiſcopis, veneror, colo; Sed veritatem magis veneror, magis colo. Archidiaconorum juriſdictionem in levioribus cauſis agnoſco, in majoribus non agnoſco, quia nec Concilia, nec Jus Canonicum, nec illius interpretes, nec Senatus-conſulta agnoſcunt. Quas contra fas à Parœcis ac Parœciarum Curatoribus exigunt *procurationes*; quam in Eccleſiarum Rectores exercent dominationem; ceteras eorum injurias, nec probare poſſum, nec debeo. *Non accuſamus univerſitatem* (ut cum S. Bernardo loquar in cap. 20. Tractat. De converſione ad Clericos) *Sed nec univerſitatem poſſumus excuſare*. Si mihi propterea iraſcantur, ſi minas intentent, jamdudum me Dei omnipotentis gratia duobus malis ingentibus, ſpe videlicet ac

timore, liberavit, illudque Boëtii diſtichum in lib. 1. *De conſolatione Philoſophiæ.* Metr. 4. mihi ſumo:

Nec ſperes aliquid, nec extimeſcas:
Exarmaveris impotentis iram.

Quia Carnotenſis Cleri negotiis præficiuntur Carnotenſes Archidiaconi quidam, grave nimis (uti jam factum expoſtulavi non ſemel) *extraordinariarum decimarum* onus imponi mihi curabunt forſitan. At ſi quid mearum facultatum, quas ſentio quàm ſint tenues, ea ratione depereat, ſanè pauperibus deperibit, quorum omnia propemodum ſunt quæ mihi Divina benignitas utenda conceſſit. *Nihil* enim *aliud ſunt res Eccleſiæ* (inquit S. Proſper, ſeu potiùs Julianus Pomerius in lib. 2. *de vita contemplativa*, cap. 29.) *niſi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* Verùm meliora de Archidiaconis noſtris ſentire cogit Chriſtiana caritas. Unde futurum confido, ut veterum Archidiaconorum memores, quorum erat eccleſiaſtica

ſiaſtica bona, pauperéſque procurare ſub Epiſcopis, res Eccleſiæ noſtræ ac pauperum laudatiſſimè atque integerrimè adminiſtrent.

PResbyteri ſine intermiſſione utantur Orariis, propter differentiam Sacerdotii dignitatis. *Concilium Moguntinum 1. can. 28. Et lib. 5. Capitularium Karoli M. ac Ludovici Pii, cap. 81.*

DOCTORVM APPROBATIO.

NOS infra ſcripti ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi ac Socij Sorbonici, teſtamur & fidem facimus legiſſe Librum cui titulus, *Diſceptatio de Stola in Archidiaconorum Viſitationibus geſtanda à Parœcis* auctore JOANNE BAPTISTA THIERS, Carnotenſi, Baccalaureo Theologo Pariſienſi, & Camporotundenſis Eccleſiæ Parœco, in quo nihil deprehendimus fidei Catholicæ contrarium. Signatum Pariſiis die trigeſima menſis Januarij, anno Domini 1674.

N. PETITPIED,
Paſtor Eccleſiæ S. Martialis Pariſienſis.

N. LENOIR.

SVMMA PRIVILEGII Regis Chriſtianiſſimi.

LUDOVICUS XIV. Dei gratia Galliarum & Navarræ Rex, Chriſtianiſſimus ſingulari Privilegio ſanxit; nequis per univerſos Regnorum ſuorum fines intra decem annos à die perfectæ primæ editionis computandos imprimat, aut alibi excuſum venalem habeat Librum cui titulus, *Diſceptatio de ſtola in Archidiaconorum Viſitationibus geſtanda à Paræcis* auctore JOANNE BAPTISTA THIERS, Baccalaureo Theologo Pariſienſi, præter Joannem du Puis Bibliopolam Pariſienſem, qui ſecus fecerit Librorum confiſcatione, & pœnis quæ latius in diplomate Regio continentur multabitur. Datum in vico vulgò dicto Verſailles, die octavo menſis Martij, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto.

Signatum de mandato Regis, DALENCE'.

In publicas Bibliopolarum Pariſienſium Societatis Tabulas relatum menſe Septembris 1674.
Signatum THIERRY, *Synd.*

Hæc prima Editio abſoluta fuit die decima Septembris, anno Domini 1674. atque Exemplaria tradita.

JOHANNIS BAPTISTÆ
THIERS
CARNOTENSIS, BACCALAUREI Theologi Pariſienſis, & Comporotundenſis Eccleſiæ Paræci,

DISCEPTATIO
De Stola in Archidiaconorum Viſitationibus geſtanda à Parœcis.

CAPUT I.

Concertatio de Stola in Archidiaconorum Viſitationibus ferenda à parœcis, cùm jam ferè ab annis quinque in gratiam Parœcorum dirempta ſit Senatus-conſulto Pariſienſi, mirum ſanè cur ab Archidiaconis quibuſdam Pariſienſi Senatui ſubjectis non ita pridem fuerit inſtaurata. Quam illi Archidiaconi poſſeſſionem opponunt, pacificam non eſſe oſtenditur.

POST diremptam anno 1669. 3° Kalendas Januarias ſolemni Pariſienſis Senatus Decreto, quæ de Stola in Viſitationibus Eccleſiarum geſtanda, Epiſcopum inter Ambianenſem &

Royenſis Eccleſiæ Decanum, intercedebat controverſia: neminem unquam ex Archidiaconis, Pariſienſi Curiæ obnoxiis, futurum exiſtimabam, qui Parœcis novam de eodem argumento litem auderet intentare. Tribus omnino ut ita ſentirem rationibus adducebar; tùm quòd res judicata eſſet, & judicatæ rei ſua apud omnes ſarta tecta integra debeat eſſe auctoritas; tùm quòd ab eo tempore nonnullos Galliarum noſtrarum Pontifices, atque inter alios Illuſtriſſimum Felicem Vialartium, Catalaunenſem Epiſcopum, certò ſcirem, ſuarum Diœceſeon Parœcis Stolam in Viſitationibus ferendi facultatem impertitos; tùm denique quòd illa concertatio mihi attentiùs cogitanti videretur vani cujuſdam honoris fœtus, recens ab ambitioſis quibuſdam Archidiaconis inventus, prioribus ſæculis incognitus, & reipſa ridiculus, quandoquidem Stola Diaconi cujuſlibet & Sacerdotis, aliquod munus Eccleſiaſticum obeuntis, ornamentum eſt ac inſigne.

Nihilominus tamen hodie quoque inveniuntur Archidiaconi, qui nec Pariſienſis Curiæ (quamvis intra ipſius limites poſiti ſint) judicio ſtare velint, nec ſapientiſſimorum quorumdam Epiſcoporum veſtigiis inhærere, nec ridiculâ illâ vani honoris contentione ſe abdicare. Quo fundamento conſtituta ſit eorum cauſa non video, niſi caducæ cujuſdam ac fragilis poſſeſſionis, quam objectant om-

nibus, & quâ ſe à præfato Pariſienſi Senatus-Conſulto minimè dejectos ac deturbatos opinantur.

At quàm ruinoſum, quámque malè materiatum ſit id genus fundamentum, facilè intelligitur. Cujus enim ponderis apud æquos rerum æſtimatores eſſe poſſit illa poſſeſſio, quâ liberè & quietè uti non licet? Et verò Archidiaconos unos & ſolos liberè ſemper & quietè Stolam in Viſitationibus ſuis non induiſſe quis ignorat, ex quo præſertim tempore ſibi unis induendam illam imaginati ſunt? Parœci, fateor, maximam partem non contradixere. Sed vel negotii gravitatem non ſatis perſpicientes; vel *Canes muti non valentes latrare*; vel *Paſtores & idola*; vel aliquo crimine notati atque ideo ſibi metuentes; vel ſuæ dignitatis parum memores; vel rei familiaris inopia laborantes; vel pacis amantes plus æquo; vel amicitia cum Archidiaconis conjuncti; vel Sacerdotiis ab iis donati; vel eorum minis, curribus & equis, atque etiam clamoſis, violentis ac turbulentis Promotoribus, quales aliquando vidimus in viſitationibus, perterriti; vel denique (ut vero ſimilius videtur) quia officioſo illo urbanitatis obſequio Archidiaconos dignari ſponte ac liberaliter voluerunt. Variis autem temporibus & locis contradixere eorum plerique qui Canones ſacros & Eccleſiaſticos ritus habuerunt in numerato, & muneris auctoritatiſque ſuæ ſtudioſi extiterunt,

ubi id quaſi ex neceſſitate ſumma, non verò ex gratuita humanitate ab Archidiaconis flagitari ſenſerunt.

Exempla ſunt hujuſce rei plurima, tum domeſtica, cùm extraria. Primum ſanè locum habere poſſunt inter extraria diuturnæ ac pertinaces controverſiæ Adriani Behotti Rotomagenſis Eccleſiæ Archidiaconi Majoris, cum Parœcis quibuſdam Rotomagenſibus, nimirum Martino Meſengo, Sahurſienſi, Nicolao Dehorſio, S. Petri Honorati, Renato Dehorſio, S. Laurentii Rotomagenſis, & Ægidio Theodorico, S. Leodegarii Bordeniacenſis: quæ diu multa tribunalia implevere, & ex quibus varia tum Vices-gerentis (ut aiunt) Officialis Rotomagenſis, tum Rotomagenſis Senatus, tun poſtremò Conſilii ſanctioris Decreta, in quarto *Collectionis generalis rerum Cleri Gallicani* volumine recenſita. Multa s profectò atq; obſtinatiores fuiſſe has lites inde colligitur, quòd in iis perſequendis decem monetæ Gallicæ nummorum millia conſumpſiſſe Behottus memoretur. Accedunt hiscontroverſiis & illæ quas Parœcis quibuſdam circa Belliſmum commorantibus, maximè autem Franciſco Viverio S. Germani Oriniacenſis Rectori intulit Nicolaus Regnotus Belliſmenſis in Eccleſia Sagienſi Archidiaconus, quáſque homo cauſæ ſuæ diffidens ac deſperans, ad exitum non audet perducere. Neque omittendæ ſunt altercationes quas S. Nicolai Bau-

genciaci Prior in diœceſi Aurelianenſi, cum ſuo Archidiacono ſingulis Viſitationibus habere conſuevit; ſicut nec quæ Magnetium inter Vulcaſſini Franciæ in Eccleſia Rotomagenſi Archidiaconum & cl. v. Petrum Richardum, Triellenſem Parœcum, interceſſere, quæque citra ſanguinis effuſionem non ſunt finitæ.

Domeſtica exempla nomino, quæ à Carnotenſis Eccleſiæ Archidiaconis repetuntur. Vix unus & alter eorum à ſexaginta & amplius annis exſtitit, cujus in Viſitationibus reperti non ſint Parœci quidam Stolis ſuis inſigniti. Id factum æquo animo tulerunt alii Archidiaconi; alii neglexerunt; diſſimulaverunt alii, quorum è numero fuerunt Archidiaconi Carnotenſes duo, Franciſcus Chaudetus Lazenæus, Major, & Johannes Edelinus, Piſciacenſis; alii injuriam putantes muneri ſuo illatam, judicio ulciſci conati ſunt litigioſi homines; longè ſecus alii; nonnullos denique ſcimus, quorum memoriæ parcimus & nomini, eo violentiæ deveniſſe, ut in ipſo ædis ſacræ meditullio, Eccleſiaſticis ipſi veſtibus & Stola induti, in quorumdam Parœcorum jugulum involarint, Stolas ipſis, quas è collo ſuſpenſas habebant, detracturi.

Quid in Bleſenſi Archidiaconatu evenerit, notum pleriſque eſt; Nempe coram Archidiaconis Bleſenſibus Fr. Thomam Ravenellum, Eremitam Auguſtinianum, & Theologum Pariſienſem, ac Merienſis Eccleſiæ paſtorem,

D. Blanchetum S. Solennis Priorem, Vincentium Doledonium S. Gervaſii Parœcum, & Petrum Fenellum Parœcialis Eccleſiæ S. Dionyſii Rectorem, Stolatos eorum in Viſitationibus ſtetiſſe: Ravenellum quidem an. ferè 1631. Doledonium verò an. circiter 1653. & Fenellum denique an. 1671. Idem fecit in Archidiaconatu Dunenſi Petrus Brito Capellæ Regiæ Parœcus ab Archidiacono Bleſenſi Viſitatus, annis ab hinc circiter duobus, illuſtriſſimi Carnutum Epiſcopi nomine.

Compertum etiam pleriſque eſt in Archidiaconatu Piſciacenſi, anno 1657. ſeptem Piſciacenſis Eccleſiæ Parœcos in Philippi Marii Piſciacenſis Archidiaconi Viſitatione Stolam geſtaſſe. Qua de re cùm ſupplice libello apud libellorum ſupplicum in Palatio Pariſienſi Judices conqueſtus eſſet Marius die 31. Decembris ejuſdem anni, alio ſupplice libello die 16. Aprilis an. 1658. denuntiato, apud eoſdem Judices expoſtularunt Piſciacenſes Parœci ſeptem, ſe in qua verſabantur, Stolæ in Archidiaconorum Viſitationibus ferendæ poſſeſſione à Mario perturbari, aſſeverantes [a]. Unde natum die Julii 23. an. 1660. Judicium, quo Piſciacenſes Parœci (quia ſe tueri neglexerunt,

a *Les ſept Curez de Poiſſy concluent* afin d'eſtre maintenus & gardez en la poſſeſſion & joüiſſance d'eſtre reveſtus de l'Eſtole, lorſque *ledit Lemaire Archidiacre de Pinſerais* fera ſa viſite dans l'Egliſe de Poiſſy; & que deffenſes luy ſeront faites de les troubler au droit & poſſeſſion en laquelle ils ſont. *Requeſte des ſept Curez de Poiſſy, ſignifiée le 16. Avril 1658.*

& eorum plerique Marii pollicitationibus victi, vel ipſius minis ſunt terrefacti) ſuâ querimoniâ depelluntur, & quo tamen de Stola in Archidiaconorum Viſitationibus geſtanda, vel non geſtanda à Parœcis, nihil ſtatuitur [b]. In eodem denique Archidiaconatu Piſciacenſi an. 1657. Præjectus Cevallerius S. Petri Orgevallenſis Parœcus, ejuſdem Marii Archidiaconi Viſitationi Stolatus interfuit; atque id graviter ferenti Mario, *ſe ita poſſidere* reſpondit, quemadmodum teſtatur publicum inſtrumentum ea de re ſcriptum à Carolo Pigeonio libellione Orgevallenſi, die 23. Octobris anni præfati 1657. horâ poſt meridiem quintâ. Orgevallenſis tamen Dominæ victus precibus Cevallerius, Stolam abjecit, eâ lege ut in poſterum nihil inde detrimenti caperet jus portandæ in Archiadiaconorum Viſitationibus Stolæ, quo gaudebat. Quæ quidem omnia non quietæ ac tranquillæ, ſed agitatæ potiùs ac fluctuantis poſſeſſionis manifeſta ſunt argumenta.

Idcirco unis Archidiaconis geſtandam in Viſitationibus Stolam Parœci jam à longo tempore ſi tradiderunt, non ex debito ac neceſſitudine, ſed ex pura puta urbanitate tradiderunt; quemadmodum unis Parœcis, aut

b La Cour parties oüies en la Chambre a debouté & deboute les parties de Dangeois (*ſçavoir les 7. Curez de Poiſſy*) de leur complainte, les condamne aux dépens, & ne pourront les qualitez prejudicier. *Sentence des Requeſtes du Palais du 23. Iuillet 1660.*

Sacerdotibus extraneis Stolam in Eccleſiis noſtris induendam vulgò concedimus; non quòd eum ipſis neceſſariè honorem deferamus, ſed quòd ita cum ipſis benignè & comiter agendum eſſe exiſtimemus. Quo modo probabile admodum eſt unis olim Archidiaconis Viſitantibus conceſſam Stolam; neque ullam ex ea quoque cum ipſis geſtanda Parœcos litem moviſſe, quàm ubi ipſos in ea eſſe opinatione intellexerunt, ut ſibi unis id licere profiterentur.

Sed fac Archidiaconos pacificè jus illud jam à multis annis poſſediſſe: quid tanti eſt? Cùm illos pateat laudato ſuprà Pariſienſis Curiæ placito de ejuſmodi poſſeſſione pulſos fuiſſe ac remotos. Par enim eorum hac in re cauſa eſt & ratio cum Royenſis Eccleſiæ Decano & Canonicis. Quid enim illi? Deponi à Parœcis Stolam in Viſitationibus ſuis poſtulant, ſéque in ea ſemper poſſeſſione fuiſſe aſſeveranter pronunciant. Hoc ipſum etiam eſt quod à Royenſibus Parœcis poſtulabat, quodque aſſeveranter pronunciabat Royenſis Eccleſiæ Decanus, ut Acta excommunicationis in ipſum ab Epiſcopo Ambianenſi latæ fidem faciunt [a]. Et nihilominus tamen Pariſienſis Senatus Stolam Royenſibus Parœcis coram Decano &

[a] A reconnu ledit Sieur Doyen *de Roye* que les Curez de la dependance du Chapitre *de Roye* quitent l'Eſtole quand ils ſont viſitez par lui; Mais a dit que tel eſtoit l'uſage non conteſté. *Procez verbal d'excommunication fulminée par Mr l'Eveſque d'Amiens, contre Mr le Doyen de Roye, le 27. Ianvier 1669.*

Capitulo Royenſi ſuis in Viſitationibus ferendam conſtituit [b]. Ergo cùm hoc ſtatuto irrita & inanis facta fuerit Decani & Capituli Royenſis poſſeſſio, caſſa quoque & nulla ſit poſſeſſio neceſſe eſt, quam Archidiaconi noſtri tantopere prædicant.

CAPUT II.

Quam Archidiaconi proferunt conſuetudinem, nullo numero habuit Pariſienſis Senatus, fruſtra longævam illam tradunt, & eo nomine in cauſa ſua patrocinium opponunt, cùm neque pacifica *ſit neque rationabilis, ſed* corruptela *potiùs &* abuſus, *idcóque penitus abroganda.*

SEd ea eſt (inquiunt) Diœceſis noſtræ conſuetudo, uſúſque longævus, cui incorruptè inviolatéque ſtandum arbitramur, *cùm conſuetudinis* (ut in cap. eodem, Tit. *de Conſuetudine* legitur) *uſúſque longævi non ſit levis auctoritas, & plerumque diſcordiam pariant novitates.*

Hæc ſacra Archidiaconorum anchora. Unde in cauſa Philippi Marii Piſciacenſis in Car-

[b] La Cour a dit que le Doyen de Roye pourra porter l'Eſtole en preſence de l'Eveſque d'Amiens, dans les viſites & autres ceremonies; comme auſſi les Curez de la ville de Roye, en preſence du Doyen & du Chapitre de Roye, dans ſes viſites. *Arreſt du Parlement de Paris, du 30. Decembre 1669.*

notenſi Eccleſia Archidiaconi, & Franciſci Arnulphi Camburciacenſis Prioris, ac Præjecti Cevallerii Orgevallenſis Parœci, alii quinque Carnotenſis Eccleſiæ Archidiaconi, apud Juridicum Carnotenſis Epiſcopi Vicarium, ſcripto conteſtati ſunt [c], *ſuis ipſorum Viſitationibus numquam Stolatos interfuiſſe Parœcos, & eam eſſe totius Carnotenſis Diœceſis conſuetudinem*. Verùm ô præclaros & fide digniſſimos in ſua cauſa teſtes, quos omnium Gentium & omnium regnorum jura repudiant! Eorum unus, dum ejuſmodi teſtimonium perhibuit, non meminerat profectò coram viſitante ſe Stolas induiſſe Petrum Fenellum, S. Dionyſii, & Petrum Britonem, Capellæ Regiæ, Parœcos. Hoc memoriæ, potiùs quàm animi aut fidei vitio adſcribendum. Ad rem revertor. Equidem ego non infitias iverim Archidiaconos totis enixos viribus ut conſuetudinem illam (quemadmodum appellant) in ſuæ juriſdictionis Eccleſias inveherent.

c Nous ſous-ſignez Grand-Archidiacre, Archidiacre de Dunois, Archidiacre de Blois, & Archidiacre de Vendoſme en l'Egliſe Noſtre-Dame de Chartres : certifions à tous qu'il appartiendra, qu'en toutes les Viſites que nous avons faites depuis le temps que nous ſommes Archidiacres, nous avons eſté receus à l'entrée des Egliſes par les Curez de chacune Paroiſſe; que les Curez en nous recevant nous ont preſenté l'Eſtole, & ne l'ont point portée pendant la viſite; & que de tout temps tel a eſté l'uſage en tout le Dioceſe, que les Curez ne portent point l'Eſtole en noſtre preſence faiſant nos viſites, en foy dequoy nous avons ſigné le preſent Certificat l'an 16-2 *le* 17 jour de Juillet.

Robert Grand Archidiacre. Le Maire Archidiacre de Dunois. I. Fr. de Brizay Archidiacre de Blois. De la Rue Archidiacre de Dreux. De Leris Archidiacre de Vendoſme.

Sed (uti jam antea mihi animadverſum eſt) varii variis temporibus & locis obſtitere Parœci, corruptelam potuis cenſentes, quàm veram legitimámque conſuetudinem; non ſatis integræ fidei præterea poſtulantes Archidiaconos quòd eum honorem quaſi debitum ſibi exigerent, qui ex comitate tantùm & humanitate redditur. Et ſanè egregiam illam Archidiaconorum conſuetudinem, niſi corruptelam judicaſſet Pariſienſis Senatus novitatum hoſtis infenſiſſimus, bonarúmque conſuetudinum præclarus cuſtos, Royenſibus Parœcis ſtolæ in Decani ac Canonicorum Royenſium Viſitationibus portandæ facultatem nunquam fuiſſet elargitus, conſuetudinis contrariæ, quam Decanus & Canonici Royenſes adducebant, nulla ratione habita. Quod magno argumento eſt Archidiaconos ut poſſeſſionis, ita & conſuetudinis ſuæ jura nequidquam obtrudere, quo ſibi unis & ſolis in Viſitationibus ſuis Stolam geſtandam commonſtrent, quandoquidem id quoque Parœcis per Pariſienſem Senatum licere, luce meridiana clariùs innoteſcit.

Omittamus jam Pariſienſis Senatus-conſulti auctoritatem, quo objecta ab Archidiaconis in cauſæ ſuæ defenſionem conſuetudo antiquatur: & ſi conſuetudinem hanc longiſſima temporis intercapedine uſurpatam fateremur ultro, nihil, puto, inde detrimenti Parœcorum juribus importaretur. Quod enim vulgò fit, non idcirco bene fieri exiſtimandum eſt;

heicque habere locum poteſt non incongruè, quod Eraſmus in Colloquio cui titulus *Puerpera*, eleganter pronunciavit: *Peſſimum nominatis auctorem rei bene gerendæ vulgum. Vulgò peccant, vulgò luditur alea, vulgò fraudatur, potatur, inſanitur.*

Enim vero conſuetudinem, quòd conſuetudo ſit, & quidem antiqua, longæva, perdiuturna ac uſitata, eo tolli aut abrogari non poſſe, minimè cogitandum eſt. Expendendæ ſunt diligenter conſuetudines: an bonæ ac incorruptæ? an verò malæ ac periculoſæ? Nam ſi poſterioris ordinis fuerint, reſcindendas nemo prudens non judicaverit; eóque ſenſu S. Gregorius Magnus cap. *conſuetudines.* Innocentius 3. cap. *ad noſtram*, cap. *quanto*, cap. *cùm inter.* & cap. *cùm venerabilis*, Honorius 3. cap. *ex parte.* & Gregorius 9. cap. *cùm tanto.* Tit. *De conſuetudine:* Alexander 3. cap. *Sanè*, Tit. *De temporibus ordinationum & qualitate ordinandorum:* Bonifacius 8. cap. *conſuetudinem.* cap. *non putamus*, cap. *non eſt.* & cap. *cùm in tua.* Tit. eodem *de conſuetudine*, in Sexto, aliique multi Romani Pontifices aliis in multis Juris Canonici locis, varias conſuetudines diſſolverunt. Unde in cap. *Qui contempta*, Diſt. 8. ex S. Auguſtini libro 3. de baptiſ. contra Donatiſt. dicitur: *Qui contempta veritate præſumit conſuetudinem ſequi, aut circa fratres invidus eſt & malignus, quibus ve-*

ritas revelatur : aut circa Deum ingratus eſt, cujus inſpiratione Eccleſia ejus inſtruitur...... In Evangelio Dominus Ego ſum, « *inquit*, [a] veritas, *non dicit*, Ego ſum con- « ſuetudo : *Itaque veritate manifeſtata, cedat conſuetudo veritati...... Revelatione facta veritatis, cedat conſuetudo veritati : quia & Petrus qui priùs circumcidebat, ceſſit Paulo veritatem prædicanti...... Cùm Chriſtus veritas ſit, magis veritatem quàm conſuetudinem ſequi debemus, quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit.* Unde etiam Nicolaus 1. in citata Diſt. 8. cap. *Mala conſuetudo*, ſic ſtatuit: *Mala conſuetudo, quæ non minus quàm pernicioſa corruptela vitanda eſt, niſi citiùs radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis aſſumitur, & incipiunt prævaricationes & variæ præſumptiones celerrimè non compreſſæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari.* Quo ſanè reſpexit ſapientiſſimus Catalaunenſis Antiſtes Felix Vialartius, dum contra conſuetudinis, ſeu corruptelæ potiùs antiquæ torrentem, Diœceſis ſuæ Parœcos, aliquot abhinc annis, juſſit Stolam ſuis in Viſitationibus induere.

Si verò prioris ordinis, hoc eſt bonæ ac incorruptæ exiſtant conſuetudines, retinendas illas omnino liquet, modò perſonarum, locorum ac temporum ferat ratio. Secus enim

a *Joan.* 14.

reſignandas autumo, quemadmodum de non flectendis Dominica die genibus inter orandum, de communione infantium, de vigiliis Eccleſiaſticis, de aſſervata in privatorum hominum ædibus Euchariſtia, de eadem ad Epiſcopos Romam venientes in pacis ſignum mittenda, de communione ſub utraque ſpecie, de antiquis pœnitentiæ publicæ ritibus, de Catechumenis & Energumenis, déque ſexcentis aliis id genus inſtitutis, factum intelligimus.

Videndum igitur ſupereſt ad quem ordinem revocanda veniat conſuetudo, cui tota propemodum innititur Archidiaconorum cauſa. Profectò cùm non poſſit ad priorem reduci, ad poſteriorem referri neceſſe eſt. Idcirco autem ad priorem reduci non poſſe profiteor, quia cùm ex Gregorio IX. in laudato mox cap. *cùm tanto.* conſuetudinem *rationabilem & legitimè præſcriptam* eſſe oporteat, eam, qua de agitur, duobus illis conditionibus inſtructam non invenio.

Primò enim cùm Eccleſiaſtica inſtitutio ſacrique Canones nihil à recta ratione alienum complectantur, ſed potiùs rectæ rationi efformandæ ac dirigendæ plurimùm poſſint inſervire: conſuetudinem *rationabilem* non eſſe conſtat, quæ Eccleſiaſticæ inſtitutioni, & ſacris canonibus adverſatur. Hinc Alexander III. *De temporibus ordinationum* &c. cap. *Sanè*, ſacros ordines extra ſtatuta tempora

conferendi conſuetudinem *penitus improbandam* affirmat, *utpote inſtitutioni Eccleſiaſticæ inimicam.* Hinc etiam Innocentius III. *De conſuetudine*, cap. *ad noſtram*, univerſè *decrevit conſuetudinem quæ Canonicis obviat inſtitutis nullius debere eſſe momenti*; & cap. *cùm venerabilis*, de quadam conſuetudine verba faciens id habet: *Cùm igitur hæc non tam conſuetudo quàm corruptela meritò ſit cenſenda, quæ profectò ſacris eſt Canonibus inimica, ipſam mandamus de cetero non ſervari.*

Nonne autem rationi rectæ, nonne Eccleſiaſticæ inſtitutioni, nonne Sacris Canonibus diſſentaneum eſt, Parœcos in Archidiaconorum Viſitationibus eo ornamento exui, quo eorum ordo dignitaſque declarantur, quo & in ordinatione ſua ab Epiſcopis donati ſunt, & in omni officio Eccleſiaſtico conſtitutos indui oportere, Eccleſiaſtica inſtitutione ſacriſque Canonibus eſt præſtitutum? Hoc enim Concilium Moguntinum I. ſub Leone III. an. 813. in can. 28. ſic præſcribit: *Presbyteri ſine intermiſſione utantur orariis, propter differentiam ſacerdotij dignitatis.* Hoc Karoli Magni & Ludovici Pij Imperatorum Capitularia, lib. 5. cap. 81. in quo præfata Concilij Moguntini vocabula replicantur. Hoc Concilium Romanum VII. an. 865. in Epiſtola Nicolai I. ad univerſos Galliæ Epiſcopos, ubi ait: *Per Stolam quid aliud quàm*

ſacerdotij declarantur inſignia? Hoc denique Concilium Triburienſe in cap. 26. apud Burchardum lib. 6. decreti cap. 10. Juonem Carnotenſem part. 10. decreti cap. 139. & Gratianum 17. quæſt. 4. cap. *ut Preſbyteri*, his vocibus: *Vt Preſbyteri non vadant niſi Stola vel orario induti. Quando ſcilicet miniſteria ſui ordinis obeunt*, inquit Eminentiſſimus Cardinalis Bona in lib. 1. *Rerum Liturgicarum* cap. 24. num. 6. An verò *miniſteria ſui ordinis* non *obeunt* Parœci quando Archidiaconis viſitantibus unâ cum Eccleſiarum ſuarũm Clero (ſi quem habent) quaſi ad ſolemnem ſupplicationem procedunt obviam; quando eis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ tabernaculum aperiunt; quando divinum illud ſacramentum è tabernaculo extrahunt; quando Sanctorum ipſis Reliquias recludunt & oſtendunt; quando baptiſmatis fontes reſerant, oleique Catechumenorum ac ſacri chriſmatis vaſa oſtentant? Quam itaque conſuetudinem producunt Archidiaconi, veram eſſe *corruptelam* pronunciemus, ut *quæ profectò ſacris ſit inimica Canonibus*, neque multùm ab iis diverſa quas olim aut à Conciliis, aut à Romanis Pontificibus antiquatas obſervamus. Ejuſmodi erat de qua Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. ſic loquitur in cap. 63. *Sicut pro certo didicimus in pleriſque locis & à plurimis perſonis quaſi columbas in tẽplo vendentibus, fiunt exactiones & extorſiones turpes &*

& pravæ pro conſecrationibus Epiſcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinibus Clericorum, eſt que taxatum quantum ſit iſti vel illi, quantumve alteri vel alij perſolvendum: Et ad cumulum damnationis majoris, quidam turpitudinem & pravitatem hujuſmodi nituntur defendere PER CONSUETUDINEM LONGO TEMPORE OBSERVATAM. *Tantum igitur abolere volentes abuſum, conſuetudinem hujuſmodi, quæ magis dicenda eſt corruptela, penitus reprobamus: firmiter ſtatuentes ut pro iis, ſive conferendis, ſive collatis, nemo aliquid quocumque prætextu exigere ac extorquere præſumat. Alioquin & qui receperit, & qui dederit hujuſmodi pretium omnino damnatum, cum Giezi & Simone condemnetur.*

Non diſſimilis quoque generis fuerit quæ Pij IV. tempore funditus eſt abrogata. Rem totam heic recenſere non erit à propoſito alienum. Diuturno multorum annorum uſu receptum olim erat Romæ, ut in Conſiliis quæ coram Romanis Pontificibus habentur, Cardinales tecto capite ſederent, Archiepiſcopi autem & Epiſcopi ſtarent nudo capite. Uni hujuſmodi Conſiliorum cùm interfuiſſet aliquando Illuſtriſſimus Bracarenſis Archiepiſcopus, Bartholomæus à Martyribus (uti memorat clariſſimus ejus vitæ Scriptor in lib. 2. cap. 22.) & tam fœdam Epiſcopali ordini labem ea agendi ratione inuri graviter ac moleſtè ferret: Primò apud Cardinalem Lotha-

ringum, cui cum Tridentino Concilio adfuerat, deinde apud Cardinalem Alexandrinum, vehementer expoſtulavit; addens ſibi in animo eſſe Summum Pontificem ea de injuria convenire. Lotharingus quidem Cardinalis hoc contumelioſo more acriter offenſum ſe, Epiſcopos autem Gallicanos, quos Tridento Romam ſecum adduxerat, longè acriùs offenſos, ingenuè confeſſus eſt: verùm privatis quibuſdam ſtudiis potiùs quàm Epiſcoporum honori atque amplitudini conſulens, Romanum Pontificem adire noluit unquam, cum eo de ejuſmodi contumelia acturus. Quid autem Cardinalis Alexandrinus, qui poſtea ad Summum Pontificatum, aſſumpto Pij V. nomine, evectus eſt? Confirmatam multis ab annis conſuetudinem cauſatus, *Dices* (inquit ad Archiepiſcopum Bracarenſem; *ſed nihil proficies*. Non ideò tamen à propoſito deſtitit Bartholomæus à Martyribus. Pium IV. paucis poſt diebus inviſit. Quàm indignè in prædictis conventibus Archiepiſcopi & Epiſcopi tractarentur, animosè exponit atque intrepidè. Ita jam à longo tempore conſuetudinem obtinere affert Romanus Pontifex. Etſi veterem, pravam tamen conſuetudinem reponit Bracarenſis Archiepiſcopus, ut pote quæ *Eccleſiaſticis legibus eſſet contraria*. Ejus denique rationum pondere fractus ac victus Pius IV. corruptelam & *abuſum* palàm ac publicè agnovit, Epiſcopoſque juſſit

præter antiquum morem in concionibus illis conſidere. Sic nimirum injurioſam in Epiſcopos conſuetudinem, multis licèt firmatam ſæculis, abolevit ſapientiſſimus Pontifex. Sic etiam ceteræ omnes conſuetudines exſtirpandæ ac tollendæ omnino, ubi rationi rectæ, Eccleſiaſticis inſtitutis, ac ſacris Canonibus adverſæ reperiuntur, quemadmodum habent cap. *Vſus*, & cap. *Conſuetudinis*, Diſt. 11. qualem eſſe illam patet in qua ſe conſtitutos tradunt Archidiaconi ut ſoli in Eccleſiarum Parochialium Viſitationibus Stolati appareant.

CAPUT III.

Eandem praterea conſuetudinem rationabilem *non eſſe oſtenditur, neque* legitimè præſcriptam, *atque idcirco antiquandam. Quod quidem minùs mirum videri debet Archidiaconis, cùm multa eorum dignitati acceſſerint contra receptum morem, multa prater uſum veterem ſint detracta.*

VErùm aliis quoque ex cauſis conſuetudinem ejuſmodi minimè *rationabilem* eſſe demonſtratur. *Conſuetudo rationabilis* (inquit Silveſter Prieras in Summa, Verbo *conſuetudo*) *ſecundùm communiorem opinionem Innocentii, Archidiaconi & Canoniſtarum, eſt quam non improbant jura ſed ſuſtinent: Irra-*

tionabilis verò, quæ nullo jure ſuſtinetur. Atqui conſuetudo quam excutimus, tantùm abeſt ut aliquo jure fulciatur, ut potiùs Conciliorum Canonibus & Chriſtianiſſimorum Principum Capitularibus adverſetur, quibus nimirum jubentur Preſbyteri & *ſine intermiſſione uti orariis*, & *non vadere niſi Stola vel orario induti*, ſicut in proximo capite ex Concilio 1. Moguntino, ex lib. 5. Capitularium Karoli Magni & Ludovici Pii, atque ex Concilio Triburienſi diſſerebam. Sed hæc nondum ſatis.

Conſuetudo in tantum eſt rationabilis (inquit Angelus de Clavaſio in Summa, V. *conſuetudo*) *in quantum participat de fine Iuris: finis Iuris Canonici eſt felicitas animæ; finis Iuris Civilis eſt bonum publicum. Et ideo conſuetudo debet convenire Religioni, diſciplinæ & ſaluti. Si ergo iſtis eſt contraria, de ſe eſt irrationabilis*. Quis verò Archidiaconorum conſuetudinem diſciplinæ Eccleſiaſticæ (ut heic Religionem ac ſalutem miſſas faciam) convenire imaginetur, quam gravi ignominia afficit, quia ejus miniſtros neceſſariis ornamentis, ac dignitatis ſuæ præcipuis inſignibus ſpoliat, & cujus denique ordinem perturbat & evertit, Conciliorum Canones, Stolam Parœcis in functionibus omnibus ſuis aſſignantes, dum contemnit ac nihili ducit. Quî itaque *rationabilis* eſſe poſſit conſuetudo quam *jura improbant*, quæ *nullo jure ſuſtinetur*, & quæ *diſci-*

plinæ Eccleſiaſticæ non *convenit?* Sed neque etiam *legitimè præſcripta* eſt, quod nobis ſecundo loco demonſtrandum.

Nam I. cùm ex tertia Juris regula, in Sexto, *Sine poſſeßione præſcriptio non procedat*; ut ſuam conſuetudinem eorum eſſe quæ præſcribi poſſunt, Archidiaconi probent, ejus poſſeſſionem (ſi fas ita loqui) in primis probare neceſſe habent. At quam poſſeſſionem probabunt, niſi agitatam ac fluctuantem, uti jam in capite 1. notavimus?

II. Regula Juris ſecunda eſt, *Poſſeſſorem malæ fidei ullo tempore non præſcribere.* Unde bonam fidem *per totum præſcriptionis tempus neceſſariam eſſe* ex hujuſmodi Reg. cap. *Quoniam*, Tit. *De præſcriptionibus*, docet Arnoldus Coruinus à Belderen J. V. Doctor, in *Iuris Canonici per aphoriſmos ſtrictim explicati*, lib. 2. Tit. 33. Atqui hodiernis Archidiaconis malæ fidei ſuſpicio objici nonne poteſt, qui quod ſibi ex urbanitate conceditur, ex debito reddendum profitentur? Nonne etiam eadem malæ fidei ſuſpicio pleriſque eorum deceſſoribus obiici poteſt, qui (ut antea quaſi in tranſcurſu dictum eſt, & fuſius poſtmodo dicetur) contra rationem rectam, contra Eccleſiaſticas inſtitutiones, contra ſacros Canones auſi ſunt Parœcos ſuis in Viſitationibus Stola exuere?

III. Sed & ſi bonam fidem adhibuiſſent Archidiaconorum primi qui ea injuria Parœcos affecere, bonam fidem ſolam non ſufficere

ad præſcriptionem, ex cap. *Si diligenti*, Tit. *De præſcriptionibus*, & cap. *Dudum*, Tit. *De decimis, primitiis & oblationibus*, atque etiam ex L. *Obligationum*, 44. ff. *De obligationibus & actionibus*, innoteſcit: ſed *juſtum* præterea *titulum* requiri, qui *juſta eſt poſſidendi quod noſtrum eſt cauſa*, ut Gloſſa & Canonici Juris interpretes in memoratum caput *Si diligenti*, obſervavere. Sicut enim nullo temporis tractu tollitur jus aliquod, ita neque conſtituitur. Quem verò ſuæ præſcriptionis titulum exhibere valent Archidiaconi, niſi exſcripta Viſitationum ſuarum Acta? At cujus momenti apud ſobrios cordatóſque viros eſſe poſſunt Acta quæ ab Archidiaconorum libellionibus ſeu Actuariis, ipſiſmet Archidiaconis dictantibus, adornata ſunt, & à Parœcis maximam partem abſque ullo examine ſubſcripta, nec prævisâ ſatis ejuſmodi ſubſcriptionum gravitate?

In antiquis porrò Viſitationum actis haberi non arbitror Archidiaconos unos & ſolos Stolatos Parœciales Eccleſias perluſtraſſe; qui ſciam antiquitus eo ſolemni ritu, quo nunc fiunt in pleriſque Galliarum diœceſibus præſertim, minimè peractas Viſitationes. Eccleſias enim aliquando abſentibus Parœcis, aliquando iis ſacra facientibus, aut aliud quidpiam Eccleſiaſticum munus obeuntibus, atque ideo ſacerdotales veſtes indutis, aliquando iiſdem ne ſuperpelliceo quidem veſtitis, inviſebant Archidiaconi, vulgari habitu potiùs quàm

Clericali, minúſque honoris ac reverentiæ quàm pecuniæ, ſolemnium Epularum & exquiſiti vini appetentes; unde natum atq; apud omnes Gallos pervulgatum proverbium, quod heic in ſeria ſcriptione nolim percenſere. Imò verò propoſita quacumque ſponſione certaverim, non poſſe Archidiaconos Viſitationum ſuarum Acta producere ante annos quinquaginta aut ſexaginta ad ſummum deſcripta, ex quibus conſtet eos unos Stolatos in Viſitationibus exſtitiſſe.

Id tamen ita quandoque factum non infitior. Neque enim dubito quin Parœci pleríque officioſa honeſtate aut amicitia ſingulari, Stolam ſuam Archidiaconis Viſitantibus obtulerint; quemadmodum Parœcis collegis noſtris, aliiſque Sacerdotibus, aliquod Eccleſiaſticum Officium noſtris in Eccleſiis fungentibus, eumdem paſſim honorem habemus. At quæ ipſis honeſtatis aut amicitiæ titulo defertur reverentia, Parœcis damno eſſe non debuit, ab iiſque (uti nunc fieri videmus) tanquam ex debito atque obligatione ab Archidiaconis exigi, ita ut Stolam in eorum Viſitationibus ferendi vel non ferendi, facultate careant. Quare Parœcis omnibus magnopere auctor & conſiliarius ſum, ne plus honoris & reverentiæ Archidiaconis viſitantibus impendant, quàm par ſit. *Eſt enim* (inquit Siracides in cap. 19. Eccleſiaſtici) *qui ſe nimiùm ſubmittit à nimia humilitate*; & fortaſſe futurum aliquando eſt,

ut quæ ipſis à nobis redduntur ex urbanitate, ex debitione poſtea à nobis vel ſaltem à ſucceſſoribus noſtris velint extorquere. In quo quidem Pittaci Mitylenæi conſilium iſtud ſequendum videtur: Μηδὲν ἄγαν *Ne quid nimis.*

IV. Denique ad præſcriptionem legitimam poſſeſſio dum exigitur tertia Juris Regula, in Sexto, eáque per tempus lege definitum, L. *continuata* 25. ff. *de uſurpationibus*, ſanè pacata & quieta intelligenda eſt; qua minimè potiri Archidiaconos in cap. 1. ſuperiùs jam demonſtravi. Deinde cùm ex L. *Mora* 26. C. *de rei vendicatione*, duobus modis interrumpatur præſcriptio, vel *naturaliter*, quia poſſidere poſſeſſor deſiit, vel *civiliter*, nempe per citationem ſolemnem, denunciationem aut litis conteſtationem; & multæ variis temporibus & locis de Stola in Archidiaconorum Viſitationibus ferenda lites exortæ ſint, multæ citationes inſtitutæ, multæ denunciationes factæ, Archidiaconorum conſuetudinem veræ præſcriptionis nomine nequaquam inſigniri poſſe clarum eſt.

Apageto itaque mihi tantopere jactatam illam conſuetudinem, quæ neque *rationabilis* ſit, neque *legitimè præſcripta.* De ea certè, quod olim aliud argumentum tractans Tertullianus ferè initio libri *de velandis Virginibus* aiebat, jure poſſet heic affirmari: *Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum.*

regionum. Ex his enim fere conſuetudo initium ab aliqua ignorantia vel ſimplicitate ſortita, in uſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita adverſus veritatem vindicatur. Sed Dominus noſter Chriſtus veritatem *ſe, non* conſuetudinem *cognominavit. Si ſemper Chriſtus & prior omnibus: æquè veritas ſempiterna & antiqua res. Viderint ergo quibus novum eſt quod ſibi vetus eſt. Hæreſes non tam novitas quàm veritas revincit. Quodcumque adverſus veritatem ſapit, hoc erit hæreſis, etiam vetus conſuetudo.* Unde meritiſſimò Stolam ſibi in Archidiaconorum Viſitationibus aſſumunt Parœci, reclamante licet multis in locis mala conſuetudine, acclamante autem in Eccleſiæ Conciliis Chriſto, cujus *veritas manet in æternum*, ex Pſalmo 116.

Nihil verò miræ rei videri debet Archidiaconis, quòd in eorum negotio uſurpatæ diu conſuetudines abrogentur, ac novæ ſurrogentur; quandoquidem multa eorum ordini & dignitati contra uſum accreviſſe planum fit, multáque ipſis ablata fuiſſe, quæ longa conſuetudine & poſſeſſione longa, fuerant confirmata, ut vel ex Senatus-conſulto Pariſienſi adverſus Pariſienſes Archidiaconos dato Januarii die 19. an. 1619. intelligitur. Ideo enim, exempli causâ, primùm inſtituti ſunt, ut *menſis miniſtrarent*, quemadmodum habetur in cap. 6. *Actorum Apoſtolicorum*; poſtea verò multis & magnis honoribus ſunt exornati. Olim Ec-

cleſiaſticorum bonorum curam gerebant, unde magnum ſibi fecere in Eccleſia nomen, magnámque auctoritatem comparavere; at jamdiu eſt quòd ea cura exempti ſunt. Quondam Archipreſbyteris & Preſbyteris ſubiiciebantur; nunc iis præſunt ex corrupto S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi teſtimonio apud Gratianum, diſt. 25. cap. *perlectis*, & falſo Concilii Toletani Canone, in Tit. *De officio Archipreſbyteri*, cap. *ut Archipreſbyter.* atque etiam ex quorumdam Epiſcoporum facto, qui Preſbyteros Archidiaconos elegerunt. Olim erant Epiſcoporum Vicarii; modò non ſunt. Quondam Officiales habebant; nunc non habent, niſi quidam eorum tantummodo; idque contra fas; Qui verò nunc habent, pauciores habent quàm initio. Criminales ac conjugiales cauſas aliquando diſceptabant; verùm id ipſis eſt à pluribus Conciliis & à Senatu Pariſienſi interdictum, uti poſtea notabimus accuratè. Civiles quoque controverſias graviores cognoſcebant olim; jam de levioribus tantùm judicant, ex mox citato Pariſienſi Senatusconſulto. Quondam in contrahendis matrimoniis *diſpenſationes* elargiebantur, *abſolutiones* dabant, *monitiones* decernebant, propalandarum *indulgentiarum* facultates concedebant, ſodalitates ſeu *confraternitates* probabant & confirmabant, alia denique multa præſtabant Epiſcoporum injuſſu, quæ nunc vel attingere nefas ipſis fuerit.

Non ergo eſſet cur ſtomacharentur cum Parœcis, quòd in eorum Viſitationibus Stolati præter conſuetudinem apparerent, etiamſi aliæ rationes nullæ Parœcis patrocinarentur. Verùm aliæ plures auctoritatis non contemnendæ poſtea adducentur. Oſtendendum interea non hanc unam conſuetudinem apud Archidiaconos vigere, quæ *ſacris ſit inimica canonibus*, & *Eccleſiaſticis obviet inſtitutis*. Prolixior fortaſſe videbitur diſſertatio, ſed rerum tractandarum varietate pariter ac gravitate eruditis lectoribus, ſpero, non erit injucunda. Multa enim ad Archidiaconorum munus ac juriſdictionem attinentia curiosè & enucleatè explicabit, quæ ad omnium notitiam non pervenere, quæque alibi non reperientur.

CAPUT IV.

Archidiaconi quidam eorumque Officiales nonnullas conjugiales controverſias & criminoſas ex conſuetudine cognoſcunt. Sed utroque ipſis eſt pluribus Conciliis ac Senatus-conſultis interdictum.

I. TRita conſuetudine receptum eſt, ut Archidiaconi Carnotenſes, aliique nonnulli, & eorum Officiales cauſas ad matrimonium pertinentes cognoſcant. Quod

quàm ſit à Conciliorum mente alienum, levi negotio colligitur.

Ex Concilio apud Vallem-Guidonis an. 1242. ſub Juello ſeu Juhello Mathefelonenſi, Archiepiſcopo Turonenſi, qui poſtmodo fuit Remenſis Antiſtes, Can. IV. ubi habes: *Quia nonnulli quos Eccleſiaſticus ordo ad relevamen & ad ſubſidium Epiſcoporum elegit, & ſanctorum Patrum canones decreverunt, ut quod per ſe ipſos non poſſent, faciliùs cognoſcentes, per alios explicarent, falcem ſuam in meſſem alienam mittentes, & ad illicita manus ſuas & prohibita mittere non verentur: Statuimus ut Archidiaconi & alij, de cauſis matrimonialibus, ſimoniæ, vel aliis, quæ degradationem vel amiſſionem beneficij, vel depoſitionem exigunt, niſi de ſpeciali mandato ſui Pontificis, nullatenus cognoſcere, vel definire præſumant.* Confirmatus eſt Canon ille quartus Canone VIII. Concilij Salmurienſis an. 1243. & Canone VIII. alterius Salmurienſis Concilij Provincialis an. 1253.

Ex Concil. Provinciali Marciacenſi in Auſcitana diœceſi, an. 1326. die Lunæ 8. Decembris, ſub Guillelmo Flavacurtio Auſcitano Archiepiſcopo, c. 4. in quo legitur: *Statuimus ut nullus Archidiaconus de cauſis matrimoniorum vel ſponſaliorum cognoſcere, vel cenſura Eccleſiaſtica uti valeat, ſine mandato ſui Epiſcopi ſpeciali: Et ſi aliter*

præſumptum fuerit, viribus careat ipſo facto. Nec de præſcripta legitima conſuetudine aliud ſibi competat in hoc caſu.

Et ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. Decret. *De reformatione*, cap. 20. cujus hæc ſunt verba: *Adhæc cauſæ matrimoniales & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantùm examini & juriſdictioni relinquantur: etiamſi in præſenti inter Epiſcopum & Decanum ſeu Archidiaconum aut alios inferiores, ſuper cauſarum iſtarum cognitione lis aliqua in quacumque inſtantia pendeat* &c. *Non obſtantibus quod ad omnia ſupra ſcripta, privilegiis, indultis, concordiis, quæ ſuos tantùm teneant auctores, & aliis quibuſcumque conſuetudinibus.* Quo conficitur Epiſcoporum eſſe tantummodo de conjugialibus controverſiis judicare, non verò Archidiaconorum ipſorúmve Officialium, quamquam hac in re ipſis initi conventus faveant, longáque conſuetudo patrocinetur.

Conciliis accedunt Pariſienſis Curiæ placita quatuor; Primum in cauſa Henrici Gondij Cardinalis Retzij Epiſcopi Pariſienſis contra Pariſienſes Archidiaconos an. 1619. die Januarij 19. latum[a], quod *in Archidia-*

a Dit a eſté que ladite Cour faiſant droit ſur les demandes reſpectivement faites par les parties, a fait & fait inhibitions & deffenſes auſdits Archidiacres de Paris, de Joſas & de Brie, & leurs Officiaux, de prendre aucune connoiſſance des cauſes matrimoniales, circonſtances & dependances.

conorum juriſdictione regulæ loco eſſe teſtatur Carolus Fevretus J. C. in Tractatu *de abuſu & vera cauſa appellationum eo nomine donatarum*, lib. 4. cap. 3. num. 21. edit. 2. ac tria alia an. 1613. diebus 16. Januarij, 22. Februarij, & 13. Martij, pronunciata, quæ Antonius Furnius Ambianus, Canonicus & Officialis Pariſienſis refert integra in *Ordinariæ Epiſcopalis juriſdictionis contentioſæ faſciculo, è Pontificum decretis, canonicis ſanctionibus, Regiis edictis & Senatus-conſultis deprompto.*

Accedit denique Redonenſis Senatus decretum cujus meminit Tornetus litera A. num. 134. pro Johanne Ambaſiano Epiſcopo Trecorenſi datum adverſus Johannem Fleuriotum Abbatem Begarienſem & in Eccleſia Trecorenſi Archidiaconum Majorem, ut Fevretus memorat in citato mox loco.

II. Iiſdem Carnotenſibus Archidiaconis, aliiſque quibuſdam, eorúmque Officialibus in conſuetudinem incidit, criminoſas cauſas judicare. Verùm huic conſuetudini adverſantur laudata ſuperiùs Concilia apud Vallem-Guidonis, duo Salmurienſia, & Tridentinum: adverſatur & Pariſienſe

Il y a un Arreſt du Parlement de Paris le 19. Janvier 1619. qui ſert de reglement pour la juriſdiction des Archidiacres, donné entre l'Official de Paris & l'Eveſque prenant en main pour luy contre les Archidiacres de Paris & de Brie, par lequel deffences furent faites auſdits Archidiacres de prendre connoiſſance des cauſes de mariage.

Senatus-conſultum an. 1619. Januar. 19.[a]

Cauſarum autem criminoſarum nomine cùm illæ omnes ab ejuſmodi Conciliis & à Senatus-conſulto Pariſienſi intelligantur, quæ criminis ſuſpicionem movent & afferunt; mirum profectò videtur cur iis judicandis contra tanti momenti teſtimonia ſe ſe inferant atque intrudant Archidiaconi eorúmque Officiales. Mirum præterea cur id agant curſim, ſive (ut vocant) in curſu Viſitationum ſuarum; quo tempore vel conſilio deſtituti quid facto opus ſit non bene perſpiciunt; vel quæ forma judicij tenenda neſciunt, vel aliis negotiis diſtenti, aliò vocati, aliò exſpectati, aliò properantes, vix ac ne vix quidem neceſſariam tam arduis tantique ponderis rebus diligentiam ac ſollicitudinem poſſunt adhibere. Quo fit ut qui criminibus obnoxij putantur, eóque nomine poſtulantur Clerici, pagatim ac vicatim eos quaſi triumphantes, & aliquando etiam pedibus, ſequi compellantur. Jo triumphe! Sic illorum culpæ, quas, vitandæ offenſionis ergo, occultari longè æquiùs fuerit, publicæ evadunt, vel iis in regionibus in quibus erant antea penitùs inauditæ. Sic *monſtrantur di-*

a Pour le regard des cauſes criminelles, ladite Cour a pareillement fait deffenſes auſdits Archidiacres & leurs Officiaux d'en prendre aucune cour ne juriſdiction: Si ce n'eſt qu'en faiſant leurs viſitations & au cours d'icelles, ſe preſentent quelques cauſes de riottes & chaleur pour injures ou excez, qui ſe puiſſent juger promptement par quelque amende ou peine pecuniaire, reprehenſion ou legere correction.

gito prætereuntium, ac per omnium ora infames volitant, quandoquidem ita Archidiaconis placitum.

Egregiam verò laudem & ſpolia ampla reportant!

Id, inquam, mirum videtur. At illud magis mirum, quòd ita fieri ab Archidiaconis ipſorúmque Officialibus, ſcientes & prudentes patiantur Epiſcopi, quorum maximè intereſt prohibere ne fiat, cùm Tridentina Synodus (ut obſervatum eſt antea) in Seſſionis 24. cap. 20. addat: *Non obſtantibus privilegiis, indultis, concordiis & aliis quibuſcumque conſuetudinibus.*

Quod autem de capitalibus criminoſiſque controverſiis generatim à Tridentina Synodo edicitur, de Clericorum in impudicitiæ ſordibus, immundóque concubinatu ſeſe volutantium animadverſione ſtatuitur his verbis, in Seſſion. 25. Decret. *de reformatione* cap. 14. *Supradictorum omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos aut alios inferiores, ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat, qui ſine ſtrepitu & figura judicij, & ſola facti veritate inſpecta procedere poſſint.* Quibus conſentanea habet Concilium Provinciale Rotomagenſe an. 1581. Tit. *De Curatorum & aliorum Preſbyterorum & Parœcianorum officiis*, num. 8.

Et ſanè quis Archidiaconum ferat huc & illuc, ultro citróque per Parœcias curſitan-

tem, de Parœcorum, Preſbyterorum, Diaconorum, cæterorúmque Clericorum in iis commorantium fama, honore, & facultatibus, pro arbitrio pronunciare ac decernere? Solus (inquiet fortaſſe aliquis) non pronunciat, ſolus non decernit; ubi enim difficile aliquid ſuboritur, unum aut duos Preſbyteros ſecum aſſumit, qui in proximo occurrunt. Aſſumi vulgò, equidem non diffiteor, ſed potius ut aliqua judicij figura ſervetur, quàm ut, de quibus agitur, negotia meliùs & accuratiùs examinentur; ſed homines ἀμύσους & ſacrorum Canonum imperitos, quales plurimos in ruſticanis præſertim parochiis invenire eſt; ſed homines ita ſibi addictos ac mancipatos, ut ab ejus ſententia vel tranſverſum unguem diſcedere piaculo duxerint. Quo fit ut ſolus pronunciare, ſolus decernere cenſendus ſit, & ſolus revera pronunciet, ſolus que decernat, ſi ſeriò loqui velimus.

An porrò Canonica ſunt ejuſmodi judicia? Ita ne judicandos Clericos ſtatuerunt Eccleſiæ Concilia? Si Concilium Carthaginenſe **IV.** in can. 23. ſtatuit, *ut Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia Clericorum ſuorum; alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentia confirmetur;* cujus ordinis erit ſententia ab Archidiacono currente, in Parœcos, Preſbyteros, Diaconos, alioſve Clericos lata? Nonne irritam meritò licet appellare? Si congruenter ad il-

lum canonem, Concilium Hiſpalenſe II. an. 619. Preſbyteros ac Diaconos de ſuo gradu ab unis Epiſcopis pelli non poſſe, ſed à Synodo tantùm, ita conſtituit in can. 6. *Decrevimus ut, juxta priſcorum Patrum Synodalem ſententiam, nullus noſtrum ſine Concilij examine dejiciendum quemlibet Preſbyterum vel Diaconum audeat*; Cujus ponderis fuerit Archidiaconi adverſus Preſbyteros & Diaconos judicium in Viſitationis curſu prolatum? An *juxta priſcorum Patrum Synodalem ſententiam?* Imò verò adverſus *priſcorum Patrum Synodalem ſententiam* pugnat ex diametro. Hanc nobis Canonici & Eccleſiaſtici judicij formam ex citato Concilio Carthaginenſi IV. propoſuit Triburienſe Concilium an. 895. *pro reformanda diſciplina Eccleſiaſtica* celebratum, in can. 10. *Statutum eſt* (inquit) *in hac ſancta & univerſali Synodo ut nullus Epiſcopus deponatur niſi à duodecim Epiſcopis, preſbyter à ſex, Diaconus à tribus. In Concilio Cathaginen»ſi can. 12. Felix Epiſcopus dixit:* Si quis »Epiſcopus in reatum aliquem incurrerit, » & non poteſt plurimos congregare Epiſco»pos, ne in crimine remaneat, à duodecim »Epiſcopis audiatur, & Preſbyter à ſex, cum » proprio ſuo Epiſcopo, & Diaconus à tribus »Epiſcopis audiatur. *Et in eodem Concilio »can. 20.* Ut Preſbyter à ſex, Diaconus à »tribus diſcutiatur Epiſcopis. Reliquorum

Clericorum cauſas etiam ſolus Epiſcopus « loci cognoſcat & definiat.

Ad hanc regulam ſi Archidiaconorum noſtrorum judicia conferantur, quid illis fiet? Ætatis noſtræ diſciplinam ſcio temporûmque iniquitatem antiquorum Conciliorum canonibus non poſſe omnino convenire. Sed ſi ab iis recedendum, certè leviter eſſe recedendum ſapiens nemo infitiabitur. At quàm recedant volaticis judiciis Archidiaconi quis non intelligit?

CAPUT V.

Nonnulli Archidiaconi & eorum Officiales majora diſceptant negotia, cùm tamen hoc ipſis Canonico jure illiúſque interpretibus, Santonenſi & Exonienſi Synodis, Illuſtriſſimi Carnutum Epiſcopi Statuto, & Senatus Pariſienſis decreto prohibitum fuerit, ſintque dumtaxat judices pedanei, *quorum eſt de levioribus tantummodo judicare. Cùm neque conjugiales, neque criminoſas, neque majores cauſas judicare poſſint Archidiaconi, opus non habent Officialibus.*

III. NEque modo conjugialium criminaliumque negotiorum cognitione Archidiaconis Carnotenſibus, eorúmque

Officialibus interdicitur, ſed civilium etiam majorum (quæ tamen ex conſuetudine judicant) & universè omnium, quæ *adeo fuerint ardua* (quemadmodum ait Innocentius III. in cap. *Adhac*. Tit. De Officio Archidiaconi) *ut abſque majoris ſui præſentia nequeant terminari*. Ejuſmodi verò ſunt *depoſitio Clericorum* (inquit Johannes Baptiſta Bartholinus, Peruſinus, nobilis Jure-conſultus, in Annotationibus ad titulum 13. libri 1. Inſtitutionum Juris Canonici à Johanne Paulo Lancelotto conſcriptarum) *ut notatur in cap.* Suffraganeus, de Elect. *Etiamſi ſint in minoribus, ut* 15. *quæſt.* 7. *cap.* Epiſcopus. Item *ſuſpenſio perpetua vel diuturna, ut in cap.* 1. De exceſſibus Prælatorum; *alienatio rei Eccleſiaſticæ, & generaliter omnia quæ non poſſunt expediri per Epiſcopum ſine capitulo, ut in cap.* Novit, & *cap.* Quanto, de his quæ fiunt à Prælat. & *per Abbatem in cap.* Adhæc, *eo.*

Quod etiam ex capite *Perlectis*, Diſt. 25. intelligitur, ubi Archidiaconus majora negotia tenetur Epiſcopo renunciare, minora verò tantùm exequi. *Archidiaconus enim* (inquit in eo capite S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus) *imperat Subdiaconis & Levitis: ad quem iſta miniſteria pertinent, ordinatio veſtiendi altaris à Levitis, cura incenſi, & ſacrificij neceſſaria ſollicitudo; quis Levitarum Epiſtolam & Evangelium legat; quis preces di-*

rat ſeu reſponſoria in Dominicis diebus aut ſolemnitatibus decantet. Sollicitudo quoque parochiarum & ordinatio & jurgia ad ejus pertinent curam; Pro reparandis diœceſanis baſilicis IPSE SUGGERIT SACERDOTI; *ipſe inquirit Parochias* CUM IUSSIONE EPISCOPI, *& ornamenta vel res baſilicarum Parochiarum; geſta libertatum Eccleſiaſticarum* EPISCOPO IDEM REFERT; *collectam pecuniam de communione ipſe accipit &* EPISCOPO DEFERT, *& Clericis proprias partes idem diſtribuit.* AB ARCHIDIACONO NUNCIANTUR EPISCOPO EXCESSUS DIACONORUM. *Ipſe denunciat Sacerdoti in ſacrario jejuniorum dies atque ſolemnitatum, & ab ipſo publicè in Eccleſia prædicatur.*

Concordat Santonenſis Synodus an. 1282. ſub Gaufrido de ſancto Bricio Epiſcopo Santonenſi cap. 4. in quo habetur: *Archidiaconi & Archipreſbyteri de cauſis minoribus cognoſcere poterunt, dum Eccleſias viſitabunt.*

Conſentit Synodus Exonienſis an. 1287. habita ſub Petro Quivil Epiſc. Exonienſi, cap. 40. his vocibus: *Sollicitè inquirant* Archidiaconi *de exceſſibus ſingulorum, quorum actus boni ſeu mali, de facili trahuntur à ſubditis in exemplum.* MAIORES EXCESSUS NOBIS REFERANT, *illos maximè ſuper quibus criminoſi noſtra indigent diſpenſatione; cæteros corrigant, prout ſecundum ſua diſcre-*

tionis arbitrium meliùs viderint expedire; Ita ſemper ut animarum lucrum quæſtui anteponant........ Et quamquam ſollicitudinis cura per ipſos tanquam oculos noſtros in quampluribus habeat relevari: Nolumus tamen quòd præſumptione quadam terminos tranſcendant, quos ſibi ſtatuerunt patres noſtri: unde de ſequeſtris noſtris, Clericis non ordinatis, non reſidentibus, Religioſorum exceſſibus, & aliis ad noſtram juriſdictionem immediatè ſpectantibus, ipſis interdicimus interponere partes ſuas: niſi ſaltem ut nobis vel Officiali noſtro fideliter referant, quæ in hac parte ſciverint corrigenda.

Idem quoque decernunt *Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Decani, Archidiaconi & alij ſtatus Eccleſiaſtici in Conventu Melodunenſi, nomine totius Eccleſiæ Gallicanæ coacti an.* 1579. in Tit. *De Eccleſiarum Viſitatione*. ubi legas: *Archidiaconi graviora, quæ eorum auctoritate emendari non poterunt*, AD ORDINARIUM REFERENT. *Operam autem dabunt ut ea quæ in Viſitatione per Epiſcopum ſtatuta ac præcepta ſunt, perficiantur: ac de iis quæ vel obſervata, vel neglecta & omiſſa fuerint, cauſiſque ac excuſationibus hominum pervicacium, ſtatutis non obedientium*, EPISCOPUM CERTIOREM FACIANT. *In ſumma cùm Archidiaconi oculi ſint Epiſcopi, juxta antiquos ac recenter editos canones conſtitu-*

tionéſque, ita ſuum munus ac Officium obeant, ut fidelem, hac in re tam ſancta, támque neceſſariâ, cùm Eccleſiæ, tùm Epiſcopo operam ſuam comprobent.

Denique idipſum ſentit Illuſtriſſimus Carnotenſis Epiſcopus Ferdinandus Novavillæus in ſtatuto ſingulari an. 1673. April. 17. ubi ait: [a] *Ad hoc maximè devolvitur Archidiaconorum munus, ut Epiſcopalium conſtitutionum obſervationi invigilent, ac Promotorum inſtar videant ne quis illis contraveniat. Majores autem cauſas ad Epiſcopos referant neceſſe eſt, eorúmque Paſtoralem ſollicitudinem excitent, ut occurrentibus malis medeantur. Quod ſemper eſt ita in Eccleſia ac diœceſi Carnotenſi obſervatum.*

His accedit Senatus-conſultum Pariſienſe an. 1619. die Januarii 19. datum, quo Pariſienſis Eccleſiæ Archidiaconis, eorúmque Officialibus prohibetur cauſarum capitalium, civiliúmque controverſiarum, quæ alicujus ſint ponderis, cognitio [b].

a Le principal devoir & la plus grande obligation des Archidiacres dans l'Egliſe, a eſté ſeulement de veiller à l'obſervation des reglemens & ordonnances des Eveſques, & d'eſtre comme les Promoteurs pour prendre garde qu'il n'y ſoit contrevenu, & dans les choſes de conſequence referer aux Eveſques les defauts, & exciter leur ſollicitude Paſtorale pour y apporter le remede. Ce qui s'eſt toûjours pratiqué dans l'Egliſe & le Dioceſe de Chartres.

b Dit a eſté que ladite Cour faiſant droit ſur les demandes reſpectivement faites par les parties, a fait & fait inhibitions & deffenſes auſdits Archidiacres de Paris, de Joſas & de Brie, & leurs Officiaux, de prendre aucune connoiſſance des cauſes matrimoniales, circonſtances & dependances; decerner monitions

Quare dum in cap. *Archidiaconus*, Tit. *De Officio Archidiaconi*, dicitur *Archidiaconus poſt Epiſcopum eſſe Vicarius ejus in omnibus, & omnem curam in Clero, tam in urbe poſitorum, quàm eorum qui per Parœcias habitare noſcuntur, ad ſe pertinere, ſive de eorum converſatione, ſive honore & reſtauratione Eccleſiarum, ſive doctrina Eccleſiaſticorum, vel ceterarum rerum ſtudio*: Illa verba, *In omnibus*, &c. (ut in citato loco notat Bartolinus) *intelliguntur in omnibus præter graviora, cùm graviora ſint Superiori reſervata.* Ubi diligenter eſt animadvertendum, Archidiaconis minorum ſeu leviorum cauſarum cognitionem, aliáque multa gerendi facultatem, Jure Canonico tribui, quatenus ſunt Epiſcoporum Vicarii. Adeoque ætatis noſtræ Archidiaconos, quorum nulli prorſus eo nomine ſunt Epiſcoporum Vicarii, ne de minoribus quidem controverſiis judicare poſſe, ac plurima obire munia quæ toto Titulo *De Officio Archidiaconi*, in libro I. Decretalium Gregorii IX. & citato cap. *Perlectis* concluduntur, niſi vel ex peculiari aliqua Epiſcoporum facultate, vel eos in levioribus tantummodo negotiis, quæ ad ipſorum Viſitationem attinent, Epiſcoporum Vicarios fateamur. Unde Carolus Fevretus in

ou abſolutions, ſans permiſſion expreſſe dudit Eveſque de Paris, ne meſme connoiſtre des cauſes qui ſeront de conſequence: Ains leur a permis connoiſtre ſeulement des cauſes civiles qui ſeront pour choſes legeres, & dont la connoiſſance peut appartenir aux Juges Eccleſiaſtiques.

Tractatu

Tractatu *de abuſu & vera cauſa appellationum eo nomine donatarum*, lib. 4. cap. 3. num. 20. admonet [a] *diligenter eſſe diſtinguenda quæ nudè ad Archidiaconi, ut Archidiaconus eſt, officium pertinent, & quæ exercere poteſt non jure ſuo ac tanquam Archidiaconus, ſed tanquam Vicarius aut Officialis Epiſcopi. Tanquam Archidiaconus* (inquit in num. 21.) *ex juris Canonici præſcripto, levem ſolùm ac volaticam habet juriſdictionem. Cùm enim Officialis Epiſcopi legitimus ſit gravium controverſiarum Iudex, earúmque omnium quæ cauſæ cognitionem poſtulant & ab Eccleſiaſtica juriſdictione pendent, iniquum profectò videretur duos judices diverſos, duoque diverſa tribunalia in una eademque diœceſi, reperiri. Idcirco Archidiaconorum juriſdictio ad levia tantùm negotia revocatur, quæ obiter in tranſitu, in curſu Viſitationis expediri poſſunt.*

Sed & ſi revera Vicarii Epiſcoporum eſſent Archidiaconi Viſitationis Officium dum exercent, certum nihiloſminus eſt alio ex capite tunc

[a] Il faut prendre garde à bien diſtinguer ce qui dépend nuëment de l'Office d'Archidiacre entant qu'Archidiacre, & de ce qui luy peut appartenir & qu'il a droit d'exercer, non pas *jure ſuo* & comme Archidiacre; mais en qualité de Vicaire ou Official de l'Eveſque. Entant qu'Archidiacre, il n'a regulierement & par diſpoſition du droict Canonique qu'une Juriſdiction legere & momentanée. Car l'Official de l'Eveſque eſtant le vray Juge des cauſes graves & importantes, & de toutes celles qui requierent connoiſſance de cauſes & qui dependent de la Juriſdiction Eccleſiaſtique, il ne ſeroit pas juſte qu'il y euſt deux divers Juges ni deux Tribunaux établis en un Dioceſe. C'eſt pourquoy la connoiſſance des Archidiacres eſt réduite aux affaires legeres; *quæ obiter in tranſitu, in curſu Viſitationis expediri poſſunt.*

non poſſe niſi de levioribus cauſis decernere, cùm ſint tantùm *Iudices pedanei*, ut appellat Johannes Andreas Bononienſis, doctiſſimus Juris-conſultus, in cap. *Officium*, Tit. eodem, ubi poſtquam Archidiaconum dixit *de parvis tantùm cognoſcere, majora referre*, ſtatim ſubjungit: *Per quod patet quòd* Archidiaconus *eſt pedaneus parvus, aut nullus Iudex, aut delegatus.* Judices enim *pedanei*, ſeu *pedacii* potiùs (ut Latinè loquendum ſcribit A. Gellius lib. 3. *Noctium Atticarum*, cap. 18.) à *pedibus* dicti (ſeu quòd humi ſederent ubi magiſtratus ſubſellia pedum habebant, ſeu quòd pede plano judicarent, non pro tribunali, quemadmodum V. Cl. Jacobo Cujacio placet in Novellam 82. ſcribenti) ſuum dumtaxat de minimis negotiis judicium interponebant. Hinc Silveſter Prieras ſacri Palatii Magiſter in Summa, V. *Archidiaconus* hæc habet: *Intellige quod Iudices pedanei dicuntur, quorum Officium eſt de minimis cauſis & infimis cognoſcere, licèt ſint Ordinarii. Majores verò cauſas tenentur majoribus referre, cùm ipſi per ſe terminare non poßint. Cod. de pedan. judicib. lib. 2.* Hinc Johannes Bellonus in *Expoſitionibus etymologiarum, definitionum & diviſionum Iuris univerſi*, ait: *Pedanei Iudices ſunt qui negotia humiliora diſceptant, L. ulti. C. de Pedan. Iudicib.* Hinc etiam Johannes Calvinus I. V. in Academia Heidelbergenſi Profeſſor, *Pedaneos Iudices dictos eſſe credit* in Lexico juri-

dico, *qui de levibus & minutis cauſis cognoſcebant, & humiliora negotia diſceptabant.* Hinc denique Petrus Gregorius Toloſanus I.V. Doctor in lib. 47. *Syntagmatis Iuris univerſi*, cap. 12. num. 9. ita ſcribit: *Minimi porro judices erunt, qui humiliora & viliora judicant, parvique momenti & qualitatis, quales* Pedarii, *qui in Iure appellantur* Pedanei judices, *qui à Græcis dicuntur habere cognitionem* κατὰ σχέδον μικρὸν, *prope vel ferè parvam. Pedarii dicti per metaphoram, à pedibus, quod quemadmodum pedes inferiores ſint corporis partes: ita iſti inter judices minimi & ultimi.*

Idcirco ſi quid magnum & arduum Archidiaconis in Viſitationum curſu ſeſe offerat judicandum, cùm nec judicare illud poſſint nec debeant (uti ex ante dictis conficitur,) ad Epiſcopos eorúmq; Officiales oportet referant, qui de eo pronuncient, de paruis ipſi ac minutis rebus *de plano* tantùm (ſicut vulgò loquuntur) laturi ſententiam. Quo ſanè à temporariis Viſitatoribus diſcrepant, quos aliquando Epiſcopi ſuis in Viſitationibus præcurſores habent & emiſſarios. Illi enim (niſi ex ſingulari aliquo Epiſcoporum permiſſu) tantùm abeſt ut de gravioribus cognoſcant, ut ne minima quidem, quæ Archidiaconorum judicio relinquuntur, dijudicare poſſint; ſed univerſa omnino, cujuſcumque tandem generis & ordinis illa ſint, ad Epiſcopos renunciare ac deferre opus habeant. Quod etiam de Archipreſbyteris ſeu

Decanis ruralibus eſt pronunciandum. At enim hi, juxta atque Viſitatores illi temporarii, teſtium inſtar Synodalium ſunt, de quibus ita ſtatuit Innocentius III. in Concilio IV. Lateranenſi can. 6. quemadmodum legitur in cap. 6. *Sicut olim*, Tit. *De accuſationibus, inquiſitionibus & denunciationibus*, lib 5. Decretalium. *Vt autem* (inquit ſummus ille Pontifex) *id valeat efficaciùs adimpleri* (id eſt, *ut exceſſus corrigi & mores præſertim in Clero poſſint reformari*) *Metropolitani ſingulis annis, cum ſuis Suffraganeis, per ſingulas diœceſes ſtatuant perſonas idoneas, providas videlicet & honeſtas, quæ per totum annum ſimpliciter & de plano abſque ulla juriſdictione ſollicitè inveſtigent quæ correctione vel reformatione ſunt digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum & Suffraganeos, & alios in Concilio ſubſequenti; ut ſuper his & aliis (prout utilitati & honeſtati congruerit) provida deliberatione procedant, & quæ ſtatuerint, faciant obſervari.*

Exploratum igitur eſt in Archidiaconorum ipſorúmque Officialium poteſtate poſitum non eſſe ut Clericos ſuo gradu ac ordine depellant, ſuis muneribus ac Sacerdotiis ſpolient, ipſiſque alias id genus pœnas aut multas irrogent: quandoquidem iſta omnia majorem juriſdictionem, ſuperioremque poſtulant auctoritatem.

IV. Cùm igitur neque conjugia'es, neque

criminoſas, neque majores controverſias judicare poſſint Carnotenſes Archidiaconi (quas tamen tum ipſi, cùm eorum Officiales ex conſuetudine judicant) cumque nullam niſi in Viſitationum ſuarum curriculo juriſdictionem obtineant, conſtat eos Officialibus, extra Epiſcopalium urbium pomeria, non indigere, contra ſtante licet conſuetudine longęva. Ex quo enim tempore, Pariſienſis Curiæ decreto, an. 1619. Januar. 19. Pariſienſibus Archidiaconis controverſiarum ejuſmodi cognitio, quam ipſis diuturna conſuetudo tribuerat, ablata eſt, nullos Officiales habuere ſibi parentes ac ſubjectos, quos tamen habere conſueverant antea. Quod autem Archidiaconis nulli debeant eſſe Officiales, variis Turonicæ Provinciæ Conciliis vetitum legimus, quæ rejecta ſunt ad calcem libri cui titulus eſt, *Sancta Metropolitana Eccleſia Turonenſis, ſacrorum Pontificum ſuorum ornata virtutibus, auctore Iohanne Maan Cenomanenſi, Theologo Pariſienſi, Eccleſiæ Turonenſis Canonico & Præcentore.*

Concilio I. Provinciali apud Caſtrum-Gonterii an. 1321. ſub Juello Mathefelonenſi, Archiepiſcopo Turonenſi, can. 12. quo ſtatuitur, *Ne Archidiaconi, Archipreſbyteri & alii Iuriſdictionem Eccleſiaſticam habentes extra civitatem Officiales habeant. Sed extra civitatem in perſonis propriis Officium ſuum fideliter expleant. Et ſi aliquis proceſſus fuerit co-*

ram talibus Officialibus habitus (quod fieri prohibemus) illum decrevimus non tenere.

Concilio Provinciali apud Vallem-Guidonis ſub eodem Præſule an. 1242. can. 4. ubi Archidiaconis præcipitur ne *Officiales habere præſumant excepto civitatis Archidiacono, qui aliàs Officiales habere conſuevit; cui permittuntur Officiales in civitate ſolummodo, & non extra, antiquo ſtatuto, abuſu eorumdem minimè cuſtodito ſuper hoc renovato.* Ubi nota Carnoti Archidiaconum civitatis eſſe Prodecanum, qui nullum Officialem habet.

Duplici Concilio Salmurienſi, altero an. 1243. can. 8. altero, quod provinciale eſt, ſub Petro Lamballenſi Turonenſi Archiepiſcopo, an. 1253. can. 8. Concilio Turonenſi 6. an. 1239. ſub præfato Juello Pontifice, can. 8. Concilio 2. Langeſienſi ſub Johanne Monteſorellenſi Turonenſi Antiſtite, an. 1270. can. 2. ac demum alio Concilio Langeſienſi ſub eodem Archiepiſcopo, an. 1278. can. 8. in quibus omnibus prolati modò Conciliorum apud Caſtrum-Gonterii & Vallem-Guidonis canones inſtaurantur ac confirmantur.

Atque hæc ad provinciam Turonenſem maximè pertinent. Ceterarum verò omnium quas novi, uſus eſt haud abſimilis. Aut enim (quæ maxima turba eſt) nullos unquam Officiales Archidiaconis permiſere illarum Pontifices; aut ſi qui à primo permiſere, tandem aliquando, compertis eorum injuriis, de ſuis finibus

ſuſtulerunt, quia fortaſſe *Officiales* ejuſmodi ***non ab*** Officio ***nomine***, *ſed ab* Officio *verbo* *mutuaverant originem*, ut in Epiſt. 25. ad Officialem Epiſcopi Carnotenſis loquitur Petrus Bleſenſis, Archidiaconus Bathonienſis, in qua etiam Officialium ſui temporis mores candidè deſcribit in hunc modum: *Officium Officialium* (inquit) *hodie eſt jura confundere, ſuſcitare lites, tranſactiones reſcindere, innectere dilationes, ſupprimere veritatem, fovere mendacium, quæſtum ſequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, verſutias concinnare. Iſti ſunt qui hoſpites ſuos gravant ſuperflua evectione & multitudine clientelæ, quærunt delicatos & ſuperfluos cibos .... de alieno enim prodigi, de proprio ſunt avari: verborum inſidiatores & aucupes ſyllabarum tendunt laqueos & pedicas in capturam pecuniæ. Iura interpretantur ad libitum, & ea pro voluntate ſua nunc abdicant nunc admittunt: bene dicta depravant, prudenter allegata pervertunt, rumpunt fœdera, nutriunt ſimultates, fornicationes diſſimulant, matrimonia diſtrahunt, adulteria fovent, penetrant domos, & mulierculas oneratas peccatis captivas ducunt, diffamant innoxios, & nocentes abſolvunt. Et (ut multa ſub verborum paucitate concludam) dum omnia venaliter agunt, filii avaritiæ, ſervi mammonæ, ſe diabolo venales exponunt.*

CAPUT VI.

Carnotenſes Archidiaconi, ad Officiales cauſarúmque conjugalium, criminoſarum & graviorum civilium cognitionem quod attinet, Convento quodam cum Epiſcopo Carnotenſi inito, ac duplici Magni Conſilii decreto ſe tuentur. Verùm id firmamenti non multum habere virium evincitur. Conventum enim illud Simoniæ labe conſpurcatum eſſe oſtenditur.

VErùm quæ hactenus de abolendis Archidiaconorum Officialibus, & utriſque abroganda conjugalium, aliarúmque civilium (ſi tamen arduæ ſint & difficiles) ac criminoſarum controverſiarum cognitione, à nobis dicta ſunt, quanquam apud æquos rerum æſtimatores ſatis habeant firmitatis, ut convelli à quoquam vix poſſint, duplici tamen ariete concuſſuros ſe, ac ſurſum deorſum everſuros opinantur Archidiaconi Carnotenſes. Nimirum duplex Magni (ut appellant) Conſilii decretum proponunt; ac alterum, an. 1631. die 11. Februarii latum inter Carnotenſem Epiſcopum Leonorium Stampenſem, & Blaſium Feronium, Dunenſem, Johannem Edelinum, Piſciacenſem, Johannem Girardotum, Drocenſem, ac Aurelium Paggium, Vindocinenſem, in

in Carnotenſi Eccleſia Archidiaconos : quo decreto pactum inter eos percuſſum die 27. Maii an. 1630. confirmatur ; Alterum die 8. Julii an. 1633. pronunciatum inter eundem Epiſcopum Carnotenſem, ac Paulum Prevotium, Majorem, & Johannem Amelotum Bleſenſem, in præfata Eccleſia Archidiaconos ; eóque duplici decreto ſibi & Officiales habere, & de conjugialibus alijſque civilibus ac criminoſis cauſis penè omnibus judicare, & Viſitationum ſuarum Acta ad duos poſt abſolutas illas menſes ſervare, fas eſſe conteſtantur. [a] Hæc

[a] Leſdits Sieurs Archidiacres de Dunois & Vendoſme, de Pinſerais & de Dreux ſont demeurez d'accord, que bien que quelques-uns d'entre eux ayent eu cy-devant plus d'un Official dans le détroit de leurs Archidiaconez pour l'exercice de leur juſtice à l'avenir, ils n'en auront plus qu'un ſeul en chacun de leurs Archidiaconez, leſquels auront connoiſſance des promeſſes de mariages quand ils ſeront à contracter.. Ne pourront connoiſtre des cauſes grandes & criminelles auſquelles ſera beſoin que le Juge Royal ſoit ou doive eſtre appellé...Ne connoiſtront des perſonnes & choſes qui ne ſont de la juriſdiction deſd. Sieurs Archidiacres, comme d'Abbayes, Religieux & Religieuſes, Chapitres & Chanoines d'iceux .... ſinon que leſdits Religieux ou Chanoines fuſſent pourveus de Cures ou autres Benefices ſujets à leur viſitation ; auquel cas ils pourront connoiſtre des deffauts par iceux commis en l'adminiſtration des Sacrements, ou manquements de leurs charges ſeulement, ou autres crimes & delits commis en l'eſtenduë de leurs Cures, ou autres Benefices ſujets auſdits Sieurs Archidiacres, & non autrement. .... Accordent auſſi leſdits Sieurs Archidiacres, que deux mois apres qu'ils auront achevé leurs viſites dans le détroit de leurs Archidiaconez, ils ſeront tenus rapporter audit Seigneur Eveſque tous les Procez verbaux d'icelles, pour eſtre mis en ſon Greffe ou treſor. *Tranſaction entre 4. Archidiacres & l'Eveſque de Chartres, du 27. May 1630 omologuée au Grand Conſeil le 11. Fevrier 1631.* Ordonne noſtredit Conſeil, que leſdits Archidiacres ....dreſſeront leurs Procez verbaux de ce qu'ils auront reconnu pendant le cours de leurs viſites, & envoyeront deux mois apres

ſacra Carnotenſium Archidiaconorum anchora: Ad quam etſi confugiant, nolim tamen de ſuæ cauſæ bonitate ſecuros præſtare.

Enimvero ſi tota res attentè perpendatur, non alio fundamento niti duplex illud magni Conſilii placitum videbimus, quàm ſupra memorato conventu. Hic enim tranſactus legitur à Petro Thoreto libellione Carnotenſi, die 27. Maii, an. 1630. At prius magni Conſilii placitum datum eſt die 11. Februarii, an. 1631. Poſterius autem die Julii 8. an. 1633. ut jam obſervatum fuit. Prius quidem conventum hunc probat, ſive (ut Barbarè loquuntur Jureconſulti) *homologat* [a]. Poſterius quoque eundem ratum habet [b]. Quare in Epiſcopi Carnotenſis

leurſdites viſites leurſdits Procez verbaux, & ceux des Doyens ruraux, au Greffe dudit Eveſque, en la ville de Chartres. Aura ledit Grand Archidiacre deux Sieges pour l'exercice de ſa juriſdiction, & deux Officiaux ſeulement, & ledit Archidiacre de Blois un ſeul Official en la ville de Blois. Leſquels Archidiacres & leurs Officiaux auront juriſdiction, & prendront connoiſſance de toutes cauſes civiles de la juriſdiction Eccleſiaſtique, fors des cauſes de Mariages qui ſeront contractez..... Ordonne noſtredit Conſeil que leſdits Archidiacres ou leurs Officiaux auront connoiſſance de toutes les cauſes criminelles en leurſdits Archidiaconez, s'ils ne ſont prevenus par l'Official ou les Vicaires dudit Eveſque de Chartres, fors des crimes d'hereſie & ſortilege, deſquels la connoiſſance appartiendra audit Eveſque ſeul, ou à ſon Official, ou Vicaires. *Arreſt du Grand Conſeil entre Meſſire Leonor d'Eſtampes Eveſque de Chartres, & Maiſtre Paul le Prevoſt grand Archidiacre de Chartres, & Me Jean Amelotte Archidiacre de Blois, du 8. Juillet 1633.*

a Noſtre Grand Conſeil a homologué & homologue ledit Contract & tranſaction; a ordonné & ordonne qu'il ſera enregiſtré és Regiſtres de noſtredit Conſeil, & a condamné & condamne leſdites parties iceluy entretenir de point en point, ſelon ſa forme & teneur.

b Iceluy noſtredit Grand Conſeil a ordonné & ordonne que la

& Carnotenſium Archidiaconorum cauſa nihil à magno Conſilio judicatum fuit, niſi ad ejuſmodi conventus verba, ipſiuſque auctorum ſententiam. Ubi autem ſemel inter litigantes convenit, non niſi ex eorum arbitrio lis finitur, quemadmodum apud omnes eſt in confeſſo, & ratio recta perſuadet.

Atque aliam non fuiſſe magni Conſili mentem ex eo manifeſtè liquet, quòd jam ab anno 1613. Martii 30. die, cauſarum conjugialium, ceterarúmque omnium ad ipſas pertinentium cognitione interdixerat Johanni Fleurioto Abbati Begarienſi & Eccleſiæ Trecorenſis Archidiacono majori[a]. An verò Carnotenſibus Archidiaconis cauſarum hujuſmodi cognitionem poſtea adſcripſiſſet, quam Trecorenſi Archidiacono majori abſtulerat, niſi quia illam ſingulari pacto & convento Carnotenſibus Archidiaconis conceſſerat Carnotenſis Epiſcopus? Quæ autem de conjugialibus controverſiis adverſus Johannem Fleuriotum in Adriani Amboſiani Trecorenſis Epiſcopi gratiam à magno Conſilio ſtatuta ſunt, quominus etiam

Tranſaction faite entre l'Eveſque de Chartres & les Archidiacres de Dunois, Finſerais, Dreux, & Vendoſme, ſera entretenuë & gardée entre ledit Eveſque & leſdits quatre Archidiacres de point en point ſelon ſa forme & teneur.

a Iceluy noſtredit Grand Conſeil a fait & fait inhibitions & deffenſes audit Fleuriot, audit nom, de prendre aucune Cour, Juriſdiction, ny connoiſſance des matieres és cauſes matrimoniales, circonſtances & dépendances d'icelles. *Arreſt du Grand Conſeil entre Meßire Adrien d'Amboiſe Eveſque de Treguier, & Meſſire Iean Fleuriot Abbé de Begar, & grand Archidiacre de Treguier, du 30. Mars 1613.*

ad alias controverſias trahantur, nihil obſtat. Modò examinandum eſt diligenter quale conventum illud ſit quod Carnotenſis Epiſcopus & quatuor Carnotenſis Eccleſiæ Archidiaconi feriere; quò deinde faciliùs de duplicis magni Conſilii decreti auctoritate ac pondere judicetur.

Equidem ego pacti hujus verba rationéſque quò attentiùs conſidero, eò magis Simoniaca labe aſperſum mihi videtur. *Simonia* enim (quemadmodum ex S. Thoma conficitur 2. 2. quæſt. 100. art. 1.) *ſtudioſa voluntas eſt emendi vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.* Hoc autem pacto *aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum emitur & venditur.* Nempe jam ab anno 1619. die Januarii 4. Paulus Prevotius, Major, Ludovicus Cicoynellus, Dunenſis, Johannes Amelotus Bleſenſis, & Guillelmus Hoycius, Vindocinenſis in Carnotenſi Eccleſia Archidiaconi, Philippo Huralto Carnotenſi Epiſcopo litem eo fine intentarant, ut illorum unicuique quadringentas (ut aiunt) pecuniæ libras quotannis ſolveret [a].

[a] Comme dés le 4. jour de Janvier 1619. Maiſtres Paul le Prevoſt, Loüis Chicogneau, Jean Amelotte & Guillaume le Houye, Archidiacres de Chartres, de Dunois, Blois, & Vendoſme, euſſent preſenté Requeſte à noſtre Cour de Parlement de Paris, & en icelle fait aſſigner feu Meſſire Philippes Hurault Eveſque de Chartres, à ce que ledit Sieur Eveſque fût condamné leur bailler & aſſigner à chacun d'eux la ſomme de 400 livres pour leur portion congruë, ſoit par union de Benefices à leurs Archidiaconez, ou autrement. *Arreſt du Grand Conſeil du 11 Fevrier 1631. & Tranſaction du 27. May 1630. entre l'Eveſque & 4. Archidiacres de Chartres.*

Telum iſtud ut declinet repellátque Carnotenſis Epiſcopus, quid agit rerum? Archidiaconos Carnotenſes quatuor in ſuam ipſius juriſdictionem involare, apud Senatum Pariſienſem eodem anno, die 11. Februarii expoſtulat [a]. Sed eo ante diremptam litem mortuo, idem expoſtulat ipſius ſucceſſor Leonorius Stampenſis. Cauſa utrinque magna animorum contentione agitata, demum Carnotenſis Epiſcopus, & Archidiaconi Carnotenſes quatuor, Blaſius Feronius, Johannes Edelinus, Aurelius Poggius, Ludovici Cicoynelli & Guillelmi Hoycii ſucceſſores, ac Johannes Girardotus, homines Leonorii Stampenſis rebus ac ſtudiis omnino devoti, ſuiſque (quod maximè notandum velim) ab eo Archidiaconatibus donati, inter ſeſe conveniunt, ſcripto de quo agitur convento. Sic Carnotenſis Epiſcopus pecunia ſibi quotannis repræſentenda Carnotenſibus Archidiaconis quatuor liberatur: & Archidiaconi Carnotenſes quatuor ſuam, Epiſcopo Carnotenſi concedente, vel augent juriſdictionem, vel ſaltem dubiam ac fluctuantem firmant. Sic mavult Carnotenſis Epiſcopus ſuam imminui autoritatem, quàm proventus annuos: Et Archidiaconi Carnotenſes malunt proventibus annuis carere, quàm auctoritate. Sic denique, Epiſcopo Carnotenſi deſerente, Carnotenſes Archidiaconi juriſdictionem (cui profectò *ſpi-*

[a] Et que ledit Sieur Eveſque par ſa Requeſte du 11. Fevrier, ſe fuſt audit an incidemment conſtitué demandeur contre leſdits Archidiacres, pour l'entrepriſe qu'ils faiſoient ſur ſa juſtice & juriſdiction. *Le meſme Arreſt & la meſme Tranſaction.*

rituale aliquid annexum eſt) conſervant, relicto quod poſcebant quadringentarum pecuniæ librarum pretio ſingulos in annos numerando. Theologos vidi qui ſic vendi tacitè emique juriſdictionem dicerent. Verùm durior hic ſermo. Ut ut ſit, nefas eſſe Eccleſiaſtica munia, Eccleſiaſticamque juriſdictionem emere vel vendere, multis Conciliorum canonibus, Summorumque Pontificum Decretis eſt ſancitum.

Concilio Chalcedonenſi, an. 451. can. 2. *Si quis Epiſcopus per pecunias fecerit ordinationem, & ſub pretio redegerit gratiam, quæ non poteſt vendi, ordinaveritque per pecunias Epiſcopum aut Chorepiſcopum, aut Preſbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in Clero, aut promoverit per pecunias diſpenſatorem, aut defenſorem, vel manſionarium, vel quempiam omnino, qui ſubjectus eſt regulæ, pro ſuo turpiſſimo lucri commodo; is qui hoc attentaſſe probatus fuerit, proprii gradus periculo ſubjacebit: & qui ordinatus eſt, nihil ex hac ordinatione vel promotione per negotiationem facta, proficiat, ſed ſit alienus à dignitate vel ſolicitudine quam pecuniis acquiſivit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit; & ipſe, ſiquidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat: ſi verò Laïcus aut Monachus anathematizetur.*

Concilio Remenſi, an. 1049. can. 2. *Ne quis ſacros ordines aut miniſteria Eccleſiaſtica, vel altaria emeret aut venderet. Et ſi quis*

Clericorum quidlibet eorum emiſſet, id cum digna ſatisfactione ſuo Epiſcopo redderet.

Concilio Turonenſi, an. 1060. can. 1. *Sancti Spiritus auctoritate, ut credimus, in Calchedonenſi Synodo ſententia de Simoniacis prolata, ſic ab omnibus obſervetur: quatinus quicumque deinceps pecunia, aut aliqua inconveniente conventione ſæculari, aut quolibet modo contra Canonicam cenſuram, Epiſcopatum aut Abbatiam, aut Archidiaconatum ſeu Archipresbyteratum, aut aliquam dignitatem Eccleſiaſticam, ſive aliquem gradum aut miniſterium, vel beneficium, quod nonniſi Clericis habere ſanctorum Patrum ſancivit auctoritas, dare vel accipere quolibet modo canonibus contrario tentaverit: & dans à proprio decidat gradu & dignitate; & accipiens miniſterium ſeu beneficium malè uſurpatum, nunquam recuperaturus, amittat.*

Canone *Salvator*, qui eſt Urbani 2. & habetur 1. quæſt. 3. *Quiſquis res Eccleſiaſticas (quæ dona Dei ſunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, quæ ab eodem gratis accipiuntur, & Deo gratis dari debent) propter ſua lucra vendit vel emit, cum eodem Simone donum Dei poſſideri pecunia exiſtimat. Ideo qui eaſdem res non ad quod inſtituta ſunt, ſed ad propria lucra, munere linguæ vel indebiti obſequij, vel pecunia largitur, vel adipiſcitur, Simonia-*

cus eſt, cùm principalis intentio Simonis fuerit ſola pecuniæ avaritia, ideſt idololatria, ut ait Apoſtolus Paulus. Alioquin cur ſancta Synodus Calchedonenſis 630. Epiſcoporum, Procuratorem vel defenſorem Eccleſiæ, vel quemquam regulæ ſubjectum adeo per pecuniam ordinari prohibet, ut interventores quoque tanti ſceleris anathematizet, niſi quòd eoſdem Simoniacos judicet. . . . . Sed & beatus prædeceſſor noſter Paſchalis 2. de conſecratione affirmat, quòd quiſquis eorum alterum vendiderit, ſine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquit: ac per hoc eum qui rem Eccleſiæ vendit vel emit, Simoniacum eſſe intelligitur. Nomine verò Procuratoris intelligit præfata Synodus quemlibet Eccleſiaſticarum rerum adminiſtratorem, ut, verbi gratia, Præpoſitum, Oeconomum, Vicedominum: Defenſoris nomine Advocatum, ſive Caſtaldum, judicem; in ſubjecto verò regulæ Archipresbyterum, Archidiaconum, Canonicum, Monachum, vel quemlibet Eccleſiaſtico mancipatum officio.

Concilio Londonienſi, ſeu Vveſtmonaſterienſi, an. 1127. can. 1. *Eccleſiaſtica beneficia, ſeu quoſlibet Eccleſiaſticos honores, vendi vel emi, autoritate beati Petri Apoſtolorum principis, & noſtra omnino prohibemus. Qui verò hoc præceptum violaſſe convictus fuerit, Clericus quidem, etiamſi Canonicus*

regularis ſit vel monachus, ab ordine deponatur; laïcus verò, exlex & excommunicatus habeatur, & ejuſdem Eccleſiæ vel beneficij poteſtate privetur.

Concilio Remenſi, an. 1131. can. 1. *Statuimus ut ſi quis prabendas aut honorem vel promotionem aliquam Eccleſiaſticam, interveniente execrabili ardore avaritiæ, per pecuniam acquiſivit, honore malè acquiſito careat, & emptor ac venditor & interventor, nota infamiæ percellantur.*

Concilio Lateranenſi ſub Innocentio II. an. 1139. can. 2. *Si quis præbendam, vel prioratum, ſeu Decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam Eccleſiaſticam, ſeu quodlibet ſacramentum Eccleſiaſticum, ut pote chriſma, vel oleum ſanctum, conſecrationes altarium, vel Eccleſiarum, interveniente execrabili ardore avaritiæ per pecuniam acquiſivit, honore malè acquiſito careat, & emptor atque venditor & interventor, nota infamiæ percellantur. Et nec pro paſtu, nec ſub obtentu alicujus conſuetudinis, ante vel poſt à quoquam aliquid exigatur, vel ipſe dare præſumat, quoniam Simoniacum eſt: ſed liberè & abſque imminutione aliqua, collata ſibi dignitate atque beneficio perfruatur.*

Concilio Turonenſi, an. 1163. can. 7. *Quoniam in quibuſdam Epiſcopatibus, Decani quidam vel Archipresbyteri, ad agendas vices Epiſcoporum, ſeu Archidiaconorum,*

& terminandas cauſas Eccleſiaſticas, conſtituuntur ſub annuo pretio, quod ad ſacerdotum gravamen, & ſubverſionem judiciorum, non eſt dubium redundare: id ulterius fieri diſtrictiùs prohibemus. Quod ſi facere præſumpſerit quiſquam, removeatur à Clero. Epiſcopus quoque, qui hoc in ſua diœceſi ſuſtinuerit, & Eccleſiaſtica judicia patitur ſua diſſimulatione perverti, Canonica diſtrictione plectatur.

Concilio Lateranenſi, ſub Alexandro III. an. 1179. aut 1180. ut recenſetur cap. *Præterea*, Tit. *Ne Prælati vices ſuas vel Eccleſias ſub annuo concedant*, lib. 5. Decretal. *Præterea quoniam quidam in quibuſdam partibus ſub pretio ſtatuuntur, qui Decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate Epiſcopalem juriſdictionem exercent: præſenti decreto ſtatuimus, ut qui de cetero hoc præſumpſerit, officio ſuo privetur, & Epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat.*

Capite *Ad noſtram*, quod eſt Alexandri III. legitúrque in Tit. *De Simonia*, lib. 5. Decretal. *Mandamus quatenus pro miniſterio Eccleſiaſtico exercendo, ſive pro Vicariis aſſignandis, ſeu pro chriſmate nullatenus pecuniam exigatis.*

Concilio Provinciali Nicoſienſi, ſub Raphaële Nicoſienſi Archiepiſcopo, in *Conſtitutionis inſtrumentis Græcos & alios*, cap. 17.

quemadmodum habetur Tom. 11. novæ Conciliorum Editionis, part. 1. *Volumus etiam & præcipimus, quòd ordines, beneficia, ſepulturæ, officia, atque alia ſacramenta Eccleſiaſtica, omnino liberè conferantur, nullis pactionibus vel conventibus interjectis.*

Conventu Melodunenſi, nomine totius Eccleſiæ Gallicanæ coacto, an. 1579. Tit. *De his quæ ad forenſem juriſdictionem pertinent*, cujus hæc ſunt verba: *Tam nefas putet Epiſcopus ſi cui ex his, in Eccleſiaſtica juriſdictionis exercitio, venale videri poſſit commercium. Et quod laïcis deteſtabili vitio datur, in Eccleſiaſtica politia non patiatur ne in ſuſpicionem quidem, adduci.*

Et Concilio Provinciali Toloſano, an. 1590. part. 4. cap. 5. num. 6. *Qui dignitatem Eccleſiaſticam ſacrilega illa nundinatione adeptus fuerit, hac ipſa dignitate jure ipſo privetur, & ad eam aut alias quaſcumque deinceps obtinendas inhabilis judicetur. Qui beneficium aut Officium Eccleſiaſticum, eo privatus, fructus juris actione reſtituat: nec umquam aut illud, aut quæcumque alia retinere poſſit.*

CAPUT VII.

Idem Conventum ex alio capite Simoniacum videtur, multiſque Conciliorum canonibus, ac Pontificum Romanorum Decretis contrarium.

PRÆTEREA convento illo Archidiaconis Carnotenſibus pollicetur Carnotenſis Epiſcopus, ſe poſtulatæ pecuniæ loco ſacerdotia quædam ab ipſis eo nomine conferenda, illorum Archidiaconatibus uniturum; vel ſaltem proventuum ejuſmodi ſacerdotiorum partem aliquam aſſignaturum. [a] Hoc autem fieri ſine Simonia non poſſe, ex iis apparet quæ S. Thomas ſcribit in 2. 2. quæſt. 100. art. 4. His verbis: *Circa collationem beneficiorum ſciendum eſt, quod ſi Epiſcopus, ab eo cui beneficium confert requirat aliquid ſibi exhiberi de fructibus illius beneficij, idem eſt ac ſi aliquod munus ab eo exigeret; & non caret vitio Simoniæ.* Atqui Carnotenſes Archidiaconi quatuor cùm *beneficia conferant* quorum è *fructibus aliqui exhiberi ſibi*

[a] En ce faiſant ledit Seigneur *Eveſque de Chartres* a promis & s'eſt obligé envers leſdits Sieurs Archidiacres, qu'arrivant vacation des Cures ou benefices dependans d'eux, & qui ſeront de revenu competant, de les reünir, en partie d'iceux, auſdits Archidiacres, au lieu de la portion congruë par eux demandée, les ſolemnitez en tel cas requiſes obſervées. *Tranſaction cy-deſſus citée.*

requirere debent, ut præfato conventui ſtetur, *hoc non caret vitio Simoniæ.* Unde Carnotenſis Curiæ Epiſcopalis Promotor Menartus, vir pius & ſui muneris digniſſimus, noſtra ætate Philippo Mario, Piſciacenſi in Carnotenſi Eccleſia Archidiacono fortiter obſtitit, partem aliquam proventuum Villanovani ſacerdotij Archidiaconatui ſuo (cui jam alterius ſacerdotij fructuum pars non minima addicta eſt) adjungere volenti: conſultiſque ea de re Pariſienſibus quibuſdam Theologis integerrimis illis & doctiſſimis, qui hoc illicitum eſſe ac Simoniacum ſcripto conteſtati ſunt, adduci numquam potuit ut huic facto aſſentiretur. Quare ejus pietati & fortitudini debet Villanovanum ſacerdotium, quòd ab hujuſmodi cenſu ac tributo liberum ſit, quo illud Philippus Marius onerare tentavit. Videant alij Carnotenſes Archidiaconi qui ſimiles proventus ex ſibi ſubjectis ſacerdotiis percipiunt, utrum à Simoniæ labe ſint immunes.

Et verò id genus uniones (ut aiunt) qui paſſim & nullo diſcrimine fieri poſſe exiſtimant, hallucinantur turpiter. Niſi enim *evidens neceſſitas vel utilitas ſubſit*, inſtitui non poſſe liquet ex cap. *Dudum*, Tit. *De rebus Eccleſiæ non alienandis*, in 6. ubi ita ad rem noſtram appoſitè loquitur Innocentius IV. *Dictus Archidiaconus ex adverſo reſpondit illas decimas illi Eccleſiæ reſtitui non debe-*

re : proferens in medium ordinationem quamdam Epiſcopi Dulmenſis, de conſenſu capituli ſui factam, inter alia continentem, quòd idem Epiſcopus attendens proventus Archidiaconatus Dulmenſis adeo fore tenues & exiles, quòd non ſufficiebant ad ejus onera ſupportanda: præfatus decimas Archidiaconatui memorato conceſſit...... Quia verò in conceſſione hujuſmodi prædicta Eccleſia (cùm vacaret) legitimo caruit Defenſore, qui ſibi prius ab eodem Epiſcopo debuerat deputari; Quia etiam Tractatus ſolemnis diligens, qui in talibus conceſſionibus perpetuis, & alienationibus rerum Eccleſiaſticarum exigitur, non habitus in eadem: ordinationem & conceſſionem ipſam (præſertim cùm evidens neceſſitas, quare fieri deberet, vel utilitas non ſubeſſet) de fratrum noſtrorum conſilio decernimus non valere: Dictas Decimas ipſi Eccleſiæ tanquam pertinentes ad eam ſententialiter adjudicare curantes.

Quæ verò *neceſſitas evidens*, quæ *utilitas ſubeſt* Carnotenſibus Archidiaconatibus ſacerdotiorum quorumdam proventus unire? *Vbi neceſſitas urget* (inquit S. Bernardus in lib. 3. *de conſideratione*, cap. 4.) *excuſabilis diſpenſatio eſt: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Vtilitas dico communis non propria. Nam cùm nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt*. Ad hanc amuſſim uniones ſuas ſi

exigant Carnotenſes Archidiaconi, illicitas & nullas, quantumvis ex ſtylo Romanæ Curiæ adornatas, fateantur neceſſe eſt. Quæ enim, amabo, earum eſt *neceſſitas evidens?* Quæ *communis utilitas?* Neutram ab iis aſſignari poſſe conſtat. Verùm (inquient) cùm toti Eccleſiæ Catnotenſi inſerviant Archidiaconi, de ejuſdem Eccleſiæ bonis convenit ſuſtineri. Id quidem conceſſerim ultro. Sed numquid alia ſunt Carnotenſis Eccleſiæ bona, quàm ſacerdotiorum ejuſmodi, ex quibus Carnotenſes Archidiaconi valeant ſuſtentari? Numquid illi revera ex Carnotenſis Eccleſiæ bonis ſuſtentantur, cùm nullus eorum ſit nóſtra ætate qui ſimul & Canonicus & Archidiaconus non ſit? Numquid ex parœcorum *inthronizationibus* (ut appellant) percepta ab iis, jure an injuria, pecunia agendæ clericalem in modum vitæ ſatis eſſe poteſt? Numquid dum parentes ſibi Eccleſias & parœcias viſitant, ab iis procurationem ſatis amplam accipiunt? Poſtremò numquid inter viſitandum ex ejuſmodi procuratione ſuſtentari poſſunt? Eorum heic fidem appello qui peracto viſitationum ſuarum curriculo, uberes pecuniæ ſummas, deductis impenſis omnibus, habere dignoſcuntur, quas quidem ſummas vel exornandis domibus, vel pretioſis ſupellectilibus comparandis, vel prædiis vineis, ac hortis acquirendis, potiùs quam nutriendis pauperibus, impendunt.

His adde Sacerdotiorum uniones prædicto convento memoratas, illis vocibus à Concilio Tridentino damnatas fuiſſe in ſeſſ. 24. *de reformatione*, cap. 13. *In unionibus quibuſlibet, ſive ex ſupradictis, ſeu aliis cauſis faciendis, Eccleſiæ parochiales monaſteriis quibuſcumque, aut Abbatiis, ſeu dignitatibus, ſive prebendis, Eccleſiæ Cathedralis vel collegiatæ ſive aliis beneficiis ſimplicibus, aut hoſpitalibus, militiisve, non uniantur.* Carnotenſes autem Archidiaconatus Carnotenſis *Eccleſiæ Cathedralis dignitates* ſunt.

Nullos porrò ſacerdotiorum fructus in ea conferentis utilitatem cedere poſſe, nulliſque novis cenſibus onerari ſacerdotia, apertis verbis declarant Concilia multa.

Lateranenſe 3. an. 1179. ſeu 1180. ſub Alexandro III. can. 7. *Prohibemus inſuper, ne novi cenſus ab Epiſcopis vel Abbatibus aliisve Prælatis imponantur Eccleſiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum ſuis uſibus appropriare præſumant, ſed libertates quas ſibi majores deſiderant conſervari, minoribus quoque ſuis bona voluntate conſervent. Si quis autem aliter egerit, irritum quod fecerit habeatur.* Ad hujus Concilij mentem ita ad Archiepiſcopum Mediolanenſem ſcribit Innocentius III. Tit. unico: *Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. Non licuit ea pactione vel conventione quacumque ſub modo vel tenore præſcripto*

præſcripto concedere nudum Officium & tibi retinere proventus: cùm in Lateranenſi Concilio prohibitum ſit, ne quis conferendo Eccleſiaſticum beneficium, partem proventuum ſuis uſibus retinere præſumat, & alibi cautum reperiatur in canone, Quod Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione debent conferri.

Oxonienſe, an. 1222. cap. 3. *Adhæc ſtatuimus, ne Prælatus aliquis, cùm Eccleſiam contulerit aut præbendam, fructus ejuſdem Eccleſiæ ſive præbendæ nondum collectos ſibi præſumat aliquatenus uſurpare: vel pro institutione, vel miſſione in poſſeſſionem, vel charta ſuper hoc facienda, aliquid audeat extorquere, nec ab Officiariis ſuis, Archidiaconis ſuis, vel Decanis, ſuſtineat extorqueri.*

Albienſe, an. 1254. capit. 56. *Sanè cùm in collatione bonorum Eccleſiaſticorum haberi debeat principaliter ante oculos ſolus Deus: diſtrictè præcipimus & mandamus, ut omnia Eccleſiaſtica bona perſonis idoneis, & ſtatuto à Canonibus tempore conferantur, nullo præcepto vel promiſſo, remotis omni conditione & pacto, abſque omni diminutione, nova penſione in eiſdem ad opus conferentis, vel alterius non injecta, prout Canonicæ ſtatuunt ſanctiones: circa quæ fraudem quamlibet evitari prorſus volumus, & diſtrictè mandamus: firmiter inhibentes, ne reditus Eccleſiarum vacantium præſumat quiſquam, præ-*

terquam ipſius Eccleſiæ, quæ vacat, uſibus applicare, aut eaſdem bonis ſuis aliquibus ſpoliare. Si autem aliquis ſcienter contra fecerit, ipſorum beneficiorum, aliter quàm ſupradictum eſt collatorum, in pœnam ipſius conferentis & ejus qui recepit, ſic collata ad ſuperiorum collationem ea vice, tanquam vacantia, per ſtatutum hujuſmodi devolvantur.

Et Avenionenſe, à trium Provinciarum Præſulibus in monaſterio S. Rufi celebratum 18. Junij ann. Dom. 1326. cap. 28. *Item, quòd prioratus, ſeu alterius beneficij Eccleſiaſtici, facta cum novi cenſus impoſitione vel penſionis antiquæ augmentatione collatio, non valeat ipſo jure, & per proximum Superiorem, illa vice, perſonæ idoneæ ſine dicti oneris vitio conferatur, ac ſi ad eum propter negligentiam fuiſſet aliàs collatio dicti beneficij devoluta.* Eadem verba replicat aliud Avenionenſe Concilium ibidem à trium quoque Provinciarum Epiſcopis habitum an. 1337. cap. 33.

Vos jam Carnotenſes Archidiaconi convenio. Quo jure quibuſdam Archidiaconatuum veſtrorum ſacerdotiis impoſitos novos cenſus retinetis, quos tam multa Eccleſiæ Concilia condemnant? *Penſiones* vocatis cenſus illos; ſed numquid mutato nomine crimen excuſatur? *Penſiones* appellentur ſi vultis. Verùm quo præterea jure *penſiones* ex ejuſ-

modi ſacerdotiis poſſunt vobis aſſignari? Si quæ vobis antea fuerunt aſſignatæ, non potuiſſe niſi per *abuſum magnum* aſſignari, diſcite tandem aliquando ex *Concilio delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum, de emendanda Eccleſia, S. D. N. D. Paulo 3. ipſo jubente conſcriptum & exhibitum, anno 1538.* ubi legitur: *Alius abuſus cum beneficia conferuntur, ſeu cum ceduntur aliis, irrepſit in conſtituendis ſuper eorum fructibus, penſionibus. Imò quandoque cedens beneficio omnes ſibi fructus reſervat. Qua in re illud eſt animadvertendum, nulla alia de cauſa, nulloque alio jure penſiones conſtitui poſſe, niſi ut quaſdam eleemoſynas, quæ in pios uſus & indigentibus concedi debent. Nam reditus ſunt annexi beneficio ut corpus animæ: ideo ſuâ naturâ pertinent ad eum qui beneficium habet, ut poſſit ex eis vivere honeſtè pro ſuo ordine, ſimulque queat ſuſtinere impenſas pro divino cultu & templi, ſacrarumque ædium reparatione, ut, quod reliquum eſt, impendat in pios uſus. Hæc eſt enim natura eorum redituum. Verùm ſicut in rerum naturæ adminiſtratione, nonnulla fiunt à natura particulari præter inclinationem univerſalis naturæ: Sic in Pontifice, quoniam eſt univerſalis diſpenſator bonorum Eccleſiæ, ſi viderit eam fructuum portionem, quæ in pios uſus expendi debet, aut ejus partem in pium quempiam alium uſum ut expendatur*

magis expedire, poteſt procul dubio id facere. Ideo jure merito penſionem ponere poteſt ut ſubveniat egeno, præſertim Clerico, ut honeſtè queat vitam ducere pro ejuſdem ordine. Ideo omnes fructus reſervari, adimiq; id omne quod divino cultui ſuſtentationique habentis Beneficiũ tribui debet, magnus eſt abuſus. Itemq; penſiones dari Clericis divitibus, qui commodè & honeſtè vivere queunt ex reditibus quos habent, magnus certè abuſus, tollendus uterque.

Ex iis autem omnibus quæ tum in præſenti, cùm in proximè antecedenti capite à nobis commemorata ſunt; intelligitur, quænam conventi Carnotenſem inter Epiſcopum & Carnotenſes Archidiaconos initi, capita Simoniam redoleant, Conciliorúmque Canonibus ac Summorum Pontificum ſtatutis contraveniant. Duo quidem Carnotenſes Archidiaconi, Paulus Prevotius Major, & Johannes Amelotus Bleſenſis, privatis quibuſdam ex cauſis, neque Carnotenſi Epiſcopo, neque aliis quatuòr collegis ſuis conſenſere. At cùm eorum controverſia anno tantùm 1633. Magni Conſilii decreto compoſita ſit: cæterorum veró Archidiaconorum Carnotenſium conventus alio ejuſdem Magni Conſilii decreto ſtabilitus fuerit anno 1631. quandoquidem par erat omnium res, idémque jus, aliud in illorum favorem judicare anno 1633. noluerunt Magni Conſilii Senatores ampliſſimi, quàm quód in horum gratiam anno 1631. pronunciaverant, ne

ſecum pugnare viderentur, rémque judicatam antea contrario judicio reſcindere.

CAPUT VIII.

Eidem convento multiplicem abuſum eſſe probatur; atque ideo quibus confirmatur magni Conſilii decreta duo ſubreptitia eſſe. Tridentini Concilii autoritas adverſus Archidiaconos Carnotenſes vindicatur.

SEd ut ad conventum noſtrum revertamur, multiplicem illi abuſum ineſſe liquidò patet. Tunc enim abuſum eſſe nos Galli dicimus, cùm vel in Conciliorum canones ac ſanctorum Patrum decreta, vel in ſupremorum Tribunalium (quæ *Parlamenta* vulgò nominamus) ſtatuta, quidquam profertur. Ita quippe Carolus de Graſſaliis in lib. 2. *de jure liliorum*, cap. 7. ſcribit: *Quod attentatur in Francia contra Regis jura, ordinationes regias, decreta ſanctorum Patrum, privilegia & libertates Regni & regnicolarum, hoc vocatur in Francia abuſus notorius.* Ita Ægidius Burdinus in ſupremo Pariſienſi Senatu Regius & publicus cognitor, *Paraphraſi in conſtitutiones regias, de litibus brevi compendio decidendis, an. Domini* 1539. *promulgatas*, in artic. 6. 7. & 8. *Tribus potiſſimum formis appellatio* ab uſu *interponitur: puta ſi lis coram judice laïco*

pendeat, & judex Eccleſiaſticus in præjudicium illius quidquam moliatur tunc abuſus appellatur. Secunda ſpecies & forma eſt ſi contra leges & conſtitutiones regias & formã præſcriptam judex Eccleſiaſticus quidquam attentet. Tertiò ſi contra ſanctorum Canonum decreta, ſi contra Arreſta Curiæ judicium feratur, & prohibitiones in eis contentas & concluſas. His enim formis & ſpeciebus appellari ab abuſu certum eſt. Cùm itaque appellans cauſa vincit tunc malè & per abuſum pronunciatum ferunt. Ita Johannes Imbertus rerum capitalium apud Fontenaienſe in Pictonibus tribunal Quæſitor & Judex, in Enchiridii cap. 1. *Abuſum definimus cùm Præſules vel judices Eccleſiaſtici quidquam in perniciem Regiæ, vel laïcæ juriſdictionis, vel priſcam Franciæ immunitatem, aut libertatem, vel cùm laïci judices in Eccleſiaſticos aliquid moliuntur, vel ubi adverſus ſancta Conciliorum decreta aut Conſtitutiones regias, aut ſupremarum Curiarum placita, delinquitur..* Ita Philippus Probus Bituricus in *Additionibus ad Pragmaticam Sanctionem*. Tit. *De cauſis*, parag. *Si verò*, V. *In partibus. Quòd ſi aliter fiat, ab ea commiſſione in Gallia appellatur tanquam ab abuſu: quia commiſſio eſt facta contra Decreta, quod eſt medium unum appellandi tanquam ab abuſu. Secundum, ut aliis placet, ſi contra judicata Parlamentorum. Tertium ſi contra leges Principum proceda-*

tur ; & in pleriſque aliis modis ſolet eo appellari modo, & ferè in omnibus his quæ per judices Eccleſiaſticos etiam omnes Eccleſiæ Prælatos fiunt. Ita Paulus Foxius Archiepiſcopus Toloſanus & Henrici III. ad Gregorium XIII. Legatus, in Epiſtola 36. ad eundem Regem data anno 1582. die 2. Aprilis [a]. Ita Laurentius Bochellus in *Bibliotheca* ſeu *Theſauro Iuris Gallici*, lit. A. V. *Abuſus* [b]. Ita Ludovicus Rambergenſis in Auctuario ad laudatam antea Ægidii Burdini Paraphraſim. Ita denique Carolus Fevretus I. C. in Tractatus *De abuſu & vera cauſa appellationum eo nomine cauſa dona arum*, libro 1. cap. 6. num 1. editionis ſecundæ [c].

a Et à ce propos je luy diſois (*à Gregoire XIII.*) que les appellations comme d'abus n'eſtoient point receuës & pratiquées en France comme choſes deſirables, ni agreables : ains comme une medecine neceſſaire, pour remedier aux abus qui ſe commettoient quelquefois contre l'autorité des Roys, de leurs Ordonnances, & de leur Juſtice ; & contre les ſaints Decrets, dont les Rois de France ſont protecteurs.

b Abus eſt entendu quand les Prelats ou Juges Eccleſiaſtiques ordonnent ou entreprennent aucune choſe contre & au prejudice de la juriſdiction du Roi, ou autre juriſdiction laye ; ou contre les anciennes franchiſes, droicts, & libertez de l'Egliſe Gallicane ; ou contre les SS. Decrets & Conciles, deſquels le Roy eſt protecteur & garde ; ou contre les Ordonnances Royaux, & Arreſts de la Cour. Et pareillement quand les Juges Royaux ordonnent ou entreprennent aucune choſe contre & au prejudice de la juriſdiction ou ordre Eccleſiaſtique, s'en doivent relever les appellations en la Cour, & non ailleurs.

c L'abus en general s'étend à 3. ou 4. points principaux. Le 1. eſt quand il y a contravention aux SS. Conciles & anciens Canons. Le 2. quand il y a entrepriſe ſur les droicts du Roy & de ſa Couronne, & ſur la temporalité de ſon Royaume, liberté, paix, & tranquillité de l'Egliſe Gallicane, bien public dudit Royaume, & ſubjets d'iceluy. Le 3. quand il y a derogation aux

His adde Sacerdotiorum uniones prædicto convento memoratas, illis vocibus à Concilio Tridentino damnatas fuiſſe in ſeſſ. 24. *de reformatione*, cap. 13. *In unionibus quibuſlibet, ſive ex ſupradictis, ſeu aliis cauſis faciendis, Eccleſiæ parochiales monaſteriis quibuſcumque, aut Abbatiis, ſeu dignitatibus, ſive præbendis, Eccleſiæ Cathedralis vel collegiatæ ſive aliis beneficiis ſimplicibus, aut hoſpitalibus, militiisve, non uniantur.* Carnotenſes autem Archidiaconatus Carnotenſis *Eccleſiæ Cathedralis dignitates* ſunt.

Nullos porrò ſacerdotiorum fructus in ea conferentis utilitatem cedere poſſe, nulliſque novis cenſibus onerari ſacerdotia, apertis verbis declarant Concilia multa.

Lateranenſe 3. an. 1179. ſeu 1180. ſub Alexandro III. can. 7. *Prohibemus inſuper, ne novi cenſus ab Epiſcopis vel Abbatibus aliiſve Prælatis imponantur Eccleſiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum ſuis uſibus appropriare præſumant, ſed libertates quas ſibi majores deſiderant conſervari, minoribus quoque ſuis bona voluntate conſervent. Si quis autem aliter egerit, irritum quod fecerit habeatur.* Ad hujus Concilij mentem ita ad Archiepiſcopum Mediolanenſem ſcribit Innocentius III. Tit. unico: *Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. Non licuit ea pactione vel conventione quacumque ſub modo vel tenore*

præſcripto

præſcripto concedere nudum Officium & tibi retinere proventus: cùm in Lateranenſi Concilio prohibitum ſit, nequis conferendo Eccleſiaſticum beneficium, partem proventuum ſuis uſibus retinere præſumat, & alibi cautum reperiatur in canone, Quod Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione debent conferri.

Oxonienſe, an. 1222. cap. 3. *Adhæc ſtatuimus, ne Prælatus aliquis, cùm Eccleſiam contulerit aut præbendam, fructus ejuſdem Eccleſiæ ſive præbendæ nondum collectos ſibi præſumat aliquatenus uſurpare: vel pro inſtitutione, vel miſſione in poſſeſſionem, vel charta ſuper hoc facienda, aliquid audeat extorquere, nec ab Officiariis ſuis, Archidiaconis ſuis, vel Decanis, ſuſtineat extorqueri.*

Albienſe, an. 1254. capit. 56. *Sanè cùm in collatione bonorum Eccleſiaſticorum haberi debeat principaliter ante oculos ſolus Deus: diſtrictè præcipimus & mandamus, ut omnia Eccleſiaſtica bona perſonis idoneis, & ſtatuto à Canonibus tempore conferantur, nullo præcepto vel promiſſo, remotis omni conditione & pacto, abſque omni diminutione, nova penſione in eiſdem ad opus conferentis, vel alterius non injecta, prout Canonicæ ſtatuunt ſanctiones: circa quæ fraudem quamlibet evitari prorſus volumus, & diſtrictè mandamus: firmiter inhibentes, ne reditus Eccleſiarum vacantium præſumat quiſquam, præ-*

terquam ipſius Eccleſiæ, quæ vacat, uſibus applicare, aut eaſdem bonis ſuis aliquibus ſpoliare. Si autem aliquis ſcienter contra fecerit, ipſorum beneficiorum, aliter quàm ſupradictum eſt collatorum, in pœnam ipſius conferentis & ejus qui recepit, ſic collata ad ſuperiorum collationem ea vice, tanquam vacantia, per ſtatutum hujuſmodi devolvantur.

Et Avenionenſe, à trium Provinciarum Præſulibus in monaſterio S. Rufi celebratum 18. Junij ann. Dom. 1326. cap. 28. *Item, quòd prioratus, ſeu alterius beneficij Eccleſiaſtici, facta cum novi cenſus impoſitione vel penſionis antiquæ augmentatione collatio, non valeat ipſo jure, & per proximum Superiorem, illa vice, perſonæ idoneæ ſine dicti oneris vitio conferatur, ac ſi ad eum propter negligentiam fuiſſet aliàs collatio dicti beneficij devoluta.* Eadem verba replicat aliud Avenionenſe Concilium ibidem à trium quoque Provinciarum Epiſcopis habitum an. 1337. cap. 33.

Vos jam Carnotenſes Archidiaconi convenio. Quo jure quibuſdam Archidiaconatuum veſtrorum ſacerdotiis impoſitos novos cenſus retinetis, quos tam multa Eccleſiæ Concilia condemnant? *Penſiones* vocatis cenſus illos; ſed numquid mutato nomine crimen excuſatur? *Penſiones* appellentur ſi vultis. Verùm quo præterea jure *penſiones* ex ejuſ-

modi ſacerdotiis poſſunt vobis aſſignari? Si quæ vobis antea fuerunt aſſignatæ, non potuiſſe niſi per *abuſum magnum* aſſignari, diſcite tandem aliquando ex *Concilio delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum, de emendanda Eccleſia, S. D. N. D. Paulo 3. ipſo jubente conſcriptum & exhibitum, anno 1538.* ubi legitur: *Alius abuſus cum beneficia conferuntur, ſeu cum ceduntur aliis, irrepſit in conſtituendis ſuper eorum fructibus, penſionibus. Imò quandoque cedens beneficio omnes ſibi fructus reſervat. Qua in re illud eſt animadvertendum, nulla alia de cauſa, nulloque alio jure penſiones conſtitui poſſe, niſi ut quaſdam eleemoſynas, quæ in pios uſus & indigentibus concedi debent. Nam reditus ſunt annexi beneficio ut corpus animæ: ideo ſuâ naturâ pertinent ad eum qui beneficium habet, ut poſſit ex eis vivere honeſtè pro ſuo ordine, ſimulque queat ſuſtinere impenſas pro divino cultu & templi, ſacrarumque ædium reparatione, ut, quod reliquum eſt, impendat in pios uſus. Hæc eſt enim natura eorum redituum. Verùm ſicut in rerum natura adminiſtratione, nonnulla fiunt à natura particulari præter inclinationem univerſalis naturæ: Sic in Pontifice, quoniam eſt univerſalis diſpenſator bonorum Eccleſiæ, ſi viderit eam fructuum portionem, quæ in pios uſus expendi debet, aut ejus partem in pium quempiam alium uſum ut expendatur*

magis expedire, poteſt procul dubio id facere. Ideo jure merito penſionem ponere poteſt ut ſubveniat egeno, præſertim Clerico, ut honeſtè queat vitam ducere pro ejuſdem ordine. Ideo omnes fructus reſervari, adimiq; id omne quod divino cultui ſuſtentationique habentis Beneficiũ tribui debet, magnus eſt abuſus. Itemq; penſiones dari Clericis divitibus, qui commodè & honeſtè vivere queunt ex reditibus quos habent, magnus certè abuſus, tollendus uterque.

Ex iis autem omnibus quæ tum in præſenti, cùm in proximè antecedenti capite à nobis commemorata ſunt; intelligitur, quænam conventi Carnotenſem inter Epiſcopum & Carnotenſes Archidiaconos initi, capita Simoniam redoleant, Conciliorúmque Canonibus ac Summorum Pontificum ſtatutis contraveniant. Duo quidem Carnotenſes Archidiaconi, Paulus Prevotius Major, & Johannes Amelotus Bleſenſis, privatis quibuſdam ex cauſis, neque Carnotenſi Epiſcopo, neque aliis quatuòr collegis ſuis conſenſere. At cùm eorum controverſia anno tantùm 1633. Magni Conſilii decreto compoſita ſit: cæterorum verò Archidiaconorum Carnotenſium conventus alio ejuſdem Magni Conſilii decreto ſtabilitus fuerit anno 1631. quandoquidem par erat omnium res, idémque jus, aliud in illorum favorem judicare anno 1633. noluerunt Magni Conſilii Senatores ampliſſimi, quàm quòd in horum gratiam anno 1631. pronunciaverant, ne

ſecum pugnare viderentur, rémque judicatam antea contrario judicio reſcindere.

CAPUT VIII.

Eidem convento multiplicem abuſum eſſe probatur; atque ideo quibus confirmatur magni Conſilii decreta duo ſubreptitia eſſe. Tridentini Concilii autoritas adverſus Archidiaconos Carnotenſes vindicatur.

SEd ut ad conventum noſtrum revertamur, multiplicem illi abuſum ineſſe liquidò patet. Tunc enim abuſum eſſe nos Galli dicimus, cùm vel in Conciliorum canones ac ſanctorum Patrum decreta, vel in ſupremorum Tribunalium (quæ *Parlamenta* vulgò nominamus) ſtatuta, quidquam profertur. Ita quippe Carolus de Graſſaliis in lib. 2. *de jure liliorum*, cap. 7. ſcribit: *Quod attentatur in Francia contra Regis jura, ordinationes regias, decreta ſanctorum Patrum, privilegia & libertates Regni & regnicolarum, hoc vocatur in Francia abuſus notorius.* Ita Ægidius Burdinus in ſupremo Pariſienſi Senatu Regius & publicus cognitor, *Paraphraſi in conſtitutiones regias, de litibus brevi compendio decidendis, an. Domini* 1539. *promulgatas*, in artic. 6. 7. & 8. *Tribus potiſſimum formis appellatio ab uſu interponitur: puta ſi lis coram judice laïco*

pendeat, & judex Eccleſiaſticus in præjudicium illius quidquam moliatur tunc abuſus appellatur. Secunda ſpecies & forma eſt ſi contra leges & conſtitutiones regias & formã præſcriptam judex Eccleſiaſticus quidquam attentet. Tertiò ſi contra ſanctorum Canonum decreta, ſi contra Arreſta Curiæ judicium feratur, & prohibitiones in eis contentas & concluſas. His enim formis & ſpeciebus appellari ab abuſu certum eſt. Cùm itaque appellans cauſa vincit tunc malè & per abuſum pronunciatum ferunt. Ita Johannes Imbertus rerum capitalium apud Fontenaienſe in Pictonibus tribunal Quæſitor & Judex, in Enchiridii cap. 1. *Abuſum definimus cùm Præſules vel judices Eccleſiaſtici quidquam in perniciem Regiæ, vel laïcæ juriſdictionis, vel priſcam Franciæ immunitatem, aut libertatem, vel cùm laïci judices in Eccleſiaſticos aliquid moliuntur, vel ubi adverſus ſancta Conciliorum decreta aut Conſtitutiones regias, aut ſupremarum Curiarum placita, delinquitur.*. Ita Philippus Probus Bituricus in *Additionibus ad Pragmaticam Sanctionem*. Tit. *De cauſis*, parag. *Si verò*, V. *In partibus. Quòd ſi aliter fiat, ab ea commiſſione in Gallia appellatur tanquam ab abuſu: quia commiſſio eſt facta contra Decreta, quod eſt medium unum appellandi tanquam ab abuſu. Secundum, ut aliis placet, ſi contra judicata Parlamentorum. Tertium ſi contra leges Principum proceda-*

tur; & in pleriſque aliis modis ſolet eo appellari modo, & ferè in omnibus his quæ per judices Eccleſiaſticos etiam omnes Eccleſiæ Prælatos fiunt. Ita Paulus Foxius Archiepiſcopus Toloſanus & Henrici III. ad Gregorium XIII. Legatus, in Epiſtola 36. ad eundem Regem data anno 1582. die 2. Aprilis [a]. Ita Laurentius Bochellus in *Bibliotheca* ſeu *Theſauro Juris Gallici*, lit. A. V. *Abuſus* [b]. Ita Ludovicus Rambergenſis in Auctuario ad laudatam antea Ægidii Burdini Paraphraſim. Ita denique Carolus Fevretus I. C. in Tractatus *De abuſu & vera cauſa appellationum eo nomine cauſa donatarum*, libro 1. cap. 6. num 1. editionis ſecundæ [c].

a Et à ce propos je luy diſois (*à Gregoire XIII.*) que les appellations comme d'abus n'eſtoient point receuës & pratiquées en France comme choſes deſirables, ni agreables: ains comme une medecine neceſſaire, pour remedier aux abus qui ſe commettoient quelquefois contre l'autorité des Roys, de leurs Ordonnances, & de leur Juſtice; & contre les ſaints Decrets, dont les Rois de France ſont protecteurs.

b Abus eſt entendu quand les Prelats ou Juges Eccleſiaſtiques ordonnent ou entreprennent aucune choſe contre & au prejudice de la juriſdiction du Roi, ou autre juriſdiction laye; ou contre les anciennes franchiſes, droicts, & libertez de l'Egliſe Gallicane; ou contre les SS. Decrets & Conciles, deſquels le Roy eſt protecteur & garde; ou contre les Ordonnances Royaux, & Arreſts de la Cour. Et pareillement quand les Juges Royaux ordonnent ou entreprennent aucune choſe contre & au prejudice de la juriſdiction ou ordre Eccleſiaſtique, s'en doivent relever les appellations en la Cour, & non ailleurs.

c L'abus en general s'étend à 3. ou 4. points principaux. Le 1. eſt quand il y a contravention aux SS. Conciles & anciens Canons. Le 2. quand il y a entrepriſe ſur les droicts du Roy & de ſa Couronne, & ſur la temporalité de ſon Royaume, liberté, paix, & tranquillité de l'Egliſe Gallicane, bien public dudit Royaume, & ſubjets d'iceluy. Le 3. quand il y a derogation aux

Epiſcopi verò Carnotenſis & quatuor Carnotenſium Archidiaconorum conventum multa, non modò Conciliorum Canonibus ſanctorúmque Patrum decretis, ſed & Pariſienſis Curiæ placitis, adverſa complectitur.

Nam primò, conventum Carnotenſibus Archidiaconis quatuor, Officiales habendi poteſtatem impertitur: quod citatis ſupra in cap. 5. ſeptem Turonenſis provinciæ Conciliis damnatur, & contrario omnium ferè Gallicanæ Eccleſiæ diœceſeon uſu improbatur.

Secundò, conventum Carnotenſium quatuor Archidiaconorum Officialibus cauſarum quarumdam ad matrimonium ſpectantium cognitionem permittit. Atqui vetant hoc Concilium Turonenſe apud Vallem-Guidonis actum an. 1242. can. 4. Concilium Salmurienſe duplex, unum an. 1243. can. 8. aliud Provinciale an. 1253. can. 8. Concilium Provinciale Marciacenſe in Auſcitana diœceſi, an 1326. & Concilium Tridentinum in Seſſione 24. Decreto *de Reformatione*, cap. 20. quemadmodum in capite 4. diſſeruimus. Vetant etiam Pariſienſis Curiæ placita quatuor ibidem recenſita, una cum Redonenſis Senatus decre-

Concordats, Edicts & Ordonnances de nos Rois & Arreſts des Cours Souveraines. Et finalement quand il y a entrepriſe de la juriſdiction Eccleſiaſtique ſur la ſeculiere, ou de la ſeculiere ſur l'Eccleſiaſtique...... En un mot l'appel qualifié comme d'abus a lieu quand il y a entrepriſe de juriſdiction, attentat contre les ſtatuts anciens receus au Royaume, droicts, libertez, & immunitez de l'Egliſe Gallicane, Concordats, Edicts, & Ordonnances Royaux, & Arreſts des Cours de Parlements.

to,

to, cujus Tornetus meminit in litera A. num. 134.

Tertiò, conventum Archidiaconis Carnotenſibus quatuor, aut eorum Officialibus licere innuit graves cauſas civiles diſceptare. Non licere autem conſtat ex cap. *Adhæc*, Tit. *De Officio Archidiaconi*, ex cap. *Perlectis*, Diſt. 25. ex Synodi Santonenſis an. 1282. cap. 4. ex Synodi Exonienſis an. 1287. cap. 40. ex conventus Melodunenſis Conſtitutionibus, Tit. *de Eccleſiarum Viſitatione*, ex Statuto Ferdinandi Novavillæi Carnutum Epiſcopi, April. 17. an. 1673. & ex Senatus-conſulto Pariſienſi adverſus Pariſienſes Archidiaconos edito, uti jam animadvertimus in cap. 5. Neque verò id pedaneorum judicum appellatio patitur, cujuſmodi tamen ſunt Archidiaconi apud Canonici Juris interpretes.

Quartò, conventum Archidiaconis Carnotenſibus quatuor fas eſſe ait criminales cauſas judicare. Verùm reclamant Concilium apud Vallem-Guidonis can. 4. Concilium Salmurienſe an. 1243. can. 8. Concilium aliud Salmurienſe Provinciale, an. 1253. can. 8. & Concilium Tridentinum, ut & citatum modò Pariſienſe Senatus-conſultum.

Quintò, conventum Carnotenſes Archidiaconos quatuor non vult, niſi poſt menſes duos à peractis Viſitationibus ſuis, earum acta, quæ Barbari *proceſſus verbales* vocant, ad Epiſcopum Carnotenſem referre. Hoc autem

G

& Senatus-conſulto Pariſienſi ſæpius jam laudáto contravenit, & Concilio Tridentino in Seſſ. 24. Decreto *de Reformatione*, cap. 3. & Concilio Provinciali Remenſi an 1564. Statut. 18. & Conventui Melodunenſi an 1579. Tit. *de Eccleſiarum Viſitatione*; & Concilio Provinciali Rotomagenſi an. 1581. Tit. *de Epiſcopis & Capitulis*, num. 27. ac Tit. *de Epiſcoporum officiis*, num. 28. Et Concilio Provinciali Turonenſi an 1583. in Seſſionis apud Andes, Tit. *de juriſdictione & Viſitatione*; & Concilio Provinciali Bituricenſi an. 1584. Tit. 33. *De Viſitatione, procuratione & perſonis quibus tradita eſt poteſtas viſitandi*, can. 5. & Concilio Provinciali Toloſano an. 1590. part. 4. cap. 8. *De Viſitatione*, num. 20. his enim vel ſtatim atque completæ Viſitationes ſunt, vel uno ſaltem poſt menſe, præcipitur Archidiaconis ut Viſitationum ſuarum acta Epiſcopis dent in manus. Integra ejuſmodi Conciliorum teſtimonia poſtmodo repræſentabimus.

Interea loci facillimum obſervatu eſt, referto tot abuſionibus convento innixa Magni Conſilii Decreta duo ſubreptitia eſſe. Id enim ſubreptitium conficitur ex S. Leone Epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum Epiſcopum cap. 4. ex Symmacho Papa in Epiſt. 2. ad Æonium Arelatenſem Epiſcopum, atque ex aliis bene multis Romanis Pontificibus, quod ſacris Canonibus & Eccleſiaſticis inſtitutis adverſatur. Cujus profectò generis eſſe quæ expendimus Ma-

gni Conſilii placita liquet ex modò diſputatis, cùm Conciliorum & Juris Canonici effata apertiſſimè reclament. *Conſtitutiones* (inquit Hadrianus I. in Collectionis Canonum quam ad Angilramum Metenſem Epiſcopum miſit, cap. 36.) *contra Canones & Decreta Præſulum Romanorum, vel bonos mores, nullius ſunt momenti.* Et S. Gregorius Magnus in Epiſt. 7. ad Januarium Caralitanum Epiſcopum, lib. 7. Indict. 2. ſcribit, *Imperiali conſtitutione apertè ſancitum eſſe, ut ea quæ contra leges fiunt, non ſolùm inutilia, ſed etiam pro infectis habenda eſſe.* Quo conficitur ampliſſimorum, ſapientiſſimorúmque Magni Conſilii Judicum pietati ac religioni, ejuſmodi placitis egregiè fuiſſe impoſitum.

Jam amabo vos potuit-ne aliquo jure Carnotenſis Epiſcopus cum quatuor Carnotenſis Eccleſiæ Archidiaconis in id conſentire, ut conjugiales criminoſáſque controverſias, tam ipſi, cùm ipſorum Officiales diſceptarent, contraſtantibus Conciliis ac Pariſienſibus Senatuſconſultis pluribus, contraſtante etiam Concilio Tridentino in Seſſ. 24. Decreto *de Reformatione*, cap. 20. his verbis : *Non obſtantibus quòad omnia ſupradicta Privilegiis, Indultis,* CONCORDIIS, *quæ ſuos tantùm teneant Auctores, & aliis quibuſcunque conſuetudinibus ?* Potuit præterea in id conſentire ut civiles cauſas majores iidem Archidiaconi eorúmque Officiales judicarent, nec niſi

duobus poſt expletas Viſitationes menſibus, Viſitationum ſuarum acta ſibi exhiberent, contraſtantibus Tridentino aliiſque multis Conciliis, contraſtantibus denique variis Pariſienſis Curiæ decretis? Sanè ſi conſentire potuit, ſucceſſores ſuos obligare non potuit, quandoquidem ejuſmodi *Concordiis ſuos tantùm teneri Auctores* explicatè & diſtinctè declarat Concilium Tridentinum.

Quis ergo verè pius & Chriſtianus Tridentino potiùs Concilio conjugialium criminoſarúmque litium judicio Archidiaconis omnibus interdicenti, auctoritatem non adjunget, quàm laudato ſæpius conventui, & duobus etiam Magni Conſilii ſanctionibus? Conventus & ſanctiones hujuſmodi quo denique numero eſſe poſſunt præ Concilii Tridentini (aliorum enim Conciliorum ac Senatus Pariſienſis decreta lubens heic omitto) ſtatutis, ſive contra Gallicanæ Eccleſiæ quas appellant *Libertates*, ſive contra Chriſtianiſſimi Regis ipſiúſve regni jura, nihil quidquam adſtruentibus? Ejus porrò ordinis ſunt quæ Archidiaconis conjugialium ac criminoſarum cauſarum cognitionem abjudicant. Quotquot enim è noſtratibus Concilii Tridentini conſtitutiones, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, ſcriptis ſuis exagitarunt, ne verbum quidem de iis habuere, quæ Archidiaconos ejuſmodi controverſiarum cognitione abigunt. Cujus quidem rei fidem facit haud dubium impius ille ac te-

merarius Caroli Molinæi *De non recipiendo Concilio Tridentino* libellus in centum articulos diſtributus. Facit Guidonis Coquillii Romeneii Tractatus ita inſcriptus vernaculè, *Du Concile de Trente, & de la reception & publication d'iceluy*; ac tomo primo ejus operum publicæ luci datus Pariſiis an. 1665. facit ſcriptio edita anno 1615. ſub hoc titulo: *Diſcours ſur la reception du Concile de Trente.* Facit Commentariolus hac inſcriptione donatus; *Extrait de pluſieurs articles du Concile de Trente, contraires aux droits des Rois de France, libertez de l'Egliſe Gallicane, Privileges & Exemptions des Chapitres, Monaſteres & Communautez*; & eodem anno 1615. in lucem emiſſus. Faciunt denique cetera omnia ſimilis argumenti ſcripta quæ in ingentibus *Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ*, earumque *Probationum* voluminibus legere eſt.

Sed iſta dum percenſeo nefas fuerit non dixiſſe, tantum abeſſe ut quæ à Concilio Tridentino de Archidiaconis ipſorúmque juriſdictione ſunt præſtituta, Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, ac Chriſtianiſſimi Regis, ipſiúſque imperii juribus aliquo pacto obſiſtant, ut contrà idem propemodum omnino à Senatu Pariſienſi, acerrimo illo Gallicanæ Eccleſiæ libertatum ac Gallicani regni jurium vindice, ſæpenumero judicatum ſit, uti ſuperiùs citata demonſtrant Decreta.

Ergo cùm omnibus, præſertimque Pariſienſi

Senatui probata fuerint hactenus quæ in Concilii Tridentini Seſſ. 24. cap. 20. & Seſſ. 25. cap. 14. de Archidiaconorum circa criminoſas ac conjugiales cauſas auctoritate ſtatuuntur, quâ æquitatis ſpecie convento Simoniæ leprâ infecto, & abuſibus pleno, ac duplici Magni Conſilii placito huic innixo, tectis Carnotenſibus Archidiaconis minimè probantur, niſi quia ſpectabilior eſt apud eos belli hujus conventi & Magni Conſilii, quàm Tridentinæ Synodi vis, fides, exiſtimatio? Bona verba! Qui ſic ſentiunt, an ſapienter & Chriſtianè ſentiunt?

Sed (inquient) ita poſſidemus: ita deceſſoribus noſtris ab Epiſcopo Carnotenſi conceſſum fuit: ita juſſit Magnum Concilium. Juſſit, fateor. At quo firmamento juſſit? Nimirum quia ſic ab anno 1630. inter ſe ſe pacti fuerant Carnotenſis Epiſcopus & quatuor Carnotenſis Eccleſiæ Archidiaconi. Verùm quàm perperam pacti ſint inter ſeſe, fuſiùs jam expoſitum eſt, per abuſum videlicet & Simoniam.

Unum fortean erit adhuc quod ad Tridentini Concilii auctoritatem reſpondeatur; illud nempe in Galliis non fuiſſe promulgatum. At meliora de Archidiaconis cogito quàm ut eos putem huic reſponſionis generi aſſenſum daturos ſuum; cùm neſcire non debeant in Generalibus Cleri Gallicani conventibus Lutetiæ Pariſiorum habitis an. 1615. nonis Iuliis, procurante præ ceteris Eminentiſſimo Cardinali

Franciſco Rupifucaldo, communi Gallicanæ Eccleſiæ Pontificum confirmatione receptum fuiſſe atque approbatum [a]. Illud autem quamvis apertè non confirmarint Reges Chriſtianiſſimi, ipſorúmque Judices ac Magiſtratus, pleráque tamen illius decreta, quæ ad Eccleſiaſticum regimen attinent, cùm Carolus IX. ante completum omnino Concilium, & poſt finitum illud omnino, Henricus III. ſuas in

a Les Cardinaux, Archeveſques, Eveſques & autres Eccleſiaſtiques ſous-ſignez, repreſentans le Clergé general de France aſſemblé par la permiſſion du Roy au Convent des Auguſtins à Paris; Apres avoir meurement deliberé ſur le ſujet de la publication du S. Concile de Trente, ont unanimement reconnu & declaré, reconnoiſſent & declarent eſtre obligez par leur devoir & conſcience à recevoir, comme de fait ils ont receu & reçoivent ledit Concile, & promettent l'obſerver entant qu'ils le peuvent par leurs fonctions & autorité ſpirituelle & paſtorale. Et pour en faire une plus ample, plus ſolemnelle & particuliere reception, ſont d'avis que les Conciles Provinciaux & toutes les Provinces Metropolitaines de ce Royaume doivent eſtre convoquez & aſſemblez en chacune Province dans ſix mois au plus tard; & que Meſſieurs les Archeveſques & Eveſques abſens en doivent eſtre ſuppliez par lettres de la preſente Aſſemblée, conjointes aux copies du preſent Acte: pour en iceux Conciles Provinciaux eſtre ledit Concile de Trente receu, avec injonction de le recevoir cy-apres aux Synodes de tous les Dioceſes particuliers, ſuivant la deliberation des Eſtats Generaux du Royaume, dont l'article eſt inſeré au pied du preſent Acte. Et que au cas que quelque empeſchement retarde l'Aſſemblée deſdits Conciles Provinciaux dans le temps ſuſdit, ledit Concile ſera neantmoins receu auſdits Synodes dioceſains premiers ſuivans, & obſervé par leſdits Dioceſes. Ce que leſdits Prelats & autres Eccleſiaſtiques ſouſſignez ont promis & juré de procurer & faire effectuer à leur poſſible Fait en l'Aſſemblée generale dudit Clergé tenuë aux Auguſtins à Paris, le 7 jour du mois de Juillet l'an 1615. *Reſolution de l'Aſſemblée du Clergé de France Elle eſt rapportée par Loüis Odeſpun dans ſa Collection des derniers Conciles de France, & ſouſcrite par 53. tant Cardinaux, qu'Archeveſques & Eveſques, & par 30. autres Eccleſiaſtiques du 2. Ordre.*

conſtitutiones tranſtulerint, ille in Aurelianenſibus, hic in Bleſenſibus comitiis, quemadmodum ex mutua earum conſtitutionum, cum Concilii Tridentini decretis collatione planum fit, tacitè confirmaſſe cenſendi ſunt.

Huc poſtremo loco accedit, Concilii Tridentini, de quibus agitur, ſtatuta nihil Chriſtianiſſimi Regis, aut Chriſtianiſſimi regni juribus, nihil Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus contrarium habere, ſicut antea obſervatum eſt; ideoque non eſſe cur reiiciantur, etiam ſi quædam alia viderentur reiicienda. Sed hæc hactenus. Nunc ad reliquas Archidiaconorum injurias redeo, quas conſuetudinis pallio obvelant.

CAPUT IX.

Archidiaconi quidam Archipreſbyteros ſeu Decanos rurales ſoli inſtituunt & abdicant ſoli; ſed hoc ipſis niſi ex Epiſcoporum conſenſu non licet, ſine quorum præterea auctoritate nihil eos agere oportet. Carnotenſes Archidiaconi ſacerdotiorum quorumdam proventus jure caduci *ſeu* deportus, *percipiunt, nulla æquitatis ſpecie.*

V. NONNULLIS Archidiaconis in more poſitum eſt, ut Archipreſbyteros ſive Decanos rurales ſoli deligant, ac ſoli ſuo mu-

nere depellant; Et tamen in cap. *Adhæc*, Tit. *De officio Archidiaconi* Innocentius III. Romanus Pontifex, neutrum ab ipſis præſtari poſſe, niſi conſentientibus Epiſcopis, ita tradit: *Subſequenter poſtea quæſiviſti, utrum Decani rurales qui pro tempore ſtatuuntur, ad mandatum tuum ſolum, vel Archidiaconi vel etiam utriuſque, inſtitui debeant vel deſtitui, ſi fuerint amovendi? Ad hoc breviter reſpondemus, quòd cùm ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat, & commune eorum Decanus officium exerceat: communiter eſt eligendus, vel etiam amovendus.* Multo ante Innocentium III. tempore præceperat Archidiaconis ſuis Hincmarus Remenſis Antiſtes, ut ſi fortè Decanum aliquem eligerent, ejus electionem ad ſe referrent, quò vel confirmaretur, vel immutaretur. *Si Decanus* (inquit Capitulis datis an. 877. 5. Idus Jul. Gunthario & Odelhardo Archidiaconibus Preſbyteris, Capitul. 13.) *in miniſterio veſtro aut negligens, aut inutilis & incorrigibilis fuerit, vel aliquis eorum obierit, non inconſideratè Decanum eligite. Et ſi ego in longinquo ſim, Decanum illum qui electus eſt interim conſtituite, donec ad meam notitiam electio illa referatur, ut mea conſtitutione aut confirmetur, aut immutetur.*

Sed neque quidquam aliud, ſaltem quod alicujus ſit ponderis ac momenti, abſque

Epiſcoporum auctoritate Archidiaconi præſtare poſſunt. Idcirco enim in cap. *Adhæc*, Tit. *De Officio Archidiaconi*, in cap. *Perlectis* 25. Diſt. in Synodo Exonienſi an. 1287. cap. 40. & in Conventus Melodunenſis conſtitutionibus, Tit. *De Eccleſiarum Viſitatione*, graviora negotia jubentur ad *Ordinarium* ſeu Epiſcopum referre. Et in Concilij apud Vallem Guidonis can. 4. dicuntur *ab Eccleſiaſtico ordine ad relevamen & ad ſubſidium Epiſcoporum electi*. Ac dum in Concilij Cabilonenſis II. canone 15. decernitur, ut *quod ab Epiſcopis eis injungitur, hoc per parochias ſuas exercere ſtudeant, nil per cupiditatem & avaritiam præſumentes*: ipſorum munus ad id unum videtur devolvi ut Synodorum ac Epiſcoporum Statuta curent obſervari, quod optimè eſt ab Illuſtriſſimo Ferdinando Novavillæo, Carnotenſi Epiſcopo obſervatum, in decreto an. 1673. April. 17. ubi *in hoc maximè poſitum Archidiaconorum Officium* teſtatur, *ut Epiſcopalium conſtitutionum obſervationi invigilent, ac Promotorum inſtar videant ne quis illis contraveniat*. Eóque ſenſu Petrus de Alliaco Cardinalis & Epiſcopus Cameracenſis in conſideratione 5. libelli *de Reformatione Eccleſiæ*, ipſos ait, *ab Eccleſia inſtitutos eſſe ut ſerviant Epiſcopis*. Quò etiam videntur reſpexiſſe Conventus Melodunenſis Patres, ubi in citato mox loco Archidiaconorum eſſe

conſtituerunt, *operam dare ut ea quæ in Viſitatione per Epiſcopum ſtatuta ac præcepta ſunt, perficiantur: ac de iis quæ vel obſervata, vel neglecta & omiſſa fuerint, cauſiſque ac excuſationibus hominum pervicacium, ſtatutis non obedientium, Epiſcopum certiorem faciant.*

Quare ſi quid præterea ſanciant Archidiaconi, extra poteſtatis ſuæ cancellos fieri, in alieno choro (ut proverbio dicimus) pedem ponere, hoc eſt, aliorum ſibi vendicare partes, ſacri canones profitentur. Cui malo mederi volens Synodus Ciceſtrenſis, an. 1289. ſub Gilberto Epiſcopo Ciceſtrenſi, ſtatutum illud in cap. 26. edidit: *Volentes ut unicui ne quod ſuum eſt, conſervetur legitimè ſtatuimus ut Archidiaconi & alij qui alicui juriſdictioni præeſſe videntur, taliter ſuis finibus ſint contenti, ne quid in præjudicium Epiſcopalis dignitatis noſtræ, aut poſſeſſionis, ſeu conſuetudinis Ciceſtrenſis Eccleſiæ diu obtentæ & approbatæ, temerè audeant attentare.* Fas fuerit Judæos *dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus*, (quemadmodum eos appellat S. Stephanus in cap. 7. Actorum Apoſtolicorum) gravi variorum præceptorum mole onerafſe. Chriſtianis verò & quidem ſacerdotibus ac Parœcis Moſaïcæ Legis ſervitute liberatis, & Chriſti *ſuave jugum onuſque leve* amplexis, quid opus eſt tot leges figere, cùm vel apud Ethnicos, legum multi-

tud ni incommodationis ac vitioſitatis aliquid ineſſe, in confeſſo ſit. Unde non minùs verè quàm ſapienter à Cor. Tacito pronunciatum videtur in lib. 3. Annalium cap. 5. *Vt ante hac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Iamque non modò in commune, ſed in ſingulos homines lata quaſtiones: Et corruptiſſima republica plurima leges.* Quod facili negotio ad quorumdam Archidiaconorum rogatiunculas deflecti poteſt ac detorqueri.

Itaque ſi conſtitutiones à Synodalibus ac Epiſcopalibus diverſas Archidiaconi promulgent, ſui ipſorum muneris obliviſcuntur, & in Epiſcoporum juriſdictionem irruunt, quorum in Viſitationibus ſuis vices gerunt tantùm, quorum unas proponere debent ſanctiones, earumque obſervantiæ invigilare, & à quibus unis ſuam omnem auctoritatem mutuantur, ſicut Eccleſiæ Canonibus eſt deliberatum. Hinc in Tit. *De Officio Archidiaconi*, cap. *Vt Archidiaconus*, legitur: *Archidiaconus poſt Epiſcopum ſciat ſe Vicarium eſſe ejus in omnibus, & cuncta qua emendatione indigent ad vicem ſui Epiſcopi corrigat & emendet.* Et in cap. *Ad hac: In Epiſtola B. Clementis Papa prædeceſſoris noſtri*, Oculus Epiſcopi *Archidiaconus appellatur, ut loco Epiſcopi per Epiſcopatum proſpiciens, qua corrigenda viderit corrigat & emendet.* Hinc etiam in Concilio apud Vallem-Guidonis can. 4. Archidiaconi di-

cuntur ab *Eccleſiaſtico ordine ad relevamen & ſubſidium Epiſcoporum electi, & ſanctorum Patrum Canonibus decreti, ut quod per ſe ipſos non poſſent* Epiſcopi, *faciliùs cognoſcentes, per alios explicarent.*

Quo igitur jure novas conſtitutiones edere poſſunt Archidiaconi, inſciis ac contradicentibus Epiſcopis, ſine quibus nihil ardui agere, nihil alicujus momenti moliri omnino debent,& ad quos omnia referant? S. Clemens Romanus, ſeu alius quiſpiam antiquus Scriptor, in lib. 2. *Conſtitut. Apoſt.* cap. 35. decrevit his verbis: *Nihil agat Diaconus ſine Epiſcopo, nec cuiquam quidquam det, niſi de illius ſententia.* Et cap. 48. *Omnia quidem Diaconus ad Epiſcopum referat, ut Chriſtus ad Patrem refert: ſed quæ po eſt ipſe, per ſe gubernet, accepta ab Epiſcopo poteſtate, ut Dominus à Patre & creandi & providendi poteſtatem accepit. Graviora Epiſcopus judicet. Verùm eſto Diaconus Epiſcopi auditus, oculus, os, cor, anima. Ne ſit in multis Epiſcopus ſollicitus, ſed tantùm in præcipuis.* Quòd ſi Archidiaconos nihil poſſe conſtat niſi fautrix adjutrixque accedat Epiſcoporum auctoritas; cujus denique roboris eſſe valent inſtituta ejuſmodi auctoritate carentia? Si præterea contingat inſtituta illa Epiſcoporum præceptis eſſe contraria, an non altare adverſus altare erigi videbitur,

Infeſtiſque obvia ſignis
Signa, pares aquilæ, piliſque minantia pila.

Ut Lucani verbis utar in libro 1. Pharſaliæ? Illud verò eſt quod Milo Ilerenſis, Epiſcopus Carnotenſis vetat in præceptis Synodalibus anno 1489. rubrica 9. *de excommunicatis*, ubi ait: *Item cùm ad nos & prædeceſſores noſtros Epiſcopos Carnotenſes ſolùm & in ſolidum de jure & conſuetudine in noſtris civitate & diœceſi Carnotenſi pertinuerit & pertineat Statuta condere, hinc eſt quòd omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis nobis ſubditis ac eorum loca tenentibus inhibemus, ne ipſi aliqua Statuta, niſi auctoritate noſtra vel prædeceſſorum vel ſuperiorum noſtrorum quorum & prout jure competit, fuerint condita, recipiant vel obſervent.*

VI. Subjectorum ſibi ſacerdotiorum (quamdiu de iis pacificè poſſidendis lites ſunt ſub judice) *jus caduci* ac *deportus*, ſeu *juſta caducaria*, ut Renatus Chopinus vocat in lib. 1. *de ſacra politia* Tit. 8. ex conſuetudine percipiunt Archidiaconi Carnotenſes, nullo per ſe ſacerdotiis ejuſmodi miniſterio exhibito, ſed per ſacerdotes tantùm mercenarios ac conductitios, quibus, quam minimam poſſunt, annuorum proventuum portionem dimittunt, quod reliquum eſt, ſibi retento. Verùm qua ratione *caducariæ* illæ *ſacrorum redituum perceptiones* otioſis Ar-

chidiaconis debeantur, non rectè intelligo. Cùm enim ut quis ſacerdotij alicujus fructibus legitimè potiri queat, ad *reſidentiam*, quemadmodum nominant, tot Conciliorum Canonibus commendatam, totque Pontificum decretis imperatam, jure divino teneatur, qua fide Carnotenſes Archidiaconi Carnoti commorantes ac reſidentes, longè poſitorum ſacerdotiorum proventus poſſunt ſibi contra Conciliorum Pontificumque præſcripta vendicare? Numquid videntur iiſdem vocibus poſſe compellari, quibus S. Bernardus in Epiſtola 387. Odonem Majoris Monaſterij Abbatem, ejuſque Monachos alloquitur? *Qua audacia, ô* Archidiaconi *præſumitis ſeu vinum de vinea quam non plantaſtis, ſeu lac de grege quem non paſcitis? Quo pacto ibi exigitis, ubi nihil exhibetis? Certè ſi ita vultis, baptizate naſcentes, ſepelite morientes, viſitate jacentes, copulate nerentes, inſtruite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contemnentes, abſolvite reſipiſcentes, reconciliate pænitentes..... Sic fortaſſe dignum ſe probabit mercenarius mercede ſua. Alioquin invidioſum admodum eſt velle metere ubi non ſeminaveris, ſed & colligere quod alius ſparſerit, etiam injurioſum.*

CAPUT X.

Synodos, ſeu potiùs ſupplicationes ſolemnes, diebus feſtis indicunt per conſuetudinem Archidiaconi quidam, ac præ ceteris Carnotenſis Archidiaconus major. Unde duo maxima conſequuntur incommoda.

VII. ARCHIDIACONI quidam ex conſuetudine ſolemnes ſupplicationes, quas corruptè Synodos nominant, diebus feſtis indicunt alios quandoque feſtos dies proximè ſequentibus: illiſque ſupplicationibus ſubjectos ſibi Parœcos, quantumvis locorum intervallo maximè disjunctos, intereſſe compellunt, etiam propoſitâ multâ. Sic Carnotenſis Eccleſiæ Major Archidiaconus ſupplicationem ſuam, ſeu Synodum, habet feria 3. poſt feſtum Pentecoſtes.

Hinc autem duo graviſſima mala eveniunt. Alterum quòd Parœciæ complures, ac præſertim procul ab Epiſcopalibus urbibus poſitæ, ſine ullis ſacerdotibus biduum vel triduum maneant: poſſintque idcirco Chriſtiani populi abſque neceſſariis Sacramentis ex hac vita migrare. Alterum, quòd in iis Eccleſiis, quibus adminiſtrandis unicus Preſbyter præficitur (quarum longè major eſt numerus) ſacrum hiſce diebus nullum celebretur; in illis

illis verò, ubi duo Preſbyteri commorantur, unum quidem ſacrum peragatur, ſed cui dimidia tantummodo Parœcianorum pars adſiti ſicque plebs fidelis divino & Eccleſiaſtico audiendæ feriaticis temporibus miſſæ præcepto ſatisfacere nequeat, & uberrimo tremendi ſacrificij fructu privetur, ut Parœcos ad ſupplicationes ſuas vocantibus Archidiaconis fiat ſatis.

Ita porrò ferre conſuetudinem cauſantur Archidiaconi. Ego verò non conſuetudinem, ſed abuſum potiùs & corruptelam puto; nec injuriâ Parœcos Archidiaconis ea in re poſſe reſpondere, quod Principi Sacerdotum Petrus & Apoſtoli in cap. 5. act. Apoſtolic. ita dixerunt: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

Diœceſanis Synodis Parœcos adeſſe præcipiunt Eccleſiæ Pontifices, alij ſemel, alij bis in anno, rariùs alij: ſed feſtis diebus adeſſe non præcipiunt.

Rotomagi, *ſi feſtum omnium Sanctorum evenerit in die Sabbati, vel in die Dominica, aut die Lunæ, celebratur Synodus Hiemalis die Iovis immediatè ſequenti. Si alio die evenerit, celebratur die Martis ſubſequenti*, ut habet antiquum Rotomagenſis Eccleſiæ Rituale, in Synodo autumnali Rotomagenſi an. 1631. ſub Franciſco Harlæo Campo-valonio Rotomagenſi Archiepiſcopo, laudatum, mandato 1.

H

Cœnomani *Synodus æſtivalis* (ut legitur in *libro Synodali Epiſcopatus & diœceſis Cœnomanenſis correcto an. Domini 1489.) habet celebrari die Iovis quæ proximè ſequitur Pentecoſten; Et ſimiliter hiemalis die Iovis poſt feſtum beati Lucæ Evangeliſtæ.*

Sancta ſedis Biſuntinenſis Archiepiſcopi (inquit Claudius à Bauma & ipſe Biſuntinenſis Archiepiſcopus in Statutis Synodalibus Lugduni editis an. 1575. Tit. *De Synodo*, ſtatuto 1.) *celebrare duas ſynodos ſingulis annis conſueverunt; primam quidem in ſeptima & ultima hebdomada Paſchalis ſolemnitatis, in die videlicet Martis ante feſtum Pentecoſtes: alteram verò in menſe Octobri, die mercurij poſt feſtum beati Lucæ Evangeliſtæ.*

Burdigalæ Synodum diœceſanam haberi ſtatuit in Synodo Burdigalenſi an. 1608. diebus 22. & 23. Aprilis, Cardinalis Surdiacus, Burdigalenſis Archiepiſcopus, [a] *diebus Martis poſt Dominicam 2. poſt Paſcha, & feſtum S. Lucæ; Blaviæ verò diebus Martis poſt Dominicam 2. poſt Paſcha & feſtum S. Lucæ proximè ſequentibus*, quemadmodum ex ejuſ-

[a] Ordonnons que deſormais le Synode dioceſain ſe tiendra le Mardy apres le Dimanche de l'Evangile, *Ego ſum Paſtor bonus*, en la preſente ville comme de coutume. . . . Et le Mardy enſuivant le Synode ſe tiendra à Blaye comme à l'accoutume .. Comme auſſi nous ordonnons que deſormais ledit Synode ſe tiendra en la preſente ville, le Mardy d'apres la feſte de ſaint Luc, & le Mardy enſuivant audit Blaye, le tout en la ſudite forme & maniere.

dem Cardinalis conſtitutionibus Gallicè evulgatis intelligitur, Tit. 27.

Cameraci *ex antiqua & laudabili conſuetudine* (inquiunt decreta Synodi diœceſanæ Cameracenſis an. 1604. Tit. 24.) *Synodus & congregatio Decanorum Chriſtianitatis ad diem S. Remigij in capite Octobris quotannis haberi ſolet*; quem diem Cameraci profeſtum eſſe ex citatę Syn. Tit. 4. cap. 5. & 6. conſtat.

Apud S. Briocum [a] *Synodus Epiſcopalis ab omni ævo* (ut ait Melchior Marconnæus Briocenſis Epiſcopus in Statutis Synodalibus an. 1606. ſtat. 1.) *in Epiſcopali Briocenſis civitatis Eccleſia frequentatur bis in anno, nempe die Iovis proxima poſt Pentecoſten, & feria quinta quæ feſtum S. Lucæ in menſe Octobri antecedit.*

Nanneti Synodus peragitur die Jovis proxima poſt Pentecoſten, uti notat Gabriel Bellovellus Nannetenſis Epiſcopus in Decretis & ſtatutis Synodalibus diœceſis Nannetenſis an. 1642. [b]

[a] Le Synode Epiſcopal ſe celebre de toute antiquité en noſtre Egliſe Epiſcopale en la ville de S. Brieu deux fois par chacun an, ſçavoir le Jeudy des feries de Pentecoſte & le Jeudy precedent la feſte de S Luc au mois d'Octobre.

[b] Nous ordonnons que tous nos Archidiacres, Promoteur & deputez des Chapitres, Recteurs, Prieurs-Curez, Vicaires perpetuels & autres de noſtre Dioceſe qui ſont tenus de comparoiſtre à noſtre Synode, ſe rendront le Jeudy matin d'apres la Pentecoſte en noſtre Egliſe Cathedrale, ou telle autre que nous deſignerons, ſelon que nous le jugerons eſtre expedient, pour aſſiſter à la proceſſion, grande meſſe & autres ceremonies ordinaires dudit Synode.

Graſſæ Synodus cogitur die Martis hebdomadæ ſecundæ poſt Paſcha, ut auctor eſt Antonius Godellus Graſſenſis & Vencienſis Epiſcopus, Tit. 2. *Ordinationum & inſtitutionum Synodalium*, num. 1. [a]

Senonis Synodus *ſingulis annis die Martis ante Pentecoſten celebratur*, ex Synodalibus ſtatutis diœceſis Senonenſis, an. 1524. ſub Stephano Poncherio Senonenſi Archiepiſcopo, & an. 1554. ſub Ludovico Epiſcopo Præneſtino, Cardinali à Borbonio & Archiepiſcopo Senonenſi.

Pariſiis indicebatur olim Synodus *bis in anno videlicet* die *Iovis poſt Dominicam* de miſericordia, *&* die *Iovis poſt feſtum S. Lucæ*, ut ait idem Stephanus Poncherius Pariſienſis Epiſcopus, in ſtatutis Synodalibus Pariſienſis diœceſis, an. 1515. rubrica 1. Nunc autem ſemel tantùm, ex ſtatuto 9. [b] Synodi Pariſienſis anni 1673. & *Ordine Cæremoniarum in Synodo Pariſienſi ſervandarum.* [c] Nempe die Jovis poſt primam menſis Julij Dominicam, ad quam diem, ut pote nullo ſolemni feſto impeditam, ab Illuſtriſſimo Pariſienſium Archiepiſcopo Franciſco Harlæo

a Le jour deſtiné pour tenir le Synode du Dioceſe de Graſſe eſt le Mardy de la ſeconde ſemaine d'apres Paſques.

b Tous les Curez & autres Beneficiers. . . . ſe trouveront avec tous les Curez de la ville & banlieuë à noſtre Synode general que nous tiendrons toûjours à l'avenir le Jeudy d'apres le premier Dimanche du mois de Juillet.

c Le Synode ſe doit tenir le Jeudy d'apres le premier Dimanche du mois de Juillet.

Campo-valonio revocata eſt.

Aureliæ *quotannis ad feriam tertiam ante feſtum Pentecoſtes Synodum ineundam celebrandámque decrevit* in Codice ſtatutorum Synodalium diœceſis Aurelianenſis Alphonſus Delbenes Aurelianenſis Epiſcopus, an. 1664. Tit. 1. *De Synodo diœceſana*, ſtatuto 1. Quamquam *die Mercurii poſt feſtum Pentecoſtes celebrandam* illam ſanxerit Germanus Valens Guellius, itidem Epiſcopus Aurelianenſis in ſtatutis Synodalibus an. 1587. Tit. 1. *De Synodali evocatione*.

Meldis ad *diem Iovis intra jejunia Quatuor Temporum menſis Septembris*, quondam indicebatur Synodus, ut habent ſtatuta Synodalia Johannis Olearii Meldenſis Epiſcopi, an. 1493. evulgata. Nunc autem die Jovis prima Septembris agitur, modò tres occurrant dies profeſtæ.

Carnotenſis Epiſcopus Synodum evocabat olim *ſingulis annis feria 4. poſt feſtum S. Lucæ*, quemadmodum tres Epiſcopi Carnotenſes conteſtantur, Millo Ilerenſis *in Conſtitutionibus & Ordinationibus Synodaticis, an* 1489. Ludovicus Guillardus in *Conſtitutionibus Synodalibus* an. 1550. Tit. 2. & Nicolaus Thuanus initio *Normæ piè vivendi præſcriptæ Parochis Carnotenſibus in Synodo diœceſana* 1575. & in ſtatutis Synodi an. 1587. Tit. *Ordo obſervandus in celebratione Synodi Carnotenſis*.

Carnotenſis Eccleſiæ Capitulum obnoxios

ſibi Parœcos quotannis ad Synodum invitat feria 4. poſt feſtum Pentecoſtes.

Promptum eſſet diœceſes alias recenſere, quæ Synodos ſuas habent diebus profeſtis, niſi in re tam perſpicua lectoris otio ac patientia abuti metueremus. Pauca quæ in hanc rem adduximus liquidò commonſtrant, Archidiaconorum Synodos ſeu ſupplicationes, Epiſcopalibus Synodis nullomodo comparabiles, feſtis temporibus depravate frequentari. Quare culpâ vacare apud Deum non mihi videntur Archidiaconi, qui perſpectis hujuſmodi ſupplicationum detrimentis, has alios in dies aptiores & commodiores transferri non curant. Multóque minùs excuſandi videntur qui Parœcos, quòd ejuſmodi ſupplicationibus non adſint, pecuniâ multant. Quaſi verò qui bene agit multandus. Quaſi verò ea agendi ratione latiſſimam abuſionibus feneſtram non aperiant Archidiaconi. Quaſi verò damnari jure ac merito poſſint Parœci, quòd totius Eccleſiæ præceptis potius quàm Archidiaconorum mandatis, obſequentes ſe præbuerint. Si enim Chriſtianos populos ſingulis diebus feſtis (niſi legitima accedat excuſatio) ſacro intereſſe præcipit univerſa quacumque ſe ſe diffundit Eccleſia, quomodo poterunt intereſſe ſacro quorum Parœci (qui uni & ſoli Parœcias regunt) feſtis diebus Archidiaconorum ſupplicationibus præſentes ſe ſiſtent? Faceſſat igitur conſuetudo illa Eccleſiæ præceptis animarúmque ſaluti contraria.

CAPUT XI.

Archidiaconi Parœcos ex conſuetudine ſuis in Viſitationibus ſtare jubent aperto capite, operto capite ſedentes ipſi. Sed conſuetudinem illam variis Conciliis adverſam eſſe probatur, & in Sacerdotalem ordinem injurioſam. Unde orta apud Latinos Archidiaconorum in Preſbyteros juriſdictio, quæ apud Græcos nulla eſt.

VIII. ORIGINIS ſuæ parum memores, adeo inconcinnè atque inurbanè ſe gerunt Archidiaconorum plerique, ut Parœcos & Preſbyteros, etiam virtute, famâ, doctrinâ & canitie venerabiles, in Viſitationibus ſuis ſtare jubeant aperto capite, operto capite ſedentes ipſi. Fecit hoc Adrianus Behottus Rotomagenſis Eccleſiæ major Archidiaconus [a]; hoc etiam ætatis noſtræ Archidiaconi complures, quos nominare promptum eſſet, facere conſueverunt, nullo niſi conſuetudinis fundamento nixi.

[a] Maiſtre Adrien Behotte Grand Archidiacre de Roüen, viſitant au mois de Decembre 1625. les Egliſes de S. Pierre l'honoré & de S. Laurent, de la ville de Roüen, commanda publiquement à Maiſtre Nicolas Dehors & à Maiſtre René Dehors freres, Curés de ces deux Egliſes, de quitter l'Eſtole & de demeurer debout, la teſte nuë, pendant ſa viſite. *Monſieur Chreſtien le jeune Advocat au Parlement de Roüen, dans ſon plaidoyé contre le Sieur Behotte, imprimé à Roüen en 1626. au mois de Ianvier.*

Nempe non heri aut nudiuſtertius Achidiaconi, qui Diaconorum in Eccleſia locum occupant, & pleriſque ſcriptoribus antiquis Diaconi breviter ſimpliciterque appellantur in Preſbyterorum jura invaſere, ac multa ſibi arrogavere præter fas & æquum. Anni jam ſunt mille trecenti & ſexaginta cùm plurima nutu proprio atque inconſultis Preſbyteris agere non dubitabant. Quod à Concilio Arelatenſi 1. an. 314. ita damnatum eſt in can. 18. *De Diaconibus urbicis, ut non ſibi tantum præſumant, ſed honorem Preſbyteris reſervent, ut ſine conſcientia ipſorum nihil tale faciant.* An. 813. eorum *dominatio tyranniſque, cupiditas* & *avaritia*, adeo intolerabiles viſæ ſunt Concilio Cabilonenſi 2. ut neceſſe habuerit eas can. 15. coercere, qui apud Ivonem Carnotenſem in 3. parte Decreti, cap. 134. & Gratianum in cap. *Dictum eſt*, Diſt. 94. ſic refertur: *Dictum eſt quod in pleriſque locis Archidiaconi ſuper Presbyteros Parochianos quamdam exercent dominationem, & ab eis cenſum exigunt; quod magis ad tyrannidem, quàm ad rectitudinis pertinet ordinem. Si enim juxta Apoſtoli ſententiam* [a] *Epiſcopi* non *debent* « *eſſe* Dominantes in Clero, ſed forma facti « gregis ex animo: *multominus facere iſti hoc debent; ſed contenti ſint regularibus diſciplinis, & teneant propriam menſuram; Et quod ab Epiſcopis eis injungitur, hoc per Parochias*

a 1. Petr. 5.

ſuas exercere ſtudeant, nil per cupiditatem & avaritiam præſumentes.

Olim etiam auſi ſunt, contra veteris Eccleſiæ morem, unâ cum preſbyteris aſſidere. Verùm hoc vetuit Concilium Nicænum 1. an. 325. in can. 18. *Sed nec ſedere in medio Preſbyterorum Diaconis liceat. Quod ſi hoc fiat, præter regulam & ordinem probatur exiſtere. Si quis autem etiam poſt has definitiones obedire noluerit, à miniſterio ceſſare debebit.* Vetuit & Concilium Arelatenſe 2. circa an. 452. in can. 15. *In Secretario Diacono inter Preſbyteros ſedere non liceat .... Quod ſi fecerit, ab officio Diaconatus abſcedat.* Vetuit denique Concilium Laodicenum in can. 20. ne Diaconi coram Preſbyteris ſederent. *Quod non oportet* (inquit) *Diaconum ante Preſbyterum ſedere, ſed ſedere cum juſſu Preſbyteri.* Idem ſtatuit Concilium Carthaginenſe 4. an. 398. in can. 39. *Vt Diaconus quolibet loco, jubente Preſbytero ſedeat.*

Romæ aliter obſervatum ſibi ita narrat in Epiſtola 85. ad Evagrium S. Hieronymus: *Ceterum etiam in Eccleſia Romæ Presbyteri ſedent, & ſtant Diaconi: licèt paulatim increbreſcentibus vitiis inter Presbyteros, abſente Epiſcopo, ſedere Diaconum viderim, & in domeſticis conviviis benedictionem coram Preſbyteris dare.* Sed hoc veluti depravatè & corruptè factum in eadem Epiſtola ſic accuſat: *Diſcant qui hoc faciunt, non ſe rectè facere,*

& audiant Apoſtolos[a] : Non eſt dignum ut relinquentes verbum Dei, miniſtremus menſis. *Sciant quare Diaconi conſtituti ſunt; legant Acta Apoſtolorum; recordentur conditionis ſuæ.* Eandem conſuetudinem ſic exagitat S. Bernardus ad Eugenium III. Romanum Pontificem verba faciens in lib. 4. de Conſiderat. cap. 5. num. 16. *Unum dico quod in facie eſt. Ridiculè miniſtri veſtri veſtris ſe compresbyteris anteferre conantur. Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non conſentit auctoritas. Et ſi de ſua conſuetudine calumnia ſtruitur, meliùs profectò illa quàm ſummus ordo contemnitur. Frivolum tamen ſatis unde maximè obtinere id volunt. Nos ſumus* (inquiunt) *qui in omni celebritate Domino Papæ conjunctiores aſſiſtimus, ſedenti propiores aſſidemus, & priores ſequimur præcedentem. Hoc totum non dignitatis privilegium, ſed ſedulitatis debitum eſt, Diaconi nomen ſolemni ipſa adminiſtratione interpretans. Denique Presbyteris ordinata conſeſſione ambientibus majeſtatem, vos ad pedes ſedetis. Propiores aſſiſtitis, ut habeat paratiores.*

Nihil itaque miræ rei eſt quòd alibi quàm Romæ Diaconi ſeſe Preſbyteris præpoſuerint, & ante eos in primo Eccleſiæ Choro conſederint. At huic arrogantiæ obicem poſuit Concilium Toletanum 4. an. 633. in can. 39. *Nonnulli Diacones in tantam erumpunt ſu-*

a Actor. 6. c.

perbiam, ut ſe Presbyteris anteponant, atque in primo choro ipſi priores ſtare præſumant, Presbyteris in ſecundo choro conſtitutis. Ergo ut ſublimiores ſibi Presbyteros agnoſcant, tam hi, quàm illi in utroque choro conſiſtant. Et S. Hieronymus in citata ſuperiùs ad Evagrium Epiſtola ſic ſcribit: *Legimus in Iſaia* [a]: « Fatuus fatua loquetur. *Audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, ideſt Epiſcopis, anteferret. Nam cùm Apoſtolus perſpicuè doceat eoſdem eſſe Presbyteros quos Epiſcopos, quid patitur menſarum & viduarum miniſter ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti Corpus ſanguiſque conficitur ... Sed dicis, quomodo Romæ ad teſtimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi præfers unius urbis conſuetudinem? Quid paucitatem de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas? Omne quod rarum eſt, plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretioſius eſt. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit .... Qui provehitur, de majori ad majus provehitur. Aut igitur ex Presbytero ordinetur Diaconus, ut Presbyter minor Diacono comprobetur, in quem creſcit ex parvo: aut ſi ex Diacono ordinatur Presbyter, noverit ſe laïcis majorem, ſacerdotibus eſſe minorem.* Quò etiam pertinent iſta ejuſdem S. Hieronymi

a Cap. 32.

vocabula in caput ultimum Ezechielis: *Levitarum multitudinem intelligere ſe à ſacerdotali gradu eſſe disjunctam, & ad decutiendam ſuperbiam miniſtrorum, qui ignorantes humilitatem ſtatus ſui, ultra ſacerdotes, hoc eſt Presbyteros, intumeſcunt, & dignitatem non merito, ſed divitiis æſtimant.* Ac denique S. Auguſtinus, ſeu Autor *Quæſtionum in utrumque Teſtamentum*, paulò antiquior Auguſtino, quæſt. 101. ubi ait: *Quidam qui nomen habet Falcidii, duce ſtultitia & civitatis Romanæ jactantia, Levitas Sacerdotibus & Diaconos Presbyteris coæquare contendit: non dicam præferre, quia ſtultius eſt, & fortè incredibile videtur, ut nos non emendatores, ſed calumniatores habeamur.*

Quandoquidem igitur Diaconis ſedere cum Preſbyteris nefas eſt, neque Diaconi inter Preſbyteros, niſi Preſbyterorum juſſu conſiſidere olim auſi fuiſſent, quo colore Archidiaconi Diaconorum ſucceſſores, Parœcos volunt ſuis in Viſitationibus ſtare aperto capite? An quia tunc ipſis præficiuntur? At volatica omnino curréns que cùm ſit ejuſmodi præfectura, quæ niſi in Viſitationum curſu non conſiſtit, cur inde tantum ſibi ſumunt, ut Parœcorum dignitatem tractent indignius? An quia id temporis eorum judices conſtituuntur? At cùm de levioribus tantummodo ſuum poſſint interponere judicium, quemadmodum Conciliis, Pontificum decretis, & Senatus-conſul-

tis definitum legimus, cur idcirco par fuerit coram ipſis ſedentibus Parœcos vitâ, moribúſque ſpectabiles, & eruditione claros, ſupplicum more rectos manere? An quia Epiſcoporum vices agunt, eorúmque perſonam in Viſitationibus ſuis gerunt? Major quidem eo nomine exhibenda eſt ipſis reverentia. Tunc enim ante Preſbyteros ſedere debent, ut Concilium Quini-ſextum in Trullo an. 692. ſtatuit can. 7. his verbis: *Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos Officia Eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia & licentia fretos ante Presbyteros ſedere: ſtatuimus ut Diaconus, etiamſi in dignitate, id eſt, in quovis ſit Officio Eccleſiaſtico, ante Presbyterum ne ſedeat, præterquàm ſi proprii Patriarchæ, vel Metropolitani Vicem-gerens adſit in alia civitate ſuper aliquo capite: tunc enim ut locum illius implens honorabitur. Si quis autem tyrannica adductus audacia, tale quid efficere auſus fuerit, is ex proprio gradu dejectus, ſit omnium ultimus ejus ordinis, in cujus eſt catalogo in ſua Eccleſia, Domino noſtro admonente, ne in primis ſedibus delectemur.* Sed coram Archidiaconis ſtare Parœcos Concilium illud non ſtatuit. An denique quia inter viſitandum Parœcis, Preſbyteris, & etiam Archipreſbyteris eminentiorem locum obtinent? Verùm *ab initio non fuit ſic*, ut Diaconi Presbyteris eſſent ſuperiores, Archipresbyteris Archidiaconi. Ubi autem poſte-

rioribus temporibus Presbyterorum & Archipresbyterorum ignaviâ id contigit, contra rectum Eccleſiæ ordinem contigiſſe autor eſt Petrus Bleſenſis, Bathonienſis Archidiaconus in Epiſt. 123. ad Richardum Londonenſem Epiſcopum, ubi ſcribit: *Porrò dignitatis turbato ordine, Archidiaconi hodie Sacerdotibus praeminent, & in eos vim & poteſtatem ſuæ juriſdictionis exercent.* Unde verò ſic *turbatus dignitatis ordo?*

Duplex occurrit iſtius rei cauſa, quam in cap. 3. jam antea attigi. Prima ex his vocibus quæ S. Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi in Epiſtola ad Ludefredum Cordubenſem Epiſcopum tribuuntur apud Gratianum, can. *Perlectis*, diſt. 25. *Archipresbyter verò ſe eſſe ſub Archidiacono, ejúſque præceptis, ſicut Epiſcopi ſui, ſciat obedire: Et (quod ſpecialiter ad ejus miniſterium pertinet) ſupra omnes Presbyteros in ordine poſitos curam agere, & aſſiduè in Eccleſia ſtare; & quando Epiſcopi ſui abſentia contigerit, ipſe vice ejus Miſſarum ſolemnia celebret, & collectas dicat, vel cui ipſe injunxerit.* Atqui univerſam periodum illam S. Iſidoro Hiſpalenſi ſuppoſitam fuiſſe conſtat. 1. Quia Archidiaconi officio quod paulò antè enarraverat S. Iſidorus, adverſatur. Illi enim imperium dumtaxat tribuitur in ceteros Diaconos & inferiores Clericos, nulla Presbyterorum mentione facta. Ubi verò Archidiaconus cum Sacerdote componitur, Archi-

diaconus, velut ejus miniſter numquam verò velut Dominus memoratur, quemadmodum legenti cuique obvium eſſe poteſt. 2. Quia Burchardus in lib. 3. Decreti, cap. 50. & Autor Pannormiæ ex Ivonis Carnotenſis Decreto excerptæ lib. 3. cap. 41. præfatam S. Iſidori Epiſtolam recenſentes, de ejuſmodi additamento ne *gry* quidem habent aut *my*. 3. Quia qui Ivonis Carnotenſis Decretum edidit, ad hanc periodum annotavit iſta in margine: *Hæc non habentur in Codice regio, ſuſpectáque mihi perpetuò viſa ſunt, quòd Archipresbyter ſubdatur Archidiaconis; quod vetuſtum non eſſe in canonibus Conciliorum vel mediocriter verſatus nemo ignorat.* 4. Quia in Gratiani Decreto ſeu emendato cum Gloſſis, ſeu Lugduni edito an. 1661. citato can. *Perlectis*, ad vocem *Archipresbyter*, legitur: *Hinc uſque ad verſum* ad Primicerium, *non ſunt in ipſa Epiſtola Iſidori, neque in Pannormia, neque apud Burchardum, & extra cap.* 1. De Officio Archipresbyteri, *citatur ex Concilio Toletano.* 5. Denique quia Garcias Loayſa, & ipſe Archidiaconus, Conciliorum Hiſpaniæ collector, ac Philippi II. Hiſpaniarum Regis inſtitutor, integrum S. Iſidori ad Ludefredum Epiſtolam, in notis ad Concilium Toletanum 8. an. 653. edidit *ex codice MS. Bibliothecæ* Regiæ *Divi Laurentii* Scorialenſis *perantiquo, dicto Vigilans*, in qua tamen nullum citatæ periodi verbum comparet. Ex Concilio

Nempe non heri aut nudiuſtertius Achidiaconi, qui Diaconorum in Eccleſia locum occupant, & pleriſque ſcriptoribus antiquis Diaconi breviter ſimpliciterque appellantur in Preſbyterorum jura invaſere, ac multa ſibi arrogavere præter fas & æquum. Anni jam ſunt mille trecenti & ſexaginta cùm plurima nutu proprio atque inconſultis Preſbyteris agere non dubitabant. Quod à Concilio Arelatenſi 1. an. 314. ita damnatum eſt in can. 18. *De Diaconibus urbicis, ut non ſibi tantum præſumant, ſed honorem Preſbyteris reſervent, ut ſine conſcientia ipſorum nihil tale faciant*. An. 813. eorum *dominatio tyranniſque, cupiditas* & *avaritia*, adeo intolerabiles viſæ ſunt Concilio Cabilonenſi 2. ut neceſſe habuerit eas can. 15. coercere, qui apud Ivonem Carnotenſem in 3. parte Decreti, cap. 134. & Gratianum in cap. *Dictum eſt*, Diſt. 94. ſic refertur: *Dictum eſt quod in pleriſque locis Archidiaconi ſuper Presbyteros Parochianos quamdam exercent dominationem, & ab eis cenſum exigunt; quod magis ad tyrannidem, quàm ad rectitudinis pertinet ordinem. Si enim juxta Apoſtoli ſententiam* [a] *Epiſcopi* non *debent* « *eſſe* Dominantes in Clero, ſed forma facti « gregis ex animo: *multominus facere iſti hoc debent; ſed contenti ſint regularibus diſciplinis, & teneant propriam menſuram; Et quod ab Epiſcopis eis injungitur, hoc per Parochias*

a 1. Petr. 5.

ſuas

ſuas exercere ſtudeant, nil per cupiditatem & avaritiam præſumentes.

Olim etiam auſi ſunt, contra veteris Eccleſiæ morem, unà cum preſbyteris aſſidere. Verùm hoc vetuit Concilium Nicænum 1. an. 325. in can. 18. *Sed nec ſedere in medio Preſbyterorum Diaconis liceat. Quod ſi hoc fiat, præter regulam & ordinem probatur exiſtere. Si quis autem etiam poſt has definitiones obedire noluerit, à miniſterio ceſſare debebit.* Vetuit & Concilium Arelatenſe 2. circa an. 452. in can. 15. *In Secretario Diacono inter Preſbyteros ſedere non liceat .... Quod ſi fecerit, ab officio Diaconatus abſcedat.* Vetuit denique Concilium Laodicenum in can. 20. ne Diaconi coram Preſbyteris ſederent. *Quod non oportet* (inquit) *Diaconum ante Preſbyterum ſedere, ſed ſedere cum juſſu Preſbyteri.* Idem ſtatuit Concilium Carthaginenſe 4. an. 398. in can. 39. *Ut Diaconus quolibet loco, jubente Preſbytero ſedeat.*

Romæ aliter obſervatum ſibi ita narrat in Epiſtola 85. ad Evagrium S. Hieronymus: *Ceterum etiam in Eccleſia Romæ Presbyteri ſedent, & ſtant Diaconi: licèt paulatim increbreſcentibus vitiis inter Presbyteros, abſente Epiſcopo, ſedere Diaconum viderim, & in domeſticis conviviis benedictionem coram Preſbyteris dare.* Sed hoc veluti depravatè & corruptè factum in eadem Epiſtola ſic accuſat: *Diſcant qui hoc faciunt, non ſe rectè facere,*

& audiant Apoſtolos[a]: Non eſt dignum ut relinquentes verbum Dei, miniſtremus menſis. *Sciant quare Diaconi conſtituti ſunt; legant Acta Apoſtolorum; recordentur conditionis ſuæ.* Eandem conſuetudinem ſic exagitat S. Bernardus ad Eugenium III. Romanum Pontificem verba faciens in lib. 4. de Conſiderat. cap. 5. num. 16. *Unum dico quod in facie eſt. Ridiculè miniſtri veſtri veſtris ſe compresbyteris anteferre conantur. Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non conſentit auctoritas. Et ſi de ſua conſuetudine calumnia ſtruitur, meliùs profectò illa quàm ſummus ordo contemnitur. Frivolum tamen ſatis unde maximè obtinere id volunt. Nos ſumus* (inquiunt) *qui in omni celebritate Domino Papæ conjunctiores aſſiſtimus, ſedenti propiores aſſidemus, & priores ſequimur præcedentem. Hoc totum non dignitatis privilegium, ſed ſedulitatis debitum eſt, Diaconi nomen ſolemni ipſa adminiſtratione interpretans. Denique Presbyteris ordinata confeſſione ambientibus majeſtatem, vos ad pedes ſedetis. Propiores aſſiſtitis, ut habeat paratiores.*

Nihil itaque miræ rei eſt quòd alibi quàm Romæ Diaconi ſeſe Presbyteris præpoſuerint, & ante eos in primo Eccleſiæ Choro conſederint. At huic arrogantiæ obicem poſuit Concilium Toletanum 4. an. 633. in can. 39. *Nonnulli Diacones in tantam erumpunt ſu-*

a Actor. 6. c.

perbiam, ut ſe Presbyteris anteponant, atque in primo choro ipſi priores ſtare præſumant, Presbyteris in ſecundo choro conſtitutis. Ergo ut ſublimiores ſibi Presbyteros agnoſcant, tam hi, quàm illi in utroque choro conſiſtant. Et S. Hieronymus in citata ſuperiùs ad Evagrium Epiſtola ſic ſcribit: *Legimus in Iſaia*[a]: « Fatuus fatua loquetur. *Audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, ideſt Epiſcopis, anteferret. Nam cùm Apoſtolus perſpicuè doceat eoſdem eſſe Presbyteros quos Epiſcopos, quid patitur menſarum & viduarum miniſter ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti Corpus ſanguiſque conficitur . . . Sed dicis, quomodo Romæ ad teſtimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi præfers unius urbis conſuetudinem? Quid paucitatem de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas? Omne quod rarum eſt, plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretioſius eſt. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit . . . . Qui provehitur, de majori ad majus provehitur. Aut igitur ex Presbytero ordinetur Diaconus, ut Presbyter minor Diacono comprobetur, in quem creſcit ex parvo: aut ſi ex Diacono ordinatur Presbyter, noverit ſe laïcis majorem, ſacerdotibus eſſe minorem.* Quò etiam pertinent iſta ejuſdem S. Hieronymi

a Cap. 32.

vocabula in caput ultimum Ezechielis: *Levitarum multitudinem intelligere ſe à ſacerdotali gradu eſſe disjunctam, & ad decutiendam ſuperbiam miniſtrorum, qui ignorantes humilitatem ſtatus ſui, ultra ſacerdotes, hoc eſt Presbyteros, intumeſcunt, & dignitatem non merito, ſed divitiis æſtimant.* Ac denique S. Auguſtinus, ſeu Autor *Quæſtionum in utrumque Teſtamentum*, paulò antiquior Auguſtino, quæſt. 101. ubi ait: *Quidam qui nomen habet Falcidii, duce ſtultitia & civitatis Romanæ jactantia, Levitas Sacerdotibus & Diaconos Presbyteris coæquare contendit: non dicam præferre, quia ſtultius eſt, & fortè incredibile videtur, ut nos non emendatores, ſed calumniatores habeamur.*

Quandoquidem igitur Diaconis ſedere cum Preſbyteris nefas eſt, neque Diaconi inter Preſbyteros, niſi Preſbyterorum juſſu conſiſidere olim auſi fuiſſent, quo colore Archidiaconi Diaconorum ſucceſſores, Parœcos volunt ſtis in Viſitationibus ſtare aperto capite? An quia tunc ipſis præficiuntur? At volatica omnino curréníque cùm ſit ejuſmodi præfectura, quæ niſi in Viſitationum curſu non conſiſtit, cur inde tantum ſibi ſumunt, ut Parœcorum dignitatem tractent indignius? An quia id temporis eorum judices conſtituuntur? At cùm de levioribus tantummodo ſuum poſſint interponere judicium, quemadmodum Conciliis, Pontificum decretis, & Senatus-conſul-

tis definitum legimus, cur idcirco par fuerit coram ipſis ſedentibus Parœcos vitâ, moribúſque ſpectabiles, & eruditione claros, ſupplicum more rectos manere? An quia Epiſcoporum vices agunt, eorúmque perſonam in Viſitationibus ſuis gerunt? Major quidem eo nomine exhibenda eſt ipſis reverentia. Tunc enim ante Preſbyteros ſedere debent, ut Concilium Quini-ſextum in Trullo an. 692. ſtatuit can. 7. his verbis: *Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos Officia Eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia & licentia fretos ante Presbyteros ſedere: ſtatuimus ut Diaconus, etiamſi in dignitate, id eſt, in quovis ſit Officio Eccleſiaſtico, ante Presbyterum ne ſedeat, præterquàm ſi proprii Patriarchæ, vel Metropolitani Vicem-gerens adſit in alia civitate ſuper aliquo capite: tunc enim ut locum illius implens honorabitur. Si quis autem tyrannica adductus audacia, tale quid efficere auſus fuerit, is ex proprio gradu dejectus, ſit omnium ultimus ejus ordinis, in cujus eſt catalogo in ſua Eccleſia. Domino noſtro admonente, ne in primis ſedibus delectemur.* Sed coram Archidiaconis ſtare Parœcos Concilium illud non ſtatuit. An denique quia inter viſitandum Parœcis, Preſbyteris, & etiam Archipreſbyteris eminentiorem locum obtinent? Verùm *ab initio non fuit ſic*, ut Diaconi Presbyteris eſſent ſuperiores, Archipresbyteris Archidiaconi. Ubi autem poſte-

rioribus temporibus Preſbyterorum & Archipreſbyterorum ignaviâ id contigit, contra rectum Eccleſiæ ordinem contigiſſe autor eſt Petrus Bleſenſis, Bathonienſis Archidiaconus in Epiſt. 123. ad Richardum Londonenſem Epiſcopum, ubi ſcribit: *Porrò dignitatis turbato ordine, Archidiaconi hodie Sacerdotibus præeminent, & in eos vim & poteſtatem ſuæ juriſdictionis exercent.* Unde verò ſic *turbatus dignitatis ordo?*

Duplex occurrit iſtius rei cauſa, quam in cap. 3. jam antea attigi. Prima ex his vocibus quæ S. Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi in Epiſtola ad Ludefredum Cordubenſem Epiſcopum tribuuntur apud Gratianum, can. *Perlectis*, diſt. 25. *Archipreſbyter verò ſe eſſe ſub Archidiacono, ejúſque præceptis, ſicut Epiſcopi ſui, ſciat obedire: Et (quod ſpecialiter ad ejus miniſterium pertinet) ſupra omnes Preſbyteros in ordine poſitos curam agere, & aſſiduè in Eccleſia ſtare; & quando Epiſcopi ſui abſentia contigerit, ipſe vice ejus Miſſarum ſolemnia celebret, & collectas dicat, vel cui ipſe injunxerit.* Atqui univerſam periodum illam S. Iſidoro Hiſpalenſi ſuppoſitam fuiſſe conſtat. 1. Quia Archidiaconi officio quod paulò antè enarraverat S. Iſidorus, adverſatur. Illi enim imperium dumtaxat tribuitur in ceteros Diaconos & inferiores Clericos, nulla Preſbyterorum mentione facta. Ubi verò Archidiaconus cum Sacerdote componitur, Archi-

diaconus, velut ejus miniſter numquam verò velut Dominus memoratur, quemadmodum legenti cuique obvium eſſe poteſt. 2. Quia Burchardus in lib. 3. Decreti, cap. 50. & Autor Pannormiæ ex Ivonis Carnotenſis Decreto excerptæ lib. 3. cap. 41. præfatam S. Iſidori Epiſtolam recenſentes, de ejuſmodi additamento ne *gry* quidem habent aut *my*. 3. Quia qui Ivonis Carnotenſis Decretum edidit, ad hanc periodum annotavit iſta in margine: *Hæc non habentur in Codice regio, ſuſpectáque mihi perpetuò viſa ſunt, quòd Archipresbyter ſubdatur Archidiaconis; quod vetuſtum non eſſe in canonibus Conciliorum vel mediocriter verſatus nemo ignorat.* 4. Quia in Gratiani Decreto ſeu emendato cum Gloſſis, ſeu Lugduni edito an. 1661. citato can. *Perlectis*, ad vocem *Archipresbyter*, legitur: *Hinc uſque ad verſum* ad Primicerium, *non ſunt in ipſa Epiſtola Iſidori, neque in Pannormia, neque apud Burchardum, & extra cap.* 1. De Officio Archipresbyteri, *citatur ex Concilio Toletano.* 5. Denique quia Garcias Loayſa, & ipſe Archidiaconus, Conciliorum Hiſpaniæ collector, ac Philippi II. Hiſpaniarum Regis inſtitutor, integram S. Iſidori ad Ludefredum Epiſtolam, in notis ad Concilium Toletanum 8. an. 653. edidit *ex codice MS. Bibliothecæ* Regiæ *Divi Laurentii* Scorialenſis *perantiquo, dicto Vigilans*, in qua tamen nullum citatæ periodi verbum comparet. Ex Concilio

Toletano præterea laudatur ſpurium illud additamentum in lib. 1. Decretal. Tit. *De officio Archipresbyteri*, cap. *Ut Archipresbyter*; ſed non magis in Conciliis Toletanis, quàm in Epiſtola ſancti Iſidori ad Ludefredum deprehenditur. Hæc autem quanquam ita ſe habeant, juſtum exiſtimatum fuit quod ſive S. Iſidori, ſive Concilii Toletani teſtimonio in ſpeciem confirmabatur. Tandem enim ubique fraus obtinuit, & ſecundùm illam jure judicatum eſt. Hoc fonte primùm derivatam reor Archidiaconorum in Presbyteros & Archipresbyteros juriſdictionem.

Altera verò uſurpatæ juriſdictionis illius cauſa inde profecta eſt, quòd Pontifices plerique Archidiaconos Presbyteros inſtituerunt, cùm tamen unum in Archidiaconis Diaconatus ordinem Conciliorum canones requirant; ad quos proinde Archidiaconos autoritatem in Sacerdotes deferebant: quemadmodum videre eſt apud Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum qui *anno Incarnationis Dominicæ* 874. vel 877. (ut emendavit Jacobus Sirmondus in Tom. 1. ejus operum) *quinto Idus Iulias dedit comminiſtris Capitula, Guntbario & Odelbardo, Archidiaconibus Presbyteris.* Quo factum eſt ut juriſdictio Presbyteris, qui Archidiaconi erant, conceſſa, facilè poſtea in Archidiaconos, qui Diaconi tantùm erant, potuerit prorogari, & revera prorogata ſit.

Atque illud duplex eſt præpoſteræ Archi-

diaconorum in Presbyteros autoritatis firmamentum, alterum falſum, alterum tenue admodum. Quæ quidem autoritas viget apud Latinos tantummodo, quamquam non ubique. Veronæ enim, ut teſtatur Annibal Rochus in *Tractatu Viſitationum*, V. *Archidiaconus*, Archipresbytero ſubiicitur Archidiaconus, qui *neque curam habet animarum*, *neque juriſdictionem*, *neque adminiſtrationem*. Et in Eccleſia Parmenſi (quemadmodum notat Innocentius III. ad cap. *De multis*, Tit. *De prabendis & dignitatibus*) Archidiaonus nullum exercet officium, (licèt dignitatem habeat) Græcorum namque, ſaltem poſteriorum, Archidiaconi autoritate nulla pollent extra ſanctuarium divináque officia : ſed tota illa ad Cartophylacem alióſque Exocatacælos revocata eſt. Unde Archidiaconatus dignitatem, principatum non vocant. Cujus rei fidem facit luculentiſſimam Johannes Epiſcopus Citri in Reſponſis ad Conſtantinum Cabaſilam Dyrrachii Archiepiſcopum, quæ referuntur ab Enimundo Bonefidio in lib. 3. Juris Orientalis. Ubi enim quæſitum eſt : *Archidiaconicum officium cujus eſt Ordinis & quis gradus, & an praeſt omnibus Diaconis, quaſi ipſe Archidiaconus ſit ex Officiis Eccleſiaſticis, & an præfertur omnibus in divinorum Sacramentorum aſſumptione*, &c. Ita reſpondetur : Τὸ Ἀρχιδιακονικὸν ὀφφίκιον οὐκ ἔστιν ἀρχοντίκιον, οὐδὲ ἐκ φιλοτιμίας ἀρχιερατικῆς ὥσπερ τὰ ἀρχοντίκια. *Ar-*

chidiaconicum officium non eſt magiſteriale, nec ex liberalitate Pontificali, ut magiſterialia.

Utcumque res habeat etſi apud Latinos Archidiaconis autoritatem aliquam ineſſe nequaquam diffiteamur, ex ea tamen inferri meritò non poteſt Parœcis coram Archidiaconis viſitantibus ſtandum eſſe aperto capite. Si enim (quemadmodum Eccleſiæ Concilia decernunt) Archidiaconis, quia ab origine Diaconi ſunt, cum Preſbyteris ſedere nefas olim fuit: quid illis jam, quia vulgò Preſbyteri ſunt, per eadem Concilia fas eſſe exiſtimabimus, niſi ad ſummum cum Preſbyteris ſedere? Sedere ergo Parœcis potiùs cum Archidiaconis, quàm Archidiaconis cum Parœcis licet, ſi tota res ex Conciliorum canonibus æſtimetur. Sic itaque ſtudioſos ſe Canonum vindices non probant Archidiaconi qui Parœcos ſuis in Viſitationibus ſtare jubent. Sic contraquam prohibet Apoſtolorum Princeps in Epiſtolæ 1. cap. 5. *Dominantur in Cleris.* Sic Parœcorum dignitatem nimium infra ſe ducunt. Sic cum illis agunt intolerantiùs. Sic *ſuper Presbyteros Parœchianos*, (ut loquitur Concilium Cabilonenſe 2. in can. 15.) *quamdam exercent dominationem, quod magis ad tyrannidem, quàm ad rectitudinis pertinet ordinem.* Denique ſic eorum quæ in Concilio Carthaginenſi 4. cui Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, ac totius Africæ primas præ-

fuit, ac S. Auguſtinus interfuit, ſancita ſunt, vel inſcios, vel immemores, vel minùs obſervantes ſe produnt. Præcipit enim in canone 34. *Vt Epiſcopus quolibet loco ſedens ſtare Preſbyterum non patiatur.* Et in can. 35. *Vt Epiſcopus in Eccleſia & conſeſſu Preſbyterorum ſublimior ſedeat. Intra verò domum, Presbyterorum collegam ſe eſſe fateatur.* Quòd ſi Preſbyteris coram Epiſcopis ſedendi *quolibet loco* facultas conceditur à Concilio Carthaginenſi 4. quòd ſi Parœci in Conciliis Patriarchis, Primatibus, Metropolis, aliiſque Pontificibus præſentibus & inſpectantibus operto capite conſidere olim licitum fuit, hodie quoque licitum eſt; multò magis oportet ipſis coram Archidiaconis inter Viſitandum tecto capite conſidentibus, etiam tecto capite conſidendi libertatem impertiri, ut ſua canonibus Concilii Carthaginenſis 4. quod ducentorum quatuordecim Epiſcoporum fuit, & *univerſale* appellatur in proloquio, reverentia conſervetur, nulláque in Sacerdotalem ordinem ab Archidiaconis fiat aut immittatur injuria.

Ego quidem Parœcos illos jurium ſuorum non ſatis tenaces, ac ſui muneris indigniſſimos judicavi ſemper, qui ita ſerviliter, abjectè & timidè Archidiaconis Viſitantibus ſubſunt, obliti penitus & originis ſuæ, quæ (ut poſtea patebit, divina eſt) & Archidiaconorum gradus, qui ab hominibus ſolùm vi-

detur inſtitutus, quemadmodum ex Actorum Apoſtolicorum cap. 6. conficitur. Quantò viriliùs, quantò animoſiùs, Vir numquam ſatis laudandus D. Bartholomæus à Martyribus, Bracarenſis Archiepiſcopus, qui (ut jam antea obſervatum fuit) Epiſcopos, quorum Ordinem ab ipſomet Chriſto Domino inſtitutum liquet, Romæ in conventibus, qui præſente ſummo Pontifice agebantur, aperto capite ſtare coram Cardinalibus, quorum dignitas hominum inventum eſt, tecto capite ſedentibus, ferre non potuit; ſed non audente Cardinali Lotharingo, & diſſuadente Cardinali Alexandrino, qui poſtmodum fuit Pius V. ea de re cum Pio IV. conqueſtus eſt: à quo tandem præter ſpem omnium obtinuit, ut Cardinalibus in ejuſmodi Conſiliis tecto capite ſedentibus, tecto quoque capite ſederent Epiſcopi. Hiſtoriam hanc omnem fuſè & eleganter pro ſuo more narrat Clariſſimus Scriptor *Vita* prædicti *Archiepiſcopi Bracarenſis*, in cap. 22. lib. 2.

CAPUT XII.

Archidiaconi quidam ſubjectas ſibi paræcias viſitare conſueverunt, nulla adventus ſui admonitione prævia. Quod & contra Viſitationum finem præcipuum, & contra Conciliorum decreta, & contra Autorum qui de Viſitationibus ſcripſere ſententiam eſſe demonſtratur.

IX. ARCHIDIACONOS quoſdam videre licet, qui non exſpectati, nullâque adventus ſui admonitione prævia, *ſicut fures in nocte* (verbo abſit injuria) ad Eccleſiarum ſibi ſubjectarum viſitationem aggredi conſueverunt. Hoc agunt alij ut Parœcos imparatos & alicujus culpæ obnoxios inveniant, quò faciliùs poſtea lites ipſis intentent vel de lana caprina; Alij verò, quia certo, fixo, ac ſtato itinere nolunt in viſitationibus ſuis adſtringi. Qua quidem in re utrique & Eccleſiaſtico Ordini adverſantur, & rationibus quæ utiles ac neceſſarias viſitationes efficiunt.

Cùm enim (ut præclarè docet Concilium Tridentinum in ſeſſ. 24. *De reformatione*, cap. 3.) *Viſitationum omnium præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxamque doctrinam expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus*

ad religionem, pacem, innocentiámque accendere; cetera prout locus, tempus & occaſio feret, ex viſitantium prudentia, ad fidelium fructum conſtituere: quomodonam clandeſtini illi viſitatores iſta omnia præſtabunt? Quomodo *ſanam orthodoxamque doctrinam expulſis hæreſibus inducent?* Quomodo *bonos mores tuebuntur, pravos corrigent?* Quomodo *populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendent?* Denique quomodo *cetera prout locus, tempus & occaſio feret ad fidelium fructum conſtituent?* Si (quod vulgò evenit, repentinis eorum viſitationibus *nemo hercule nemo, vel duo, vel nemo*, interſit. *Turpe & miſerabile!* Monet eodem in loco Concilium Tridentinum *omnes & ſingulos ad quos Viſitatio ſpectat ut paterna caritate, chriſtianoque zelo omnes amplectantur.* Quis porrò magis *paternam* ab occultis ejuſmodi Viſitatoribus *caritatem*, magiſque *Chriſtianum zelum* non deſideraret modò, ſed etiam poſtularet & flagitaret erga Parœcos, quos ita ex improviſo adoriuntur rixandi cauſa? An his inſtitutis Eccleſia regitur? *Abſit ab illa dedecus hoc.* Qui viſitandi ſunt, vel ſcripto vel alia quavis ratione præmoneri jubet à Viſitatoribus, ac de ipſa viſitationis die antea certiores fieri, ut quorum (intereſt autem omnium) ad hanc diem Viſitatoribus ſe ſiſtant, verbum Dei ac ſalutaria monita ex eorum ore percepturi.

De Archidiaconis illud ſatis evidenter oſtendit vulgò receptus Archidiaconalium mandatorum uſus, cui non ſpernendum teſtimonium accedere poteſt ex *Stilo generali Notariorum Apoſtolicorum* Rotomagi edito an. 1640. ubi in pagg. 188. & 189. *Mandatum D. majoris Archidiaconi Pariſienſis pro viſitatione ſua facienda*, legitur; & ex *Perfecto Clerico* Claudij à Cruce Preſbyteri è Seminario S. Nicolai Carduelini Pariſienſis, part. 4. cap. 1. Tit. 11. num. 1.[a] *Viſitaturus Archidiaconus literas præmittit, ut viſitationis diem indicet, quam Populo Parœcus ſignificabit, ejuſmodi literas Dominica viſitationem proximè antecedenti, in Prono denuncians.*

De Prælatis verò idem conficitur ex Tractatu Johannis Gerſonij Cancellarij Pariſienſis *De Viſitatione Prælatorum*, vel De *Cura Curatorum*, non longè ab initio. *Primò* (inquit, *viſitaturus Prælatus aliquam parochiam perſonaliter, adventum ſuum prænunciet per dies aliquot, priùs indicans per ſchedulam, ut ſi quis indigeat conſilio vel remedio ſalubri pro facto conſcientiæ ſuæ, ſive in commutatione votorum, ſive in caſibus reſervatis, ſive in aliis quibuſcumque, ſit paratus tali die, tali hora, & tunc confidenter adveniat.*

[a] Quand l'Archidiacre determine de faire ſa viſite, il envoye ſes lettres pour avertir du jour qu'il la fera. Ce que le Curé fera ſçavoir à ſon peuple en le publiant au proſne le Dimanche qui precede le jour de la viſite,

Ex Petro Suberti, Epiſcopo S. Papuli, in lib. *De cultu vineæ Domini*, part. 1. cap. 3. *In quibuſcumque Eccleſiis & locis viſitandis Prælatus viſitans debet prænunciare per tempus congruum adventum ſuæ viſitationis, ut viſitandi ſe præparent ad recipiendum Chriſti Legatum cum ſolemnitate proceſſionali. Cùm viſitantur Clerus & populus, Curati populis debent in parochiis denunciare, ut Clerus populuſque ſub pœna excommunicationis conveniat. Chriſtus*[a] *volens viſitare templum Iudæorum, duos ex diſcipulis ſuis miſit ad denunciandum tempus viſitationis ſuæ, qui mandato Chriſti ſolverunt & adduxerunt ei aſinam & pullum.*

Ex Concilio Provinciali Rotomagenſi, an. 1581. Tit. *De Epiſcoporum Officiis*, num. 27. *Ante ſuum acceſſum Epiſcopi* viſitantes *curabunt omnes moneri de ſacramento Confirmationis ſuſcipiendo; omnes ad pœnitentiam cohortabuntur* &c. Quomodo autem *monebuntur omnes, niſi Epiſcopalis viſitationis dies & tempus indicetur priùs?*

Ex *Sacerdotali ſeu Sacerdotum theſauro juxta conſuetudinem S. R. E. ſacrique Concilij Tridentini ſanctiones, autore Franciſco Samarino Beneficiato Lateranenſi, induſtria Angeli Roccæ à Camerino, expurgato & edito Venetiis an. 1583.* part. 2. *Pro Epiſcopis & Prælatis, Tractatu Viſitationum*, fol.

a Matth. 21.

5. verſo,

5. verſo, Tit. *Viſitatio facienda eſt prænuncianda : In quibuſcumque Eccleſiis & locis viſitandis Prælatus viſitans debet prænunciare per tempus congruum adventum ſuæ Viſitationis, ut viſitandi ſe præparent ad recipiendum Chriſti Legatum cum ſolemnitate proceſſionali.*

Ex Concilio Provinciali Aquenſi, an. 1585. Tit. *De Viſitatione : Id porrò omne ut fideles diligenter promptoque animo præſtent, frequentiſſimique in Epiſcopali viſitatione adſint, Parochorum & aliorum, quorum intereſt, Sacerdotum ſit crebrò, prout uſus venerit, intra miſſarum ſolemnia illos docere, cùm eas officij partes quas Epiſcopo viſitanti ab ipſis præſtari conveniat, tum viſitationis imprimis utilitates.* Non poterunt *fideles in Epiſcopali viſitatione frequentiſſime adeſſe* niſi, quo die inſtituenda ſit, antea comperiant.

Ex Rituali Romano Pauli 5. Tit. *De Viſitatione Eccleſiæ Parochialis per Epiſcopum facienda : Vt cum fructu ſpirituali fiat Viſitatio Eccleſiæ Parochialis, Parochus accepto Viſitationis mandato debet illud Parochianis infra miſſarum ſolemnia ſignificare, deque proxima Viſitatione & illius fine illos monere.*

Ex Conſtitutionibus & Inſtitutionibus Synodalibus Antonij Godelli Epiſcopi Vencienſi & Graſſenſis, Tit. 2. *De Viſitatione,* num.

K

3.[a] *Præcipimus Prioribus & Parœcis noſtris populum moneant tempus quo eorum parœciis viſitaturi aderimus, ut quilibet neceſſarias Nobis gratias à Domino petat, quò medeamur omnibus, & Dei gloriam ac Eccleſiæ honorem magis ac magis promoveamus.*

Ex *Perfecto Clerico* Claudij à Cruce part. 4. cap. 1. Tit. 4. num. 1.[b] *Aliquem diœceſis ſuæ locum ingreſſurus aut primò Viſitaturus Epiſcopus, mandatum quibuſdam anteq diebus mittit, ut Parœci populos moneant, populique ad dignè recipienda Confirmationis, pœnitentiæ ac Euchariſtiæ ſacramenta, inſtituantur.*

Ex Rituali Romano ad uſum Diœceſis Alectenſis, à Nicolao Pavillonio Epiſcopo Alectenſi in lucem emiſſo, 2. part. inſtitut. 6. Tit. *Ordo ad Viſitationem Epiſcopi in Eccleſiis ſuæ diœceſis:* [c] *Acceptum Viſitationis mandatum Parœcus in Prono denunciabit Do-*

[a] Nous ordonnons à nos Prieurs & Curez d'avertir le peuple du temps où nous devons nous trouver à leurs Paroiſſes, afin que chacun demande à noſtre Seigneur les graces qui nous ſont neceſſaires pour remedier à toutes choſes, & avancer de plus en plus la gloire de Dieu & l'honneur de l'Egliſe.

[b] Quand l'Eveſque veut faire ſon entrée ou viſite pour la premiere fois en quelques lieux de ſon Dioceſe, quelques jours auparavant, il envoye ſon mandement, afin que les Curez avertiſſent les peuples & meſme qu'ils ſoient inſtruits pour recevoir le ſacrement de la Confirmation dignement, avec celuy de Penitence & d'Euchariſtie.

[c] Le Curé ayant receu le mandement de Viſite, il le publiera au profne, le Dimanche immediatement ſuivant, ou (s'il y a une feſte dans la ſemaine) il en fera la lecture apres l'Evangile de la meſſe Paroiſſiale de cette feſte.

minica die proximè ſequenti, aut (ſi quod in eam hebdomadam feſtum incidat) poſt recitatum in miſſa parœciali hujuſce feſti Evangelium.

Ex Conſtitutionibus & inſtitutionibus Synodalibus S. Franciſci Saleſij Epiſcopi & Principis Genevenſis, à Johanne Arantonio Alexio ejus ſucceſſore digeſtis & auctis, 2. part. Tit. 4. *De Epiſcopi Viſitatione generali*, cap. 1. num. 1. [a] *Parœci Parœcianos ſuos certiores faciant in Prono de tempore quo eorum Parœcias viſitaturi ſumus, ſignificatumque Viſitationis noſtræ mandatum ad Eccleſiarum ſuarum valvas affigi curent, ut ea ratione omnibus quorum intererit innoteſcat.*

De Archipreſbyteris quoque id conſtat ex Synodo diœceſana Mechlinienſi, an. 1609. ſub Matthia Hovio Archiepiſcopo Mechlinienſi, Tit. 16. cap. 5. *Archipreſbyteri Eccleſias Decanatus ſui viſitaturi, tempus viſitationi deſignatum Paſtori tempeſtivè præſignificent, caveantque ne occaſione Viſitationum comeſſationes ullæ fiant.*

[a] De quibuſlibet denique Viſitatoribus illud patet ex Concilio Provinciali Colonienſi, an. 1538. ſub Hermanno Colonienſi Archiepiſ-

[a] Nous ordonnons *aux Curez* d'avertir leurs paroiſſiens en faiſant le Proſne, du temps auquel nous devons nous trouver dans leur Paroiſſe, & d'afficher à la porte de leur Egliſe les lettres Patentes de noſtre viſite, apres les avoir publiées; afin de citer par ce moyen tous ceux qui auront intereſt de s'y trouver.

copo, qui poſtea in hæreſim incidit, Tit. *De Viſitatione ac Synodis Epiſcopalibus Archidiaconalibuſque*, cap. 7. *Vbi ad Parochias ibitur, debebit Parocho ac populo paucis antè diebus adventus Viſitatorum ſignificari, quò tum omnes expediti adſint ac publicæ ſaluti intendant; denique ea ſacramenta ac munera, quæ per ſolum Epiſcopum adminiſtrantur, expurgati & præparati recipiant.*

Ex Johanne Franciſco de Pavinis *I. V. & Sacræ Theologiæ Doctore ac cauſarum ſacri Palatij Apoſtolici Auditore*, in *Baculo paſtorali* ſeu *Tractatu Viſitationum*, part. 1. quæſt. 5. *De præparatoriis viſitationis: Plura ſunt præparatoria facienda. Et primò quòd quilibet Viſitator per ſuas literas ſignificet adventum ſuum ſubjectis quos intendit viſitare, & non invadat eos ex improviſo; exemplo Chriſti qui perituri mundi mala denunciavit. .... Quapropter redarguendi ſunt Prælati qui contrarium faciunt ſecundùm Speculatorem qui dicit quòd cùm Prælati aliquid ſiniſtri audiunt de aliquo Eccleſiaſtico, priùs debent eum monere & inſtruere, nec debent re incognita ſe accendere contra eum, quia facilis eſt qui de facili credit. Non enim debet delectare infamia ſubditorum, ſicut quidam faciunt dicentes populo publicè dum » viſitant:* Si aliquis ſciat de Rectore vel Cle- » ricis dicat mihi, & ego ſic & ſic faciam & puniam. *Nam ſunt laici Clericis ſemper*

infeſti. Imò eorum diffamatio vel accuſatio audiri non debet. Nam ſecretè cum aliquibus de Parochia fide dignis inquirere debet. Nec debet paſſim recipere chartulas, quas frequenter ruſtici contra ſuos Rectores clanculò offerunt, de quo Speculator, qui videtur tenere quod non liceat recipere niſi contra publicè infamatum. Quæ præclarè Scriptor ille ex Guillelmo Duranto, Carnotenſis Eccleſiæ Decano & Epiſcopo Mimatenſi (cui Speculatoris cognomen inditum eſt,) admonet, ſi Viſitatores obſervarent, apud fideles populos curæ ſuæ traditos meliùs auderent Parœci ac Sacerdotes plerique, quibus vel nullâ, vel levi ſaltem ex cauſa, quam diſſimulare præſtitiſſet aliquando, infamiæ labes ſæpiſſimè inuritur per totam vitam duratura. Quod heic eo animo à me non profertur, ut criminosè ac ſuſpiciosè agentes Parœcos ac Sacerdotes puniri nolim, cùm eos potius omni accuratione diſquirendos ſuadeam, quo caſtigentur pro meritis; ſed ut in eorum animadverſione & pœna conveniens aliquis modus adhibeatur, qui *ſine offenſione ſit Iudæis & Gentibus & Eccleſiæ Dei*, quemadmodum habet S. Paulus in Epiſtolæ primæ ad Corinthios cap. 10. Plura in eam rem ſcribere animus eſſet, ſed, quod proverbio dicitur, vereor ut *ferrer extra oleas.*

Ex Luca Antonio Reſta, Epiſcopo Andrienſi & Apoſtolico Viſitatore, in *Directo-*

rij Viſitatorum parte 1. editionis Romanæ an. 1593. cap. 2. ubi denunciandum viſitandis ait Viſitatoris adventum *generali propoſito edicto, quod legendum inter publica miſſarum ſolemnia.* Et part. 2. cap. 1. *Adventum Viſitatoris* teſtatur *indicendum ſcripto & voce.*

Ex Annibale Rocho in *Tractatu Viſitationum*, in quo *Viſitatores qui non ſignificant per literas adventum ſuum illis quos intendunt viſitare, redarguendos eſſe* dicit.

Denique ex Bartholomæo Gavanto Præpoſito Provinciali Romano Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, & ſanctæ Romanæ Rituum Congregationis Conſultore, in *Praxi compendiaria viſitandæ civitatis & Diœceſis ab Epiſcopo*, parag. 4. Tit. *Index præparandorum à Viſitatore pro Viſitatione*, num. 2. *Præmonitiones fiunt per literas ad Parochos.* Et parag. 5. Tit. *Index præparandorum à viſitandis.* num. 2. *Monitio populo fiat de proxima viſitatione, cauſis, effectibus & ritu, intra miſſas lectis Paſtoralibus literis, ſi datæ ſunt, & moneatur populus ad revelandum ea quæ correctione egent.*

Videant nunc qui clam & quaſi furtivè, nec præmonitis Parœcis, Parœcias luſtrant Archidiaconi, aliique Viſitatores omnes, utrum S. Paulo Gentium Apoſtolo audientes ſe præbeant, *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fieri*, in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 14. præcipienti.

CAPUT XIII.

Nonnulli Archidiaconi Eccleſias ſibi ſubjectas, aliis luſtrandas committere ſolent, qui & procurationem exigunt: cùm eas per ſe ipſi viſitare teneantur, nec niſi per ſe viſitantibus debeatur procuratio, ut variis eſt Conciliis Statutum. Solis Epiſcopis Eccleſias per alios viſitare conceſſum.

X. QUIBUSDAM in locis Archidiaconi non ipſi coràm obnoxias ſibi Eccleſias luſtrare ſolent, ſed aliis luſtrandas committere, quibus *procuratio*, ſeu *circada* (ut vocant Epiſcopi Carnotenſes Fulbertus in Epiſt. 110. & Ivo in Epiſt. 186.) quaſi ipſiſmet Archidiaconis penſitatur. Qua quidem in re Archidiaconi tum ſacris Canonibus & Epiſcoporum ſanctionibus, cùm Regiis conſtitutionibus ac Pariſienſis Curiæ placitis contraveniunt; quibus omnibus apertè decernitur ut ipſi Parœcias viſitent, non verò alios ad id muneris obeundum delegent. Id enim colligere eſt ex cap. *ut Archidiaconus*, ex cap. *Mandamus* Tit. *De Officio Archidiaconi*: Et ex his verbis Concilij Provincialis Rotomagenſis an. 1445. ſub Radulpho Rouſſelio Archiepiſcòpo Rotomagenſi, cap. 19. *Item monet eadem Synodus Archidiaconos ſuos*

Archidiaconatus perſonaliter viſitare. Id etiam expreſsè docet Concilium Tridentinum in Seſſ. 24. Decreto *De reformatione*, cap. 3. ubi legitur: *Archidiaconi autem, Decani & alij inferiores, in iis Eccleſiis ubi hactenus Viſitationem exercere legitimè conſueverunt, debeant quidem aſſumpto notario de conſenſu Epiſcopi deinceps per ſe ipſos tantùm ibidem viſitare.* Conſentit Provinciale Concilium Remenſe an. 1564. ſub Carolo Cardinale Lotharingo Archiepiſcopo Remenſi, ſtat. 18. ubi ait: *Archidiaconi Viſitationem ſuam ſtatuto tempore exequantur diligentiſſimè per ſe ipſos.* Et Concilium Provinciale Turonenſe an. 1583. ſub Simone Mallæo Archiepiſcopo Turonenſi, in Seſſionis apud Andes Tit. *De juriſdictione & Viſitatione*, in quo legas: *Archidiaconis annis ſingulis per ſe ſuas Eccleſias viſitare diſtrictè præcipimus.* Concordant denique Pariſienſis Senatus & Magnum Conſilium. Ille dum Decreto an. 1551. Archidiaconis Carnotenſibus; hoc autem dum Placito an. 1613. Johanni Fleurioto Abbati Begarienſi & in Trecorenſi Eccleſia Archidiacono Majori, conſtitutâ juris pœnâ mandat, ut Eccleſias ipſi per ſe viſitent. Unde conſtat contra Conciliorum Canones, SS. Patrum decreta, & ſupremarum Galliæ curiarum ſanctiones peccaſſe olim Pariſienſes Archidiaconos, qui ſe ſubjectas juriſdictioni ſuæ Eccleſias *per Vicarios* viſitare poſſe exiſtimabant,

bant, in *Stylo generali Notariorum Apoſtolicorum*, Rotomagi in lucem emiſſo an. 1648. pagg. 188. & 189. Ac peccare etiam nunc Sagienſes Archidiaconos dum ſuis in Mandatis Parœcos ita alloquuntur: *Notum facimus quòd pro implendo noſtræ dignitatis munere die.. ..... veſtram Eccleſiam per nos ſeu Vicarium noſtrum viſitare intendimus.* Quæ verba ſunt Mandatorium Nicolai Regnoti Belliſmenſis in Sagienſi Eccleſia Archidiaconi an. 1663.

Solis quippe Epiſcopis diœceſes ſuas per alios viſitare conceſſum fuit, modò tamen ipſi ſint legitimè præpediti. *Patriarchæ* (inquit eodem in loco Concilium Tridentinum) *Primates, Metropolitani & Epiſcopi, propriam diœceſim per ſeipſos, aut (ſi legitimè impediti fuerint) per ſuum Generalem Vicarium aut Viſitatorem (ſi quotannis totam propter ejus latitudinem viſitare non poterunt, ſaltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per ſe, vel Viſitatores ſuos compleatur) viſitare non prætermittant.*

Hoc ipſum conſtituit Provincialis Synodus Rotomagenſis an. 1581. ſub Cardinali Carolo Borbonio, Archiepiſcopo Rotomagenſi, Tit. *De Epiſcoporum officiis*, num. 27. his vocibus: *Archidiaconi & Decani, & ſi qui alij habuerint jus viſitandi eadem præſtabunt, nec propter eos Epiſcopus, vel, eo impedito, ejus Viſitator eaſdem Eccleſias ſeorſum ab his*

viſitare prohibeatur. Et clariùs adhuc in Tit. *De Epiſcopis & Capitulis*, num. 27. *Archidiaconi quotannis per ſe viſitent, & diarium ſuæ Viſitationis ad Epiſcopum referant. Quod ſi neglexerint, aut alia de cauſa per Epiſcopum dijudicanda fuerint impediti, per Epiſcopum aliquis Doctor in Theologia, aut alius idoneus repertus, & ab ipſo approbatus ad viſitandum deputetur.* Quæ verba propemodum eadem replicantur in mandato 1. Synodi Autumnalis Rotomagi celebratæ an. 1631. ſub Franciſco Campo-valonio Archiepiſcopo Rotomagenſi. Accedit Concilium Provinciale Aquenſe an. 1585. ſub Alexandro Canigiano, Archiepiſcopo Aquenſi, Tit. *De Viſitatione*, dum ait: *Hoc ita neceſſarium planè debitum viſitandi munus Provinciæ noſtræ Epiſcopi ita ſollicitè exequantur, ut ſuæ quiſque urbis ac diœceſis Viſitationem ſingulis annis, aut ſi impediti, biennio ad ſummum ipſi per ſe conficiant. Si verò, legitima occupatione cauſave impediti, id muneris aliquando per ſeipſos obire nequeant. Vicarios Generales Viſitatoreſque alios hujus rei uſu peritos atque idoneos adhibeant, qui Viſitationis officium ſedulò (ut par eſt) præſcripto tempore exequantur.*

Atque ejuſmodi conſtitutiones Canoni 36. Concilij Toletani 4. an. 633. conſentaneæ ſunt omnino. Sic enim loquitur: *Epiſcopum per cunctas diœceſes Parochiaſque ſuas, per*

ſingulos annos ire oportet, ut exquirat quo unaquæque baſilica in reparatione ſui indigeat. Quòd ſi ipſe aut languore detentus aut aliis occupationibus implicatus id explere nequierit, Preſbyteros probabiles aut Diaconos mittat, qui & reditus baſilicarum, & reparationes, & miniſtrantium vitam inquirant. In eamdem ſententiam abeunt Innocentius III. cap. *Inter cetera*, Tit. *De officio Iudicis ordinarij*, & Henricus III. Gallorum Rex in Comitiis Bleſenſibus, cap. *De Statu Eccleſiaſtico*, art. 32.[a] cujus verbis abrogatus videtur (ad Archiepiſcopos & Epiſcopos quod attinet) articulus 6. capitis 1. Conſtitutionum in Conſiliis Aurelianenſibus promulgatarum, ubi Karolus 9. jubet *Archiepiſcopos, Epiſcopos & Archidiaconos ſuarum diœceſeon Eccleſias coram perluſtrare.*[b]

Denique id ipſum docet Johannes Gerſonius in Tractatu *de Viſitatione Prælatorum* vel *De cura Curatorum*, ferè initio, ubi ait: *Paſtor juxta Canonicas ſanctiones viſitet diligenter, & crebrò ſuum gregem, aut per ipſum, aut per Vicarios doctos, habentes plenariam ab eo poteſtatem, in negotiis præſertim ſpiritualibus ordinandis & expediendis, præ-*

a Les Archeveſques & Eveſques ſeront tenus de viſiter en perſonnes, ou, s'ils ſont empeſchez legitimement, leurs Vicaires generaux les lieux de leurs Dioceſes tous les ans.

b Viſiteront les Archeveſques, Eveſques & Archidiacres en perſonne les Egliſes & Cures de leurs Dioceſes, & taxeront leur pretendu droit de Viſitation ſi moderement, que l'on n'ait occaſion de s'en plaindre.

cipuè circa materiam pœnitentiæ, prout eis viſum fuerit expedire, & cum moderato ſtipendio eis ordinando per Prælatum.

Quòd autem Archidiaconis nulla procuratio debeatur, niſi per ſe ipſi Eccleſias inviſant, apertè colligitur.

. Ex Concilio Pariſienſi, ſub Roberto de Corceone Cardinale Legato, an. 1212. part. 1. cap. 15. *Firmiter inhibemus, juxta Concilium Toletanum, ne quis Archidiaconus exigat procurationem, aut pretium pro redemptione procurationum ab Eccleſiis quas perſonaliter non viſitat, & quibus debitum Viſitationis Officium non impendit. Si quis autem contra hoc venire tentaverit, ſi monitus non deſtiterit, prædictas procurationes ſibi ſubtrahi præcipimus, ut in eo puniatur in quo deliquerit. Si verò nec per hoc correctus fuerit, excommunicetur.*

Ex Conſtitutionibus Richardi Pooreſarum Epiſcopi, circa an. D. 1217. cap. 77. *Certum eſt quòd procurationes Archidiaconorum, aut officium exercẽtes non debent quærere quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, prædicationi, exhortationi, correctioni & reformationi inſiſtentes, ut fructum referant qui non perit. Quapropter Sacroſancti Concilij veſtigiis inhærentes præcipimus, quòd procurationes nullatenus dentur, niſi perſonis Viſitationis officium exercentibus.*

Ex Concilio Oxonienſi an. 1222. ſub Ste-

phano Langtonio Cantuarienſi Archiepiſcopo, can. 21. *Vt ſingula Eccleſiaſtica Officia in Eccleſia rite procedant ſecundùm Canonicas ſanctiones, ... Archidiaconis diſtrictiùs inhibemus ne aliquo modo procurationem recipiant ſine cauſa rationabili, niſi illo die quo perſonaliter viſitant Eccleſiam procurantem; nec redemptionem pro viſitatione extorquere præſumant.*

Ex Concilio Londinenſi an 1268. ſub Othobono Cardinale S. A. Legato, can. 19. *Naturalis diſpoſitionis effectus ſemen ſerenti reddi, & ſemen laboris multiplicabit operanti. Abſurdum verò ſimulque iniquum nemo dubitat, ibi quemquam, ubi non ſeminat, metere: & ex iis colligere quæ non ſpargit. Ex iis ſacrorum Canonum proviſio æquitate ponderata decrevit, ut Eccleſia, quæ Viſitationem recipit, temporalibus & ſpiritualibus Eccleſiarum bonis ſalubriter inſtitutam procurationem exhibeat viſitanti. Cùm autem ratione viſitationis procuratio debeatur: ſi quid exigitur vel recipitur, hujuſmodi ratione ceſſante jam malè accepti & indebiti nomen ſubit. Cùm igitur intellexerimus, quòd plerique Prælati procurationes à ſubditis exigunt, licet Viſitationis officium non impendant: Nos tam indemnitati Eccleſiarum, quàm Prælatorum ſaluti conſultiùs providentes, diſtrictius inhibemus, ne quis eorum procurationem, quæ ratione Viſita-*

tionis debetur, ab Eccleſia quacumque recipiat, niſi cùm eidem officium impendit Viſitationis. Qui verò aliter receperit: donec reſtituerit, ab ingreſſu Eccleſiæ ſit ſuſpenſus.

Ex Concilio Provinciali Langeſienſi, an. circiter 1274. ſub Johanne Monte Sorellenſi Archiepiſcopo Turonenſi, can. 1. *Quia cautum eſt in jure, procurationem ratione Viſitationis deberi in victualibus, non in pecunia numerata; ac nonnulli Eccleſiarum Prælati non viſitantes Eccleſias, ab eis etiam in pecunia recipere procurationes præſumunt: inhibemus ne pecuniam pro procurationibus, ſed expenſas tantummodo in victualibus à locis quæ viſitaverunt, recipiant moderatas: niſi à locis in quibus taxatæ ſunt procurationes ab antiquo in pecuniis, vel quæ inhabilia ſunt ad ſuſtentationem Prælati; adeo quòd in eis Prælatus honeſtè procurari non poſſet: quæ tamen loca, ante procurationis ſuſceptionem, Prælatos ſtatuimus viſitare teneri.*

Ex Synodo Exonienſi, an. 1287. ſub Petro Quivil, Exonienſi Epiſcopo, cap. 40. *Æterni largitor premij laborantibus panem manducare conceſſit, quem otioſis omnibus interdixit. Idemque Dominus omnium ſolis operariis in vinea ſua laborantibus, retributionis dona eſt largitus: Idemque ipſe in ſacro Evangelio auſteritati imputat dominantis, ſi tollat quod non poſuit, & metat quod minimè ſeminavit. Ex his ſancti Patres provin-*

dè informati in ſuis Canonibus decreverunt, ne quiſquam Prælatorum, cui Viſitationis incumbit officium, procurationem ea ratione reciperet, niſi quando perſonaliter viſitaverit, ut procuratio aliud non ſit niſi ſuſtentatio Viſitantis. Alioquin duplici infamia, negligentiæ ſcilicet & avaritiæ notaretur. Hinc eſt quod ſingulis Archidiaconis præcipimus, ut ab Eccleſiis, quando perſonaliter non viſitant, procurationes exigere, vel percipere non præſumant: alioquin, quod receperunt, velut indebitum & non ſuum reſtituant.

Ex Concilio Provinciali Londinenſi, an. 1321. ſub Vvaltero Reynaud Cantuarienſi Archiepiſcopo, can. 2. *Nos diſtrictiùs inhibemus præſentis autoritate Concilij, ne quis procurationem, ratione Viſitationis ſolvendam, ab aliqua præſumat recipere Eccleſia, niſi viſitationis officium eidem diligens impenderit, ſcrutatis perſonaliter & inſpectis per ipſum cum effectu quæ fuerint indaganda.*

Ex alio Concilio Provinciali Londinenſi, an. 1342. ſub Johanne Stretford Cantuarienſi Archiepiſcopo, can. 7. ubi laudata mox verba replicantur.

Ex Concilio Provinciali Andegavenſi, an. 1448. ſub Johanne Bernardi Archiepiſcopo Turonenſi, can. 9. *Autoritate præſentis Concilij diſtrictè prohibemus, ne de cetero diſpenſatione legitima ſuper hoc ceſſante Archidiaconi, Archipreſbyteri, Decani: aliæque*

perſonæ ultra unam procurationem recipere una die, ſive unum locum viſitatum, ſive plura etiam loca viſitare ſufficeret, ad procurationem integram perſolvendam quoquomodo præſumant: nec non etiam, ſi non debitè viſitabunt, quidquam percipiant; Cùm ferendum minimè ſit, ut temporalia metat, qui ſpiritualia non ſeminat.

Ac demum ex Concilio provinciali Burdigalenſi an. 1624. ſub Franciſco Cardinali Surdiaco, Archiepiſcopo Burdigalenſi, can. 21. num. 2. *Archidiaconi & alij, de conſenſu Epiſcopi dumtaxat viſitantes, & quicumque id munus exequentes, jus procurationis, niſi perſonaliter viſitent, exigere non poſſunt.*

CAPUT XIV.

Ita ſordidi & deſides ſunt Archidiaconi quidam, ut equo inſidentes ad viſitandas Eccleſias non deſcendant, & tamen procurationem efflagitent. Quamvis Eccleſias non perluſtrent, exigunt procurationem, quæ unius Viſitationis titulo penſitatur. Plures uno die Eccleſias inviſunt, pluresque procurationes accipiunt, cùm unam uno die Eccleſiam inviſere, unamque proinde procurationem accipere debeant.

XI. ADEO imperitè, avarè & negligenter in Viſitationibus ſuis ſe gerere conſueverunt Archidiaconorum nonnulli, ut in equo hærentes ad perluſtrandas Eccleſias nequidem deſcendant, & à Parœcis tamen ac Parochiarum procuratoribus, etiam pauperum ac miſerarum, procurationem extorqueant in pecunia, ſi poſſint; ſi verò non poſſint, Eccleſiarum miſſales libros (ut mihi à viris fide dignis nunciatum eſt) & Parœcorum pilea (quis credat?) per pediſſequos auferri mandent. Quod quàm turpe ſit ac flagitioſum nemo non intelligit.

Decrevit in Concilio Lateranſi 3. can. 4. Alexander III. & memoratur in capite *Cùm Apoſtolus*, Tit. *De cenſibus, exactionibus &*

procurationibus, lib. 3. Decretalium, ut *Parœcias viſitantes ita procedant, ut non quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti quærere videantur.* Innocentius III. in cap. *Procurationes*, eodem Tit. ait: *Viſitationis officium exercentes, non quærant quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, prædicationi & cohortationi, correctioni & reformationi vacando, ut fructum referant qui non perit.* Tridentini Concilii in idem argumentum verba ſunt iſta, ex Seſſ. 24. Decreto *de reformatione*, cap. 3. repetita: *Viſitationum omnium præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxámque doctrinam expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiámque accendere, cetera prout locus, tempus & occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere.*

An verò de quibus agitur id præſtant Archidiaconi, quorum præcipuus Viſitandi ſcopus videtur eſſe *ſua quærere non quæ Ieſu Chriſti*, curando cuticulā, & Eccleſiarum ac Parœcorum crumenas emungendo? Audiant illi quæ poſt verba mox laudata proximè ſubjungit Innocentius III. *Qui autem contravenire tentaverit* (hoc eſt, *Qui quæſiverit quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, qui prædicationi & cohortationi, correctioni & reformationi non vacaverit, ut fructum referat qui non perit*) *& quod accepit reddat, & Eccleſiæ quam taliter ag-*

gravavit tantumdem impendat. Audiant (inquam) & ad meliorem vitæ frugem reverſi, quod ita per avaritiam exegere, reſtituant ocyus, ſi ſaluti ſuæ conſultum velint. Eorum quoque recordentur quæ in Conſtitutionibus Melodunenſis conventus, Tit. *De Eccleſiarum Viſitatione*, decreta ſunt: *Cavendum hac tempeſtate ne Viſitatio fiat onus intolerabile, & offenſio detur Evangelio: ſed Viſitatores viſitandos tractent ut filios, ac pro ſua decentia, comitatu ac victu mediocri ſint contenti: & ſi Parœciæ ſint tenues, benignè & gratis viſitentur*, Et longè ante Melodunenſem conventum, in Concilio provinciali Rotomagenſi an. 1186. 3. Idus Februarias, ſub Vvaltero de Conſtantiis ex Lincolnienſi Epiſcopo, Archiepiſcopo Rotomagenſi, tempore Clementis III. capitulo 12. *Sicut* (inquit) *in Lateranenſi Concilio cautum eſt, ſtatuimus & firmiter obſervari præcipimus ne Archidiaconi per Archidiaconatus ſuos incedentes ſubditis onerofi exiſtant; nec ab aliquo Clerico procurationem recipiant, niſi competentes reditus habuerit. Statuimus etiam ut à nullo Clericorum, penes quos honeſtè & ſine magno gravamine hoſpitare non valent, nonniſi tres ſolidos uſualis monetæ in recompenſationem hoſpitii ſui recipiant. Si verò apud pauperes Clericos hoſpitari decreverint, vel forſan propter loci amœnitatem, vel propter negotiorum quæ tractant commoditatem, ſtatuimus ut quinque vel qua-*

procurationibus, lib. 3. Decretalium, ut *Parœcias viſitantes ita procedant, ut non quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti quærere videantur.* Innocentius III. in cap. *Procurationes*, eodem Tit. ait: *Viſitationis officium exercentes, non quærant quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, prædicationi & cohortationi, correctioni & reformationi vacando, ut fructum referant qui non perit.* Tridentini Concilii in idem argumentum verba ſunt iſta, ex Seſſ. 24. Decreto *de reformatione*, cap. 3. repetita: *Viſitationum omnium præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxámque doctrinam expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiámque accendere, cetera prout locus, tempus & occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere.*

An verò de quibus agitur id præſtant Archidiaconi, quorum præcipuus Viſitandi ſcopus videtur eſſe *ſua quærere non quæ Ieſu Chriſti*, curando cuticulã, & Eccleſiarum ac Parœcorum crumenas emungendo? Audiant illi quæ poſt verba mox laudata proximè ſubjungit Innocentius III. *Qui autem contravenire tentaverit* (hoc eſt, *Qui quæſiverit quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, qui prædicationi & cohortationi, correctioni & reformationi non vacaverit, ut fructum refera qui non perit*) *& quod accepit reddat, & Eccleſiæ quam taliter ag-*

gravavit tantumdem impendat. Audiant (inquam) & ad meliorem vitæ frugem reverſi, quod ita per avaritiam exegere, reſtituant ocyus, ſi ſaluti ſuæ conſultum velint. Eorum quoque recordentur quæ in Conſtitutionibus Melodunenſis conventus, Tit. *De Eccleſiarum Viſitatione*, decreta ſunt: *Cavendum hac tempeſtate ne Viſitatio fiat onus intolerabile, & offenſio detur Evangelio: ſed Viſitatores viſitandos tractent ut filios, ac pro ſua decentia, comitatu ac victu mediocri ſint contenti: & ſi Parœciæ ſint tenues, benignè & gratis viſitentur*. Et longè ante Melodunenſem conventum, in Concilio provinciali Rotomagenſi an. 1186. 3. Idus Februarias, ſub Vualtero de Conſtantiis ex Lincolnienſi Epiſcopo, Archiepiſcopo Rotomagenſi, tempore Clementis III. capitulo 12. *Sicut* (inquit) *in Lateranenſi Concilio cautum eſt, ſtatuimus & firmiter obſervari præcipimus ne Archidiaconi per Archidiaconatus ſuos incedentes ſubditis oneroſi exiſtant; nec ab aliquo Clerico procurationem recipiant, niſi competentes reditus habuerit. Statuimus etiam ut à nullo Clericorum, penes quos honeſtè & ſine magno gravamine hoſpitare non valent, nonniſi tres ſolidos uſualis monetæ in recompenſationem hoſpitii ſui recipiant. Si verò apud pauperes Clericos hoſpitari decreverint, vel forſan propter loci amœnitatem, vel propter negotiorum quæ tractant commoditatem, ſtatuimus ut quinque vel qua-*

tuor ad minus de vicinioribus Clericis beneficia habentibus, onera ipſius hoſpitii communiter ſupportent. Unde meritò *Sacerdotale, juxta conſuetudinem S. R. E. ſacrique Concilii Tridentini Sanctiones, Auctore Franciſco Samarino Beneficiato Lateranenſi*, part. 2. agens *Archidiaconi de quibus debent per Viſitatores interrogari*, tradit iſta: *Viſitantes autem Archidiaconos interrogent an faciant tallias in Preſbyteros? Item ſi volunt habere vaccam albam, vel aliud certum temporale pro facienda inveſtitura? Item ſi vendunt juriſdictionem & vices ſuas? Item ſi opponunt ſe contra Epiſcopos indebitè, quorum oculi ſunt; unde vellent aliqui Epiſcopi amiſiſſe oculos? Propter quod talis Archidiaconus tamquam membrum putridum ab Eccleſia eſt meritò removendus. Item ſi ſunt circa ſuum Officium negligentes?*

Ejuſmodi porro avarorum negligentiúmque Archidiaconorum agendi ratio prudentiſſimis regulis conſentanea non eſt, quas Viſitatoribus ita præſcribit Johannes Gerſonius Serm. habito in Concilio Remenſi, an. 1408. 3. partitione generali, proviſione 11. ubi ſcribit: *Fiat frequentior utiliorque Viſitatio per totam diœceſim vel provinciam, ſpargendo ubique bonum ſemen verbi Dei, etiam (ſi fieri commodè poteſt) præſente Prælato principali, prout jura volunt ut circumeat Parochiam. Hic eſt cardo totius Reformationis Eccleſia-*

ſtica.... Quemadmodum enim vetere proverbio dicitur, Oculus Domini impinguat equum: ſic præſentis Paſtoris autoritas nutrit & paſcit gregem ſuum. Ita tamen ſi providus & compoſitus in ſe & familia ſua paſtor fuerit & ſagax, non latro vorax.... Concernit quoque ſic Viſitationis modus Archidiaconos, ne plus ad quæſtum & ſubverſionem, quàm ad pietatem & ædificationem ſua viſitatio judicetur executa; Et ne ſint velut cattus abigens quidem mures à caſeis, ipſos verò plus devorans. Quam heic pius Academiæ Pariſienſis Cancellarius inſtituit comparationem, avidorum Archidiaconorum mores graphicè exprimit, qui cùm avaritiam Deo pariter ac hominibus inviſam à Parœcorum ceterorúmque Clericorum animis amandare debeant, ſtudioſè illam conſectantur, ſecuri malorum quæ olim collegis ſuis Lucio Peluſiotæ, Lampadio Lingonenſi, Lyſiardo & Theobaldo Noterio Pariſienſibus Archidiaconis intentata ſunt ac contigere. Lucium ita affatur S. Iſidorus Peluſiota in lib. 4. Epiſtolarum, Epiſt. 188. *Oculi ſunt Epiſcopi venerandi altaris Diaconi. Tu verò cùm horum ſis permiſſione divina princeps, totus oculus eſſe debes, perinde ut illa multis oculis prædita animalia, quæ propinquo ad Deum acceſſu imitaris, non vita ut audio, ſed ſola ſacri muneris functione. Neque divinum altare avaritiæ iniquitate contaminare, neque electiones quæſtui habere, ut ex*

illarum pretio opes ac reditus tibi compares. Nam eos qui columbas vendebant Chriſtus flagellatos ex templo proturbavit. Quare ne tu quoque unà cum illis expellare, deſine tales divitias colligere, & materiam ac pabulum futuro igni ſempiterno præparare. Lampadium Autor eſt S. Gregorius Turonenſis in lib. 5. Hiſtor. Francor. cap. 5. *quòd multùm de rebus fraudaſſet Eccleſiæ, ac de ſpoliis pauperum agros vineáſque vel mancipia congregaſſet*, à Mummolo Lingonenſi Epiſcopo *omni re nudatum à præſentia* ejus *juſſum abigi.* Quis fuerit Lyſiardus, his exponunt Leuthericus Senonenſium Archiepiſcopus & Fulbertus Carnotenſium Epiſcopus, in Epiſtola *Clero ſanctæ Pariſienſis Eccleſiæ* ſcripta, quæ inter Fulbertinas numero 34. reperitur: *Inter adverſarios* Paſtoris veſtri Pariſienſis Epiſcopi *unus eſt nomine Lyſiardus, olim quidem Archidiaconus: qui cùm eſſe deberet oculus Epiſcopi ſui, diſpenſator pauperum, catechiſator inſipientium, apoſtatavit ab omnibus his, & factus eſt Epiſcopo ſuo quaſi clavus in oculum, prædo pauperibus, dux erroris inſipientibus: quia ſuperba & contumelioſa maledicta in Epiſcopum ſuum jaculans, ſerenitatem ſpeculationis ejus turbat, decimas & oblationes altarium, ſtipem videlicet pauperum, ſuo Epiſcopo inconſulto, ſæculari militiæ tradit. Et cùm talia facit, dat inſipientibus erroris & perditionis exemplum, quibus impendere*

debuerat vera ſcientia Catechiſmum. . . . . . Quapropter & nos à Sanctorum Patrum ſententia diſcrepare nolentes, conſequenter illum à communione ſeparamus, quantum noſtra poteſtati conceditur, donec reſipiſcat & Epiſcopo ſuo dignè humiliatus ſatisfaciat: Et niſi citò reſipiſcens ad ſatisfactionem venerit, in plenaria Synodo perpetuò anathemate ferietur. Nota denique omnibus eſt Theobaldi Noterii hiſtoria, qui nepotum ſuorum miniſterio clariſſimum Martyrem Magiſtrum Thomam S. Victoris ad Pariſios Priorem, prope Calam monaſterium occidit, quòd publicis illius exactionibus extremæque rapacitati vehementer obſiſteret. Cujus mortis causâ coactum eſt Jotrenſe Concilium an. 1130. Scriptæque literæ Stephani Pariſienſis Epiſcopi ad F.R.E.H. Archipreſbyteros & Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum ac S. A. Legatum, Innocentii II. & Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi ad Concilii Jotrenſis Patres S. Bernardi 158. ſuo, & 159. Stephani Pariſienſis nomine ad Innocentium II. ac poſtremò Petri Venerabilis, Abbatis Cluniacenſis 17. lib. 3. ad eundem Summum Pontificem. De quibus omnibus mentionem facit Philippus Gorrellus S. Victoris Prior in *Vita & Martyrio* prædicti *Magiſtri Thomæ*.

Ceterùm heic non videtur omittendum, quod de Archidiaconorum avaritia ſic tradit Concilium Pariſienſe 6. an. 829. lib. 1. cap. 25.

Non ſolùm *rumore, ſed etiam evidentibus factis comperimus, quorumdam Epiſcoporum miniſtros, non ſolùm in Preſbyteris, ſed etiam in plebibus Parochiæ ſuæ, avaritiam potius exercere, quàm utilitati Eccleſiaſticæ dignitatis inſervire, populique ſaluti conſulere. Quam negligentiã, imò & execrabile ac damnabile cupiditatis vitium, omnibus in commune deinceps vitandum ſtatuimus. Pertimeſcenda porrò & vigilanter cavenda eſt Domini ſacerdotibus Heli ſacerdotis ruina, qui filios ſuos indignè agentes, Dominúmque in ſuis pravis actibus ad iracundiam provocantes, ſacrificióque Domini, injuriam irrogantes, quia verbis tantùm & non verberibus corripuit, eis divina, juſtáque ultione ruentibus ruit. At ſi fortè, quod abſit, ullus Epiſcoporum deinceps ſectatores avaritiæ miniſtros in Parochia ſua conſtituerit, & eorum cognitam pravitatem autoritate Paſtorali acriter ferire detrectaverit, exemplum negligentes Heli ſacerdotis imitari ſe cognoſcat, ſciátque quia quidquid pravitatis vel avaritiæ hujuſmodi ſubjecti in plebibus Chriſti egerint, ſi eos corrigere juxta facti qualitatem neglexerit, in eum procul dubio à quo conſtituti ſunt, ea quæ admiſerint redundabunt, & Synodali correptioni modis omnibus ſubiiciendum. Nam & in communi conſenſu ſtatuimus, ut unuſquiſque Epiſcoporum ſuper Archidiaconis ſuis deinceps vigilantiorem Curam adhibeat, quoniam*

niam propter eorum avaritiam & morum improbitatem, multi ſcandalizantur, & miniſterium ſacerdotale vituperatur, & in Eccleſiis à ſacerdotibus multa propter eos negliguntur. Eadem ferè verba replicat Concilium Aquiſgranenſe 2. an. 836. Tit. *De vita & doctrina inferiorum ordinum, can.* 4.

XII. Archidiaconi ſunt qui procurationem flagitent & extorqueant ex conſuetudine, quamvis Viſitationem nullam, ſive per ſe ipſi, ſive per alios exerceant; cùm tamen unicâ Viſitationis causâ (uti jam in cap. 13. probavimus) Viſitantibus Eccleſias procuratio debeatur, quemadmodum Gregorius IX. in capitibus *Cùm nuper*, & *Auctoritate*, lib. 3. Decretalium, Tit. *De cenſibus, exactionibus, & procurationibus*, declaravit, ac cum eo Innocentius III. ibidem, cap. *Procurationes*, in quo ait: *Procurationes, quæ ratione Viſitationis debentur Epiſcopis vel Archidiaconis, vel quibuſlibet aliis, etiam Apoſtolicæ Sedis Legatis aut Nuntiis, abſque manifeſta & neceſſaria cauſa nullatenus exigantur, niſi quando perſonaliter officium Viſitationis impendunt.* Quibus conformia ſunt quæ Concilium Provinciale Salmurienſe, an. 1253. ſub Petro Lamballenſi Archiepiſcopo Turonenſi habitum, ita ſancivit in cap. 9. *Non ſine radice cupiditatis procedit quòd nonnulli Prælati provinciæ Turonenſis in Prioratibus & Eccleſiis, procurationem, aut aliquid nomine procurationis, re-*

M

cipiunt in pecunia numerata; & nihilominus ſubditos ad eos in eiſdem locis procurandos compellunt, ſic ab eis procurationem duplicem exigendo. Quod fieri diſtrictius prohibemus. Cùm ratione Viſitationis debeatur procuratio: inhibemus diſtrictè præcipientes, ut nullus procurationem recipiat niſi à locis dumtaxat Viſitatis. Unde meritò Pariſienſis Senatus Decreto an. 1566. in gratiam Prioris Ferto-Galceriani prolato vetuit procurationem Meldenſi Epiſcopo penſitari, niſi per ſe ipſe viſitaret.

Id verò eſt quod ipſum procurationis nomen enucleatè indicat. Unde enim *procuratio* dicitur, niſi vel quia datur *pro Cura Viſitatorum*, ſeu *pro curando eorum corpore*, ſeu *pro cura* quam Parœcis, Parœcianis & Parœcialibus Eccleſiis impendunt: ſeu denique quia Viſitatores Parœcorum, Parœcianorum & Parœcialium Eccleſiarum rationes ac negotia *procurant* in bonum? *Vt procuratio aliud non ſit* (quemadmodum loquitur Synodus Exonienſis, an. 1287. cap. 40.) *Niſi ſuſtentatio viſitantis.* At quomodo talia *procurare* poſſunt non viſitantes Archidiaconi?

Denique Innocentius IV. Tit. *De cenſibus, exactionibus & procurationibus*, in Sexto, cap. *Romana*, ait *univerſos viſitantes* debere *procurationes à locis tantùm recipere viſitatis*. Et Gregorius X. in Concilio generali Lugdunenſi, cujus mentio fit in cap. *Exi-*

git, Tit. eodem, Innocentii IV. Conſtitutionem, unde citata modò vocabula depromuntur, inſtaurans, præcipit *ut univerſi & ſinguli qui ob procurationem ſibi ratione Viſitationis debitam, exigere pecuniam, vel etiam à volente recipere, vel aliàs, Conſtitutionem ipſam* Innocentii IV. *recipiendo munera, ſive, Viſitationis officio non impenſo, procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occaſione, violare præſumpſerint, duplum ejus quod receperint, Eccleſiæ à qua id receptum fuerit, intra menſem reddere teneantur. Alioquin* (inquit) *ex tunc Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, duplum ipſum ultra prædictum tempus reſtituere differentes, ingreſſum ſibi Eccleſiæ ſentiant interdictum. Inferiores verò ab officio & beneficio noverint ſe ſuſpenſos, quouſque de duplo ejuſmodi gravatis Eccleſiis plenariam ſatisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratiâ valiturâ.* Quæ voces à Bonifacio VIII. confirmantur ibidem in cap. *Felicis*, & à Concilio Tridentino Seſſ. 24. Decreto *de Reformatione*, cap. 3. quantum ad *dupli reſtitutionem* attinet *intra menſem faciendam.*

XIII. Plerique (ne dicam omnes) Archidiaconi multas una eadémque die Eccleſias inviſere ſolent, multáſque proinde una eadémque procurationes recipere. Atqui procurationem unicam, etiamſi multas una eademque

die luſtrent Eccleſias, quibuſcumque Viſitatoribus deberi, in mox laudato, cap. *Felicis*, ita tradit Bonifacius VIII. *Felicis recordationis Gregorius Papa X. prædeceſſor noſter prohibuit in Concilio Lugdunenſi, ne aliqui ob procurationem ſibi ratione Viſitationis debitam, exigere pecuniam præſumerent, vel etiam recipere à volente. Verùm, quoniam rerum experientia nos inſtruxit ex hoc tam perſonis viſitantibus, quàm locis & Eccleſiis viſitatis multa incommodorum diſpendia provenire, concedimus ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi & alii quibus ex officio competit viſitare, à volentibus Eccleſiarum & locorum viſitatorum Rectoribus ſeu perſonis, pecuniam licitè recipere valeant pro ſumptibus moderatè faciendis in victualibus, diebus quibus Viſitationis officium perſonaliter exercebunt. Adjicientes quòd* NON LICEAT VISITANTI NISI UNAM PROCURATIONEM RECIPERE UNA DIE, SIVE UNUM LOCUM SOLUM VISITAVERIT, SIVE PLURA, ETIAMSI LOCUS QUILIBET VISITATUS AB ILLO SUFFICERET AD PROCURATIONEM INTEGRAM PERSOLVENDAM, *cùm eidem ſufficere debeat ut temporalia metat à locis perſonaliter viſitatis, pro diebus quibus eis ſpiritalia ſubminiſtrat.* Eadem legas in provinciali Londinenſi, an. 1321. ſub Vvaltero Reynaud Archiepiſcopo Cantuarienſi, cap. 1. his vocibus: *Si quis plures Eccleſias viſitare voluerit uno*

die, procuratione unica in victualibus, vel pecunia, ad quam omnes & ſingulas, ſic unico die viſitatas, proportionaliter faciat contribuere, prout tradunt Canones, ſit contentus.

Quæ in alio provinciali Concilio Londinenſi, an. 1342. ſub Johanne Stretford Cantuarienſi Archiepiſcopo, repetuntur cap. 7. conſonat Concilium provinciale Andegavenſe, an. 1448. ſub Johanne Bernardi Archiepiſcopo Turonenſi, cap. 9. ubi dicitur: *Autoritate præſentis Concilii diſtrictius prohibemus ne de cetero diſpenſatione legitima ſuper hoc ceſſante Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani, aliæque perſonæ ultra unam procurationem recipere una die, ſive unum locum viſitatum, ſive plura etiam loca viſitare ſufficeret, ad procurationem integram perſolvendam quoquomodo præſumant: nec etiam, ſi non debitè viſitabunt, quicquam percipiant.... Si autem quis prædictorum contra præmiſſa quicquam agere præſumpſerit, Eccleſiæ à qua receptum fuerit, infra menſem reddere teneatur. Quod ſi non fecerit, ſe noverit jure ab officio & beneficio fore ſuſpenſum, quouſque de duplo hujuſmodi gravatis Eccleſiis plenariam impenderit ſatisfactionem, in illa & in hac dantium remiſſione, liberatione, ſeu gratia valitura.*

Atque hæc decreta Eccleſiæ menti & rationi naturali apprimè convenientia videntur. Neque enim rectè & ut oportet duabus,

tribus, quatuor aut pluribus una eadémque die viſitationibus inſtituendis pares ſunt Archidiaconi. Satis quippe eſt unica, modò res tota ſerio peragatur. Ceteroquin indiligentiæ arguentur ac ſocordiæ, eorúmque malorum conſcij habebuntur, quibus, cùm potuerint & debuerint afferre, opportunum non attulerint remedium.

Adde his *in optione eorum* eſſe *qui viſitantur* (ut ait Concilium Tridentinum in Seſſ. 24. decreto *De Reformatione*, cap. 3.) *ſi malint ſoluere id quod erat ab ipſis antea ſolui, certâ pecuniâ taxatâ, conſuetum: an verò victualia ſubminiſtrare, quæ ſibi ac ſuis frugaliter moderatéque, pro temporis tantùm neceſſitate & non ultra ſunt miniſtranda.* Quod etiam eſt à Benedicto 8. in lib. 3. *Extravagantium Communium*, tit. 10. cap. unico, De Archiepiſcopis & Epiſcopis, & à Senatu Pariſienſi 8. Aprilis, an. 1556. de Archidiaconis coram viſitantibus, conſtitutum. At pro una die unius diei alimentum cùm ſufficiat, unam quoque procurationem ſufficere fatendum eſt, qualis ubique ferè Archidiaconis à ſingulis Parœcis & Eccleſiis penditur. Quare ſi ea ipſis ab Eccleſiarum quas inviſunt Rectoribus ſive in pecunia, ſive in victualibus erogetur, ab earumdem Eccleſiarum Proviſoribus eadem die aliam non debent accipere; alioquin adverſus Conciliorum Canones, & Romanorum Pontifi-

cum decreta oppidò committunt.

Huic doctrinæ adſtipulantur uno quaſi ore Scriptores illi quos vulgus *Summiſtas* vocat, Angelus de Clavaſio, Silveſter Prieras, Johannes de Tabia & alii id genus complures, qui Caſuitarum inſtar ſeſe exſcribunt. In Summis enim, ad V. *Viſitatio* ſic aiunt: *Poteſt Viſitator recipere procurationem. Et nota quòd oportet quòd primò procurationem recipiat ſolùm. Secundo quòd ſolùm à locis Viſitatis & non ab aliis. Tertiò quòd ſolùm ſit pro victu illius diei, ſive ſit in victualibus, ſive in pecunia. Quartò quòd tantùm una die unam procurationem recipiat, ſive unam, ſive plures viſitet Eccleſias.* Quibus utique vocabulis ea quoque ſtabiliuntur quæ à nobis ſunt hactenus de procurationibus Viſitatorum conſcripta. Unde etiam conficitur Archidiaconos acceptâ, ſeu à Parœcis, ſeu à Viſitatarum Eccleſiarum proviſoribus, unâ unius diei *in victualibus aut in pecunia procuratione*, alias eadem die ab aliis, ſeu Parœcis, ſeu Viſitatarum Eccleſiarum proviſoribus, recipere nec poſſe, nec debere. Quas ſi accipiant, (ut revera omnes accipiunt) ad reſtitutionem quin teneantur, nemo eſt qui ambigere meritò valeat. Quod idem eſt de Archipreſbyteris, ſeu Decanis ruralibus, ceteriſque omnibus Viſitatoribus exiſtimandum.

Ceterùm Archidiaconi ſi verentur ut non

habeant unde ſolidam diem in unius Parœcialis Eccleſiæ Viſitatione tranſigant, Hincmari Remenſis Archiepiſcopi *Capitula quibus de rebus Magiſtri & Decani per ſingulas Eccleſias inquirere & Epiſcopo renunciare debeant*; *Inquiſitiones per Archidiaconatus Epiſcopatus Lincolnienſis à ſingulis Archidiaconis faciendas*, quæ in 1. part. tomi 2. Conciliorum novæ editionis Pariſienſis habentur; Reginaldi Poli Cardinalis *Reformationem Angliæ*, anno 1556. editam, decreto 12; partem 4. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis; Pauli Fuſci Epiſcopi Sarſimenſis *de Viſitatione* libros duos; *Formulam Viſitationis diœceſis Colonienſis* quæ habetur ad calcem *Enchiridii Chriſtianæ inſtitutionis* in Concilio Provinciali Colonienſi ab Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo editi; Conſtitutiones Conventus Melodunenſis an. 1579. Tit. *De Eccleſiarum Viſitatione*; Concilium Provinciale Burdigalenſe an. 1583. ſub Antonio Prenotio Sanſaco Archiepiſcopo Burdigalenſi, Tit. 32. *de Viſitatione*; Concilium Provinciale Aquenſe an. 1585. ſub Alexandro Canigiano Archiepiſcopo Aquenſi, Tit. *De Viſitatione*; F. Feliciani Comenſis Epiſcopi *Manuale Viſitatorum*; Annibalis Rochi Tractatum *de Viſitatione*; Lucæ Antonii Reſtæ, Epiſcopi Andrienſis & Apoſtolici Viſitatoris, *Directorium Viſitatorum*; Michaelis Timothei *inſtructionem*

compendioſam

compendioſam viſitandi Eccleſias; Pauli Salodij *Praxim de Viſitatione*, Johannis Franciſci de Pavinis *Baculum paſtoralem ad dirigendos in viam pacis pedes viſitantium & viſitatorum*, ſeu *Tractatum Viſitationum*; Petri Suberti Epiſcopi S. Papuli *De cultu vineæ Domini librum*; Synodum Bituntinam ſub Cornelio Muſſo Epiſcopo Bituntino an. 1579. celebratam Sermon. 1. Bartholomæi Gavanti, *Enchiridij* ſeu *Manualis Epiſcoporum* partem 2. ac denique, ut ceteros omittam, Claudij à Cruce Preſbyteri *Perfectum Clericum*, part. 4. cap. 2. legánt attentiùs; & ſi, quæ ejuſmodi libris præſcribuntur, accuratè velint exequi, tot ac tantis (aut vehementer fallor) in unius Eccleſiæ Parœcialis Viſitatione occupationibus impeditos ſe ſentient, ut iis una die vix ſe poſſint relaxare.

Sed de pravis Archidiaconorum conſuetudinibus jam ſatis fusè diſputatum licèt non inutiliter, aut παρέργως, niſi me fallit animus. Cùm enim ſibi unis geſtandam in Viſitationibus Stolam idcirco putent Archidiaconi, quód ita ferat conſuetudo; ideóque in conſuetudine tanquam in præcipuo ac propè unico firmamento, nitatur eorum cauſa, neceſſe viſum eſt conſuetudinem illam multis refellere, iiſque accenſendam demonſtrare, quæ quamquam ab Archidiaconis vulgò uſurpatæ, penitùs tamen reiiciendæ veniunt, quia *ſacris ſunt inimicæ Canonibus*, & *Eccleſia-*

ſticis obviant inſtitutis. Quàm verò ab Eccleſiæ, Conciliorum, Scriptorum Eccleſiaſticorum, ac Senatus Pariſienſis mente atque à recta ratione alienum ſit Parœcos Archidiaconorum viſitationibus Stolatos non intereſſe, vel cæco & puero (quemadmodum proverbio dicitur) perſpicuum fiet in ſequentibus, ubi de variis Stolæ nominibus & notationibus aliqua diſſeruero.

CAPUT XV.

Stola unde dicta? Pro veſte quavis accipitur. Propriè tamen muliebrem innuit. Heic pro veſte Eccleſiaſtica tantùm uſurpatur. Quo tempore geſtari cœperit in Eccleſia? Cur hoc illi nomen inditum? Vocatur aliquando palla linoſtima: *aliquando* orarium *&* orarius. *Quid ſignificet* orarium, *tum apud profanos, cùm apud ſacros Scriptores? Unde originem habeat ſive Græcam, ſive Latinam? Stola etiam dicta Græcis* ἐπιτραχήλιον, *hoc eſt* cervicale *ſeu* collarium. *ἐπιτραχήλιον unis Preſbyteris, ὠράριον verò Preſbyteris juxta atque diaconis convenit.*

OMNE veſtimenti genus quo ſeu viri, ſeu mulieres utuntur, στολὴ Græcis ſcriptoribus eſt appellatum; vel à στέλλειν, quod

eſt *ornare* ſive *honeſtare* : *vel à* στέλλειν, quod inter alia ἐνδύειν ac περιβάλλειν, hoc eſt *veſtire* atque *induere*, ſignificat.

Ejuſdem omnino ſignificationis eſt *Stola* apud Latinos Auctores, tum ſacros, cùm profanos. Hinc Nonius Marcellus in libri *De proprietate ſermonum* cap. 14. obſervavit, *Stolam veteres* nominaſſe, *non honeſtam veſtem ſolùm, ſed etiam omnem quæ corpus tegeret*. Hinc etiam Vulgatus noſter ſacrorum Bibliorum interpres, ſive S. Hieronymus, ſive quiſpiam alius, multis in locis, ſed maximè Geneſ. cap. 41. 45. & 49. Judith cap. 16. Eſther cap. 6. Eccli. cap. 6. 45 & 50. Baruc cap. 4. lib. 1. Machab. cap. 6. & 14. lib. 2. Machab. cap. 3. & 5. Marc. cap. 12. & Luc. cap. 15. ac 20. *Stolam* generatim accipit pro quocumque tum Regum, tum Patriarcharum, tum Sacerdotum, tum etiam privatorum hominum privatarúmque mulierum indumento; quod & alij ſcriptores propemodum innumeri factitarunt.

Propriè tamen *Stola* muliebrem veſtem innuit, ſi Lazaro Bayſio fides in cap. 17. libri *De re veſtiaria*; & Octavio Ferrario in lib. 3. de eodem argumento, cap. itidem 17. *Ad matronarum veſtem* (inquit Bayſius) *hoc vocabulum tranſlatum eſt, quæ demiſſa erat ad imos uſque pedes, & cujus extremam partem ambibat inſtita aſſuta, quæ erat faſciola quædam ſive limbus. Patrum noſtrorum me-*

moria[a] *matronæ illuſtriores inſtita utebantur, quos* Goddetos *vulgò dicebant.* Quò fit ut à S. Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo in lib. 19. originum, cap. 25. Stola inter feminarum pallia recenſeatur, his verbis: *Stola matronale operimentum, quod cooperto capite & ſcapula à dextro latere in lævum humerum mittitur.* Stola *autem Græcè vocatur, quòd ſuperemittatur. Eadem &* Ricinium *Latino nomine appellatum, eo quòd dimidia ejus pars retro eiicitur, quod vulgò* Mavortem *dicunt. Vocatam autem dicunt* Mavortem, *quaſi Martem. Signum enim maritalis dignitatis & poteſtatis in eo eſt. Caput enim mulieris vir eſt. Inde & ſuper caput mulieris eſt.* Ubi animadvertendum in tranſcurſu, S. Iſidorum *Stolam* quidem à στέλλειν deducere, non ut *ornare* aut *honeſtare* notat, ſed *mittere*, quòd *cooperto capite & ſcapula* (ut ait) *à dextro latere in lævum humerum mittatur.*

Stolam quoque femineum eſſe veſtimentum ſatis apertè teſtatur Tullius in 2. oratione Philippica, dum effeminatos M. Antonii, qui ſe Curioni proſtituerat, mores carpens, ipſum ita per jocationem alloquitur: *Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem Stolam reddidiſti.* Eodem ſenſu uſurpant Ulpianus L. 23. ff. *de auro, argento* &c. *ſta-*

[a] Bayfius florebat ſub Franciſco 1. Galliarum Rege, ex lib. 1. *Elegiorum Gallorum doctrina illuſtrium.* Scævolæ Sammarthani.

tuis legatis, & Valerius Maximus lib. 6. cap. 1. qui *matronalem ſtolam* vocat, quòd ſine mollitiei aut infamiæ notâ, feminarum indumenta viri non poſſent aſſumere. Atque id quidem Flavius Joſephus lib. 19. Antiquitatum Judaïcarum in vitio ponit Caligulæ Imperatori quòd *Stolam* geſtaret.

Heic autem *Stolam* uſurpamus non pro indumento quolibet, ſed Eccleſiaſtico ſolùm. Atqui hoc duplicis generis eſſe invenio. Alterum quod totum corpus tegebat & ad pedes uſque protendebatur; de quo nobis in præſenti ſcriptione ſermo non inſtituitur. Alterum verò quod faſciæ inſtar *à collo per anteriora deſcendens* (ut Ivo Carnotenſis habet in ſermone de ſignificationibus indumentorum ſacerdotalium) *dextrum latus ornat & ſiniſtrum.*

Prius quidem ita deſcribit S. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha, in *Theoria rerum ſacrarum: Stola ſacerdotalis* (inquit) *eſt ad exemplum talaris Aaron, ideſt veſtimentum quod ſacerdotale eſt indumentū, ad pedes uſque honorabiliſſimum. Eſt autem ignea ſpecie, ſecundum Prophetam dicentem:* [a] Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & mini-« ſtros ſuos ignem ardentem. Ac de eo exponendus ſanè eſt Theodoretus, dum in libri 2. hiſtoriæ Eccleſ. cap. 27. narrat Machario Hieroſolymitano Pontifici datam fuiſſe à

a Pſal. 103.

Conſtantino Magno Stolam aureis filis contextam, ut ea indutus ſacri baptiſmatis miniſterium obiret, & à Cyrillo Hieroſolymitano Epiſcopo venditam, quemadmodum ipſi fuit ab adverſariis objectum.

Poſterius autem, commune antea veſtimentis Eccleſiaſticis, proprium ſibi ac peculiare nomen retinuit. Adeout nunc Eccleſiaſticum indumentum *Stolæ* nomine inſignitum aliud ab eo apud nos non ſit, quàm quod modò ex Ivone Carnotenſi deſignavimus.

Quo tempore camiſia, ſive alba geſtari cœpit in Eccleſia, eodem ferè ipſo delatam fuiſſe Stolam, Guillelmus Durandus, ex Decano Carnotenſis Eccleſiæ Mimatenſis Epiſcopus, affirmat his vocibus: *Antiquitus* (ait ille in lib. 3. *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. 5. num. 6.) *Stola erat veſtis candida, pertingens uſque ad veſtigia, quâ Patriarchæ utebantur ante legem: quam primogeniti, cùm benedictionem patris acciperent, induebant, & Domino victimas, ut pontifices, offerebant. Sed poſtquam alba cœpit portari, mutata eſt in torquem.*

Plauſibilis utcunque foret illa Durandi conjectura, ſi quandonam albæ uſus primùm viguerit in Eccleſia, certò conſtaret. Verùm hoc neque ipſe, neque alij, quod ſciam, Eccleſiaſtici Scriptores in aperto poſuerunt. Cur autem huic ſacro veſtimento *Stolæ* nomen inditum fuerit, ita inveſtigat doctiſſimus juxtà

atque eminentiſſimus Cardinalis Bona, in lib. 1. *Rerum Liturgicarum* cap. 24. num. 6. *Vnde* (inquit) *nomen Stolæ huic ornamento? An quia ſucceſſit veteri Stolæ, ut innuit Durandus? An potiùs deducta eſt nomenclatura à faſcia, quæ in limbo ejus veſtis aſſuta erat, quæ olim Stola dicebatur, retento totius veſtis nomine in parte quadam illius? Ita coniicit, & mea quidem ſententia probabiliter, Vincentius Riccardus in* Commentariis *ad orationem 6. ſancti Procli. In extremanamque parte antiquæ Stolæ, ut obſervat Bayfius* de re veſtiaria cap. 17. *aſſuta erat faſciola ſeu limbus ipſam veſtem ambiens, cui cùm ſit valde ſimilis hodierna Stola, hinc fieri potuit ut hoc illi nomen tributum ſit.* Ac poſtea ex actis S. Silveſtri, quæ Damaſo adſcribuntur, & canonibus 22. ac 23. Laodiceni Concilij, infert, *ante annos mille & trecentos uſum Stolæ in Eccleſia invaluiſſe.* Bayfij porrò obſervationem confirmat Adrianus Turnebus in lib. 29. *Adverſariorum*, cap. 31.

Stola etiam, præcipuè vero diaconalis, minùs uſitato vocabulo, *palla linoſtima*, ſeu potius (ut ſcribit S. Iſidorus in lib. 19. *Originum*, cap. 22.) *linoſtema* nuncupatur, in præfatis S. Silveſtri Actis, hoc eſt, *ex lana linoque contexta*, quòd *in ſtramine linum, in trama lanam haberet.* Atque hujus nomenclaturæ meminit S. Carolus Borromæus 4. parte Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, in *Inſtru-*

ctione ſupellectilis Eccleſiaſticæ, lib. 2. ubi *de Stola* univerſim agit.

Alio præterea ſatis vulgato nomine Stola dicitur *Orarium* in genere neutro, ut frequentiùs accipitur, & *Orarius* in maſculino, quemadmodum loquitur Ordinis Romani ſcriptor antiquus (etſi Bonifacius S. Livini Epiſcopi & martyris Vitæ Auctor num. 14. apud eruditiſſimos Dacherium & Mabillonium, in Sæculo 2. *Actorum SS. Ordinis S. Benedicti*, aliquid diſcriminis *Stolam* inter & *Orarium* conſtituere videatur.) Quæ profectò vox & profana eſt & Eccleſiaſtica.

Profana *ſtrophium*, *linteolum* ac *ſudarium* denotat, quo naſum, os & faciem abſtergimus, uti conficitur ex Flavio Vopiſco in *Vita Aureliani Auguſti*; ex S. Ambroſii Epiſt. 54. *De miraculis SS. Gervaſii & Protaſii*, & oratione *in obitu fratris Satyri*; ex S. Auguſtini lib. 22. *de civitate Dei* cap. 8. ex Pontio Diacono in *vita S. Cypriani*, ex Gregorii Turonenſis lib. 3. *Hiſtor. Francor.* cap. 5. ex S. Iſidori *Regulæ monachorum*, cap. 12. & ex cap. *Monacho* 27. quæſt. 1. Quibus conſentiunt omnino *Veteris Etymologici* Auctor ita loquens : φώσων, σίνδων, φασσάνιον, λινοῦντι ἤτοι σινδόνιον, κ. τ. λ. λέγεται δὲ ὗτω καὶ ὁ παρὰ Ρωμάιοις καλεῖται ὠράριον; Cyrillus in *Gloſſis*, & Gloſſarii Latino-Græci architectus, ubi ὠράρια exponunt φακεώλια, hoc eſt, ut Barbari dicunt, *faciales*, quos vulgò *mouchoirs* appellamus.

Eccleſiaſtica verò talarem veſtem aliquando deſignat, quam ſupra ex S. Germano Conſtantinopolitano expreſſimus, & qua Græci Pontifices & ſacerdotes hodie quoque in ſacris peragendis utuntur. Aliquando *velum cui Romanus Pontifex & Archiepiſcopi pallium ſuper humeros imponunt*, ut putat Onuphrius Panuinus in *interpretatione vocum Eccleſiaſticarum quæ obſcuræ vel Barbaræ videntur*, quo ſenſu etiam *Orale* vocatur à Durando in lib. 3. Rationalis divin. Offic. cap. 9. num. 1. Sæpiùs autem ſacerdotale illud indumentum deſignat, quod veluti torquis à collo per humeros ſacerdotis ad pectus pendet, & *ad genua tendit*, quemadmodum loquitur Amalarius Fortunatus in lib. 2. *De Eccleſiaſticis officiis*, cap. 20. quodque Diaconi in humero lævo gerunt à dextris pendens.

Erat autem orarium (inquit in citato mox loco Cardinalis Bona) *magis longum quàm latum, inſtar faſciæ, ut ex Ambroſii oratione* de Satyro fratre *oſtendit Caſaubonus in notis ad Vopiſcum. Favet Gregorius Turonenſis lib. 3. Hiſtoriæ, cap. 5. ubi refert Sigiſmundum Burgundionum Regem filium ſuum dormientem juſſiſſe occidi.* Dormienti, « *ait*, orarium ſub collo poſitum ac ſub mento « ligatum, trahentibus ad ſe invicem duobus « pueris ſuffocatus eſt. *Ex hac autem* orarii *forma oblonga ſuſpicor tranſlatum hoc vocabulū*

in Eccleſiam, & ſacræ Stolæ tributum. Cui ſuſpicioni robur aliquod addit ſuprà relatum Silveſtri decretum de palla linoſtima, *ex lino, ſicut & ſudarium, contexta.* Favet etiam S. Auguſtinus in lib. 22. *De civitate Dei*; cap. 8. ubi ait: *Oculum lapſum atque pendentem* (tenui venula) *loco ſuo revocatum ligavit orario.*

Apud profanos originem fortaſſe ſumpſit ab *ora* ſeu extremitate veſtis, qua antiquos, priuſquam in uſu eſſent ſudaria, faciem detergere ſolitos Plautus indicat in *Mercatore*, act. 1. ſcen. 2. ubi ait:

At tu edepol ſume laciniam, atque abſterge ſudorem tibi.

Quo quidem loco *laciniam*, extremam & laxiorem veſtimenti partem interpretari par eſt. Veroſimiliùs tamen ab *ore* deductum *orarium* autumat Cardinalis Bona: *Quia* (inquit) *orario os tergitur: quam notationem ſequi videtur Prudentius Hymno 1.* de Corona, *hoc verſu.*

Hic ſui dat pignus oris, ut ferunt, orarium.

Eadem quoque ſententia eſt Johanni Meurſio in *Gloſſario Græco-Barbaro*, ubi ait: *Orarium Diaconi erat & ſacerdotis:* ab ore *deducta appellatione* id eſt ἐκμαγεῖον τοῦ προσώπου; *quod quia etiam* χειρόμακτρον *dicunt Græci, Iſidorus quoque vertit* Manuale; *ſic enim in* Gloſſis *ejus legitur*, Manuale, orarium.

Apud Eccleſiaſticos autem Scriptores notationem habet Latinam & Græcam, quamquam Suidas in *Lexico*, & *Etymologici veteris* Auctor Latinum vocabulum conteſtentur.

Græcorum nonnulli, atque inter eos Theodorus Balſamon in can. 22. Concilii Laodiceni, ac Matthæus Blaſtares in *Nomocanone*, ſeu *canonum Synopſi*, litera E can. 9. qui eſt *De veſtimentis viris ſacris accommodatis*, ab ὠρέω ὁρῶ, id eſt, *video*, *obſervo*, petitum aſſerunt: quòd Preſbyteri *orarium* induti diligenter *videre* debeant & *obſervare* quæ in myſteriis ſacris agenda ſunt, eáque *Orario* ſignificare Diaconis qui ſunt in ambone. Ἐκλήθη ὠρέειον (inquit Balſamon) ἐκ τοῦ ὁρῶ, τὸ φυλάσσω καὶ ἐπιτηρῶ.

Alii (ut Simeon Theſſalonicenſis in libro *de ſeptem Sacramentis*) derivant ab ὥρα, quæ vox *pulchritudinem*, *ſpeciem* & *venuſtatem* denotat; quia *orarium* gratiæ venuſtate diaconum ornat, & divina pulcritudine illuſtrem facit.

Alii, quorum eſt Petrus Arcudius in lib. 6. *De concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione*, cap. 20. trahunt ab eodem vocabulo ὥρα, ut *horam* & *tempus* ſignificat: Ὅτι δείκνυσιν ὁ διάκονος τῇ τοιαύτῃ στολῇ τὰς ὥρας καὶ τὸν καιρὸν τοῦ ψάλλειν, τοῦ προσεύχεσθαι, τοῦ ἐναίχεσθαι τῆς λειτουργίας: *Quòd Diaconus* (inquit) *accepta extremitate Stolæ tribus digi-*

tis invitat populum ad orandum, cantores ad pſallendum, Pontificem ad incipiendum ſacrum; & in ſummâ oſtendit horas atque indicat tempus quo aliquid eſt faciendum. Idque etiam nunc à Græcis obſervatur in Liturgiis ſolemnibus quæ Romæ ab iis celebrantur in Baſilica S. Athanaſii, quemadmodum teſtatur oculatus teſtis Johannes Caballutius, Aquiſextienſis, Preſbyter Congregationis Oratorii Domini Jeſu, *in Notitia Conciliorum ſanctæ Eccleſiæ*, ubi *veterum Eccleſiarum ſitum, partes & formam* explicat.

Non incongruè etiam deduci poteſt ab ὤρα, id eſt, *cura* & *cuſtodia*: quia qui *orarium* ferunt ſive Pontifices, ſive Sacerdotes, ſive Diaconi, fideles populos curare eoſque cuſtodire debent, ſicut & ſacra ac myſteria quæ ſuæ ſollicitudini ac fidei commiſſa ſunt. Tuncque ſcribendum erit *orarium* ſine aſpiratione; contra verò per aſpiratam H, ſi vel ab ὁράω ὁρῶ, vel ab ὥρα derivetur.

Latini omnes quos legerim Eccleſiaſtici ſcriptores ab *oro* profectum putant. At verbum illud cùm duo præ ceteris ſignificet, nimirum *rogo* ſeu *precor*, & *concionor* ſeu *ſermonem habeo*, duplicem, ſi fas ita loqui, ex hoc unico fonte rivulum, hoc eſt duplicem ἐτυμολογίαν ducunt.

Alii enim ab *oro*, quod eſt *precor*, dictum cenſent, quia in publicis Eccleſiæ precibus, atque in Sacramentorum adminiſtratione adhi-

betur *orarium*, veluti auctores ſunt Durandus in laudato ſuperius Capite, Nicolaus Thuanus Carnotenſis Epiſcopus, tum in vernaculo Diœceſis ſuæ Rituali an. 1580. pag. 109. in expoſitione *Sacramenti ordinis*, cùm in Gallica *collectione & explicatione Miſſa*, pag. 13. Ludovicus Richeomus S. J. Preſbyter in Tomo 2. *De Miſſa*, lib. 4. cap. 26. ac Gilbertus Grimaldus in Facultate Theologiæ Pariſienſi Doctor, & Metropolitanæ Eccleſiæ Burdigalenſis Canonicus Theologus, in parte 1. *Liturgiæ ſacræ*, cap. 6. parag. 5. num. 4.

Alii ab *oro*, quod eſt *concionor*, vocatum arbitrantur, quia *oratoribus* ſacris, ſeu *concionatoribus* dabatur; quæ ſententia eſt Concilii Toletani 4. in can. 39. Venerabilis Bedæ in Collectaneis, cap. *de ſeptem Ordinibus*, Alcuini in libro *de divinis Officiis*, Tit. *Quid ſignificent indumenta*, Rabani Mauri in lib. 2. *de inſtitutione Clericorum*, cap. 19. & ejuſdem Nicolai Thuani in citata pagina 13. Unde non niſi Epiſcopis, Preſbyteris & Diaconis traditur, quibus unis in Eccleſia concionandi, & ſermonem habendi ad populum, munus convenit. Hinc Walafridus Strabo in capite 10. *De rebus Eccleſiaſticis* ait. *Cum Domus Dei* oratorium *dicatur, poteſt & à deprecationibus in ea faciendis, & à locutione doctrinæ ita dicta putari, quia* oratio, *id eſt* oris ratio, *& non tantùm humilis poſtulatio, verùm & rationabilis intelligitur hoc nomine locutio. In-*

Conſtantino Magno Stolam aureis filis contextam, ut ea indutus ſacri baptiſmatis miniſterium obiret, & à Cyrillo Hieroſolymitano Epiſcopo venditam, quemadmodum ipſi fuit ab adverſariis objectum.

Poſterius autem, commune antea veſtimentis Eccleſiaſticis, proprium ſibi ac peculiare nomen retinuit. Adeout nunc Eccleſiaſticum indumentum *Stolæ* nomine inſignitum aliud ab eo apud nos non ſit, quàm quod modò ex Ivone Carnotenſi deſignavimus.

Quo tempore camiſia, ſive alba geſtari cœpit in Eccleſia, eodem ferè ipſo delatam fuiſſe Stolam, Guillelmus Durandus, ex Decano Carnotenſis Eccleſiæ Mimatenſis Epiſcopus, affirmat his vocibus: *Antiquitus* (ait ille in lib. 3. *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. 5. num. 6.) *Stola erat veſtis candida, pertingens uſque ad veſtigia, quâ Patriarchæ utebantur ante legem: quam primogeniti, cùm benedictionem patris acciperent, induebant, & Domino victimas, ut pontifices, offerebant. Sed poſtquam alba cœpit portari, mutata eſt in torquem.*

Plauſibilis utcunque foret illa Durandi conjectura, ſi quandonam albæ uſus primùm viguerit in Eccleſia, certò conſtaret. Verùm hoc neque ipſe, neque alij, quod ſciam, Eccleſiaſtici Scriptores in aperto poſuerunt. Cur autem huic ſacro veſtimento *Stolæ* nomen inditum fuerit, ita inveſtigat doctiſſimus juxtà

atque eminentiſſimus Cardinalis Bona, in lib. 1. *Rerum Liturgicarum* cap. 24. num. 6. *Vnde* (inquit) *nomen Stolæ huic ornamento? An quia ſucceſſit veteri Stolæ, ut innuit Durandus? An potiùs deducta eſt nomenclatura à faſcia, quæ in limbo ejus veſtis aſſuta erat, quæ olim Stola dicebatur, retento totius veſtis nomine in parte quadam illius? Ita coniicit, & mea quidem ſententia probabiliter, Vincentius Riccardus in* Commentariis *ad orationem 6. ſancti Procli. In extrema namque parte antiqua Stolæ, ut obſervat Bayſius* de re veſtiaria cap. 17. *aſſuta erat faſciola ſeu limbus ipſam veſtem ambiens, cui cùm ſit valde ſimilis hodierna Stola, hinc fieri potuit ut hoc illi nomen tributum ſit.* Ac poſtea ex actis S. Silveſtri, quæ Damaſo adſcribuntur, & canonibus 22. ac 23. Laodiceni Concilij, infert, *ante annos mille & trecentos uſum Stolæ in Eccleſia invaluiſſe.* Bayſij porrò obſervationem confirmat Adrianus Turnebus in lib. 29. *Adverſariorum*, cap. 31.

Stola etiam, præcipuè vero diaconalis, minùs uſitato vocabulo, *palla linoſtima*, ſeu potius (ut ſcribit S. Iſidorus in lib. 19. *Originum*, cap. 22.) *linoſtema* nuncupatur, in præfatis S. Silveſtri Actis, hoc eſt, *ex lana linoque contexta*, quòd *in ſtramine linum, in trama lanam haberet.* Atque hujus nomenclaturæ meminit S. Carolus Borromæus 4. parte Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, in *Inſtru-*

Eccleſiaſtica verò talarem veſtem aliquando deſignat, quam ſupra ex S. Germano Conſtantinopolitano expreſſimus, & qua Græci Pontifices & ſacerdotes hodie quoque in ſacris peragendis utuntur. Aliquando *velum cui Romanus Pontifex & Archiepiſcopi pallium ſuper humeros imponunt*, ut putat Onuphrius Panuinus in *interpretatione vocum Eccleſiaſticarum quæ obſcuræ vel Barbaræ videntur*, quo ſenſu etiam *Orale* vocatur à Durando in lib. 3. Rationalis divin. Offic. cap. 9. num. 1. Sæpiùs autem ſacerdotale illud indumentum deſignat, quod veluti torquis à collo per humeros ſacerdotis ad pectus pendet, & *ad genua tendit*, quemadmodum loquitur Amalarius Fortunatus in lib. 2. *De Eccleſiaſticis officiis*, cap. 20. quodque Diaconi in humero lævo gerunt à dextris pendens.

Erat autem orarium (inquit in citato mox loco Cardinalis Bona) *magis longum quàm latum, inſtar faſciæ, ut ex Ambroſii oratione* de Satyro fratre *oſtendit Caſaubonus in notis ad Vopiſcum. Favet Gregorius Turonenſis lib. 3. Hiſtoriæ, cap. 5. ubi refert Sigiſmundum Burgundionum Regem filium ſuum dormientem juſſiſſe occidi.* Dormienti, « *ait*, orarium ſub collo poſitum ac ſub mento « ligatum, trahentibus ad ſe invicem duobus « pueris ſuffocatus eſt. *Ex hac autem* orarii *forma oblonga ſuſpicor tranſlatum hoc vocabulũ*

in Eccleſiam, & ſacræ Stolæ tributum. Cui ſuſpicioni robur aliquod addit ſuprà relatum Silveſtri decretum de palla linoſtima, *ex lino, ſicut & ſudarium, contexta.* Favet etiam S. Auguſtinus in lib. 22. *De civitate Dei*; cap. 8. ubi ait: *Oculum lapſum atque pendentem* (tenui venula) *loco ſuo revocatum ligavit orario.*

Apud profanos originem fortaſſe ſumpſit ab *ora* ſeu extremitate veſtis, qua antiquos, priuſquam in uſu eſſent ſudaria, faciem detergere ſolitos Plautus indicat in *Mercatore*, act. 1. ſcen. 2. ubi ait:

At tu edepol ſume laciniam, atque abſterge ſudorem tibi.

Quo quidem loco *laciniam*, extremam & laxiorem veſtimenti partem interpretari par eſt. Veroſimiliùs tamen ab *ore* deductum *orarium* autumat Cardinalis Bona: *Quia* (inquit) *orario os tergitur: quam notationem ſequi videtur Prudentius Hymno 1.* de Corona, *hoc verſu.*

Hic ſui dat pignus oris, ut ferunt, orarium.

Eadem quoque ſententia eſt Johanni Meurſio in *Gloſſario Græco-Barbaro*, ubi ait: *Orarium Diaconi erat & ſacerdotis:* ab ore *deducta appellatione* id eſt ἐκμαγεῖον τοῦ προσώπου; *quod quia etiam* χειρόμακτρον *dicunt Græci, Iſidorus quoque vertit* Manuale; *ſic enim in* Gloſſis *ejus legitur*, Manuale, orarium.

Apud Eccleſiaſticos autem Scriptores notationem habet Latinam & Græcam, quamquam Suidas in *Lexico*, & *Etymologici veteris* Auctor Latinum vocabulum conteſtentur.

Græcorum nonnulli, atque inter eos Theodorus Balſamon in can. 22. Concilii Laodiceni, ac Matthæus Blaſtares in *Nomocanone*, ſeu *canonum Synopſi*, litera E can. 9. qui eſt *De veſtimentis viris ſacris accommodatis*, ab ὡρέω ὁρῶ, id eſt, *video*, *obſervo*, petitum aſſerunt: quòd Presbyteri *orarium* induti diligenter *videre* debeant & *obſervare* quæ in myſteriis ſacris agenda ſunt, eáque *Orario* ſignificare Diaconis qui ſunt in ambone. Ἐκλήθη ὠρέριον (inquit Balſamon) ἐκ τοῦ ὁρῶ. τὸ φυλάσσω καὶ ἐπιτηρῶ.

Alii (ut Simeon Theſſalonicenſis in libro *de ſeptem Sacramentis*) derivant ab ὥρα, quæ vox *pulchritudinem*, *ſpeciem* & *venuſtatem* denotat; quia *orarium* gratiæ venuſtate diaconum ornat, & divina pulcritudine illuſtrem facit.

Alii, quorum eſt Petrus Arcudius in lib. 6. *De concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione*, cap. 20. trahunt ab eodem vocabulo ὥρα, ut *horam* & *tempus* ſignificat: Ὅτι δείκνυσιν ὁ διάκονος τῇ τοιαύτῃ στολῇ τὰς ὥρας καὶ τὸν καιρὸν τοῦ ψάλλειν, τοῦ προσεύχεσθαι, τοῦ ἐναίχεσθαι τῆς λειτουργίας: *Quòd Diaconus* (inquit) *accepta extremitate Stolæ tribus digi-*

tis invitat populum ad orandum, cantores ad pſallendum, Pontificem ad incipiendum ſacrum; & in ſummâ oſtendit horas atque indicat tempus quo aliquid eſt faciendum. Idque etiam nunc à Græcis obſervatur in Liturgiis ſolemnibus quæ Romæ ab iis celebrantur in Baſilica S. Athanaſii, quemadmodum teſtatur oculatus teſtis Johannes Cabaſſutius, Aquiſextienſis, Preſbyter Congregationis Oratorii Domini Jeſu, *in Notitia Conciliorum ſanctæ Eccleſiæ*, ubi *veterum Eccleſiarum ſitum, partes & formam* explicat.

Non incongruè etiam deduci poteſt ab ὤρα, id eſt, *cura* & *cuſtodia*: quia qui *orarium* ferunt ſive Pontifices, ſive Sacerdotes, ſive Diaconi, fideles populos curare eoſque cuſtodire debent, ſicut & ſacra ac myſteria quæ ſuæ ſollicitudini ac fidei commiſſa ſunt. Tuncque ſcribendum erit *orarium* ſine aſpiratione; contra verò per aſpiratam H, ſi vel ab ὁράω ὁρῶ, vel ab ὥρα derivetur.

Latini omnes quos legerim Eccleſiaſtici ſcriptores ab *oro* profectum putant. At verbum illud cùm duo præ ceteris ſignificet, nimirum *rogo* ſeu *precor*, & *concionor* ſeu *ſermonem habeo*, duplicem, ſi fas ita loqui, ex hoc unico fonte rivulum, hoc eſt duplicem ἐτυμολογίαν ducunt.

Alii enim ab *oro*, quod eſt *precor*, dictum cenſent, quia in publicis Eccleſiæ precibus, atque in Sacramentorum adminiſtratione adhi-

betur *orarium*, veluti auctores ſunt Durandus in laudato ſuperius Capite, Nicolaus Thuanus Carnotenſis Epiſcopus, tum in vernaculo Diœceſis ſuæ Rituali an. 1580. pag. 109. in expoſitione *Sacramenti ordinis*, cùm in Gallica *collectione & explicatione Miſſæ*, pag. 13. Ludovicus Richeomus S. J. Preſbyter in Tomo 2. *De Miſſa*, lib. 4. cap. 26. ac Gilbertus Grimaldus in Facultate Theologiæ Pariſienſi Doctor, & Metropolitanæ Eccleſiæ Burdigalenſis Canonicus Theologus, in parte 1. *Liturgiæ ſacræ*, cap. 6. parag. 5. num. 4.

Alii ab *oro*, quod eſt *concionor*, vocatum arbitrantur, quia *oratoribus* ſacris, ſeu *concionatoribus* dabatur; quæ ſententia eſt Concilii Toletani 4. in can. 39. Venerabilis Bedæ in Collectaneis, cap. *de ſeptem Ordinibus*, Alcuini in libro *de divinis Officiis*, Tit. *Quid ſignificent indumenta*, Rabani Mauri in lib. 2. *de inſtitutione Clericorum*, cap. 19. & ejuſdem Nicolai Thuani in citata pagina 13. Unde non niſi Epiſcopis, Preſbyteris & Diaconis traditur, quibus unis in Eccleſia concionandi, & ſermonem habendi ad populum, munus convenit. Hinc Walafridus Strabo in capite 10. *De rebus Eccleſiaſticis* ait. *Cum Domus Dei* oratorium *dicatur, poteſt & à deprecationibus in ea faciendis, & à locutione doctrinæ ita dicta putari, quia* oratio, *id eſt* oris ratio, *& non tantùm humilis poſtulatio, verùm & rationabilis intelligitur hoc nomine locutio. In-*

de eſt quòd primi ordines in Eccleſia utantur orariis, *quia ad ipſos pertinet docendi officium; & publici declamatores ac ſapientes dictionum compoſitores*, oratores *appellantur*.

Denique Græci *Stolam* nominant ἐπιτραχήλιον, id eſt (ut Eraſmus in Expoſitione Liturgiæ S. Johannis Chryſoſtomi vertit) *cervicale*, ſive *collarium*, uti Meurſius in *Gloſſario Græco-Barbaro* explicat: quia ἐπὶ τῷ τραχήλῳ in *cervice* ſeu *collo* geſtatur à Sacerdotibus, non item à Diaconis. Nam etſi ὠράριον, *orarium*, Diaconis æquè ac Preſbyteris commune ſit; illud tamen Diaconis propriè tribuunt Græci, Preſbyteris autem ἐπιτραχήλιον ſeu *cervicale* aut *collarium*, quod orario latius eſt, nulliſque literarum notis inſignitum; Diaconorum autem *orario* vocabulum ἅγιος, id eſt, *ſanctus*, ter inſcriptum ſit, ut in citato antea libro Eminentiſſimus Cardinalis Bona annotavit.

His iſta conſtitutis, jam ad alias rationes aggrediendum eſt, quæ Parœcis Stolæ in Archidiaconorum viſitationibus ferendæ jus concedunt.

CAPUT XVI.

Biſariam accipitur Iuriſdictio. propriè & minùs propriè. Vtraque quid ſignificet? Alia juriſdictio interni, alia externi fori. Quodnam vtriuſque munus? Neque propriè, neque minùs propriè ſumptæ juriſdictionis ſignum eſt Stola. *Archidiaconis eo nomine nulla eſt interni externivè fori juriſdictio. Eccleſiarum viſitandarum jus, ad externam juriſdictionem attinet, quæ etiam à non Sacerdote poteſt exerceri. Archidiaconis nulla competit juriſdictio interior. Nec exterioris, nec interioris juriſdictionis inſigne eſt* Stola. *Turpis Archidiaconorum error de* Stola. *Parœcorum juriſdictio cùm ad viſitantes Archidiaconos non transferatur, neque poteſt, neque debet* Stola *in Archidiaconorum viſitationibus à Parœcis exui.*

IN eo ſunt errore Archidiaconorum plerique ut Stolatos ideo viſitationibus ſuis adeſſe Parœcos nolint, quòd Stolam juriſdictionis ſignum eſſe, omnémque Parœcorum juriſdictionem, quanta quanta eſt, coram ſe evaneſcere debere, imaginentur. Quo conficiunt Stolam ſuis in ipſorum viſitationibus eſſe deponendam. Hoc autem quàm perperam ac

præpoſterè dicatur, expoſito Juriſdictionis vocabulo patebit manifeſtè.

Bifariam uſurpatur Juriſdictio, propriè & minùs propriè. Minùs propriè ſumpta Juriſdictio, quomodo nunc multi utuntur, locum & regionem, hoc eſt ditionem, poteſtatem, aut regnum ſignificat. Propriè verò ſumpta Ciceroni aliiſque optimæ notæ Scriptoribus Latinis, ipſius eſt juris adminiſtratio, qua decernitur aut à principe, aut à magiſtratu, quid cuique jure debeatur, & non. Ita ſumptam Accurſius in L. 1. ff. *De Iuriſdictione omnium Iudicum & de foro competenti*, Johannes Bellonus in *Expoſitionibus etymologiarum, definitionum & diviſionum Iuris univerſi*, Petrus Gregorius Toloſanus in lib. 47. *Syntagmatis Iuris univerſi*, cap. 21. num. 8. aliique propemodum omnes Jureconſulti, definiunt, *Poteſtatem de publico introductam cum neceſſitate juris dicendi & æquitatis ſtatuendæ.*

At cùm duplex ſit jurisdicendi & æquitatis ſtatuendæ ratio, una exterioris, alia interioris fori, duplex quoque juriſdictio diſtinguitur; alia fori exterioris, interioris alia. Hæc ad Chriſtianum populum in interno conſcientiæ foro dirigendum refertur; illa autem ad eundem in foro externo gubernandum revocatur.

Juriſdictionem minùs propriè ſi ſumimus, Stolam juriſdictionis eſſe ſignum nemo aſſevera-

veraverit, cùm neque ad locum aut regionem, neque ad ditionem, poteſtatem aut regnum, rationem habeat. Si verò propriè intelligimus, neque juriſdictionis exterioris, neque interioris fori argumentum erit in Diacono, qui nullam Chriſtianum populum in interno externovè foro regendi poteſtatem in ordinatione ſua accepit, ſed tantùm *legendi Evangelium in Eccleſia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini*, ut habet Pontificale Romanum Clementis VIII. & Urbani VIII. *De Ordinatione Diaconi.* Quibus ſanè verbis exponendi publicè in Eccleſia Evangelii auctoritatem Diacono conceſſam in ordinatione nolim accipias. *Cùm enim Diaconus* (inquit Gabr. Biel lect. 3. in Canonem Miſſæ, lit. *g.*) *accipit textum Evangelii de manu Epiſcopi, non dicitur ei,* » Accipe poteſtatem docendi & prædicandi » Evangelium: *Sed*, accipe poteſtatem legen» di Evangelium in Eccleſia Dei, tam pro vi» vis, quàm pro defunctis in nomine Domini. *Ex quo magis inſinuatur eos tunc recipere orandi officium, quàm prædicandi vel docendi; & quòd iſta recitatio Evangelicæ lectionis magis ſit oratio ad aliquid impetrandum pro vivis & mortuis, quàm populi ædificatio. Abſurdum enim intellectu & dictu eſt, ut docens vel prædicans Evangelium, docere aut prædicare intelligatur pro vivis & mortuis.*

Quare ſi Diaconi jam ab ipſis naſcentis Ec-

cleſiæ incunabulis (uti patet ex Actorum Apoſtol. cap. 7. & 21.) & ſubſequutis poſtea temporibus, publicas ad Chriſtianam plebem in Eccleſia conciones habuere, ac habent hodie quoque; id non ex ordinationis ſuæ poteſtate, ſed ex peculiari Apoſtolorum, Epiſcoporum ac Sacerdotum permiſſu atque licentia conſequuti ſunt. Huic doctrinæ illuſtrandæ non parum conferunt quæ Guillelmus Eſtius ſacræ Theologiæ Doctor & Duacenſis Academiæ Cancellarius, Commentariis in lib. 4. Sentent. diſt. 24. paragr. 16. ita ſcribit: *Quia & Diaconorum eſt prædicare Evangelium: Non quod ad id munus propriè ordinati ſint, ſed ut ſummaria quadam Evangelii expoſitione plebem præparent ad ſolidiorem & exactiorem verbi Dei explicationem, quæ fit per Sacerdotem. Nec verò hoc ipſum eis permittitur, niſi in abſentia Sacerdotis, vel Epiſcopi, vel certè iis jubentibus, & id quidem è loco humiliore, quemadmodum Catechiſmus Parochorum admonet. Nimirum ut intelligant munus illud ſibi non jure ordinis, ſed ſola Superioris delegatione competere. Sic legimus. Act. 8. Philippum Diaconum ſua prædicatione Samaritanorum animos præparaſſe, ut apti fierent capiendis majoribus fidei myſteriis, quæ audituri erant prædicatione Petri & Iohannis. Simili exemplo Ephrem Diaconus ad plebem in Eccleſia Edeſſena conciones habuit, & S. Vincentius (ut teſtatur Breviarium*

Romanum) *upplebat in prædicatione Verbi Dei vices Epiſcopi ſui.*

Quo conficitur Archidiaconos, ut qui Diaconis ſucceſſerint, eo nomine nullam prorſus juriſdictionem in Eccleſia obtinere, ſeu in interno, ſeu in externo foro, nulláque eo titulo Evangelii prædicandi poteſtate donatos eſſe. *Quòd autem dignitatis turbato ordine* (ut aït Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis in Epiſt. 123. ad Richardum Londonenſem Epiſcopum) *Archidiaconi hodie Sacerdotibus præeminent, & in eos vim & poteſtatem ſuæ juriſdictionis exercent*, levioribus nimirum in cauſis & ad tempus tantùm, id eſt in Viſitationum ſuarum curſu, qualeſcumque ſunt veteris auctoritatis reliquiæ, quam ipſis olim ut Vicariis & Officialibus ſuis Epiſcopi conceſſerunt, poſtquam nimirum ſpurio additamento corrupta fuit S. Iſidori ad Ludefredum Cordubenſem Epiſcopum epiſtola, & Archidiaconi Preſbyteri ſunt inſtituti, ut in cap. 11. ſuperius nobis obſervatum eſt. Unde quod modò viſitandarum Eccleſiarum jus obtinent, nec obtinebant antiquitus niſi ex peculiari Epiſcoporum conceſſu, ad externam juriſdictionem pertinet, quæ vel ab homine ſacris Ordinibus minimè initiato poteſt adminiſtrari, ut optimè annotavit Johannes Baptiſta Bartholinus in Tit. 13. libri 1. Inſtitutionum Juris Canonici à Johanne Paulo Lancelotto conſcriptarum, his verbis: *Nota 2. viſitare*

eſſe actum juriſdictionis exterioris. Ideo etiam non ſacerdoti competit. Atque ideo nullum munus, quod interioris juriſdictionis ſit, in Viſitationibus ſuis obire poſſunt Archidiaconi, niſi ex ſingulari Epiſcoporum conceſſu, cùm illorum ſollicitudo cogitationéſque in iis ſolùm evigilare debeant, *quæ concernunt juriſdictionem & forum contentioſum*, ut in ſequenti Titulo idem Bartholinus loquitur; ubi præterea obſervat Archidiaconos & Archipreſbyteros *eſſe Epiſcoporum juris Vicarios: Illos in his quæ concernunt juriſdictionem & forum contentioſum; hos verò in his quæ concernunt ordinem & forum Pœnitentiarium.* Sed ut è diverticulo in viam redeam

Stola præterea juriſdictionis in exteriori foro inſigne non eſt, à quocumque tandem, ſive Diacono, ſive Preſbytero, ſive Epiſcopo deferatur. Cùm enim in divinis & Eccleſiaſticis tantùm functionibus adhibeatur, quæ ad fidelis populi ſalutem, ejuſque inſtitutionem conducunt, ad eumdem in externo foro gubernandum revocari nulla ex parte poteſt.

Neque etiam, accuratè loqui ſi velimus, juriſdictionis in interiori foro ſignum eſt. Nam licet ex Guillelmo Pariſienſi Epiſcopo, ſeu alio potiùs Scriptore, in libello *De ſeptem Sacramentis*, cap. 8. & S. Thoma in *Supplemento*, quæſt. 40. art. 7. in corp. *Sacerdoti in utroque humero ponatur ſtola,*

ut oſtendatur quòd ei plena poteſtas diſpenſandi ſacramenta datur: Quibus etiam conſentandum eſt quod Rupertus Tuitienſis Abbas ait in lib. 8. *de operibus Spiritus ſancti*, cap. 7. *Stolam eſſe cujuslibet miniſterii quo ad ſanctum altare Chriſto miniſtratur dignitatem*; quia tamen ferendæ *in utroque humero* ſtolæ facultas cuilibet Sacerdoti permittitur : neque ideo quilibet ſacerdos poteſtatem habet juriſdictionis, ſed ordinis tantùm, quæ *ad diſpenſanda Sacramenta* ſufficit : juriſdictionem in interno conſcientiæ foro ſtola non deſignat. Idem Sentit V. CL. Dionyſius Talæus generalis in Senatu Pariſienſi Advocatus actione forenſi in cauſa Epiſcopi Ambianenſis & Royenſis Decani: [a]

Errant itaque tòto cœlo Archidiaconi, ceterique omnes, qui ſtolam juriſdictionis

[a] Il eſt certain que jamais l'Eſtole n'a eſté une marque de juriſdiction ; la raiſon eſt qu'elle eſt accordée aux Diacres pour les diſtinguer d'avec les autres Clercs inferieurs, & non pas pour leur attribuer aucune preeminence. Nous voyons cette verité dans le Sacramentaire de S. Gregoire, où ſont marquées les fonctions de chaque Eccleſiaſtique, leur pouvoir & leur veſtement. Quand l'Eveſque ordonne un Diacre, en luy donnant l'Eſtole il luy dit : *Per hoc ſignum vobis Diaconatus, officium humiliter imponimus.* Dans l'ancien Pontifical de Cambray le Prelat prononce ces paroles en l'ordination du Diacre : *Accipe Stolam tuam, imple miniſterium tuum, potens eſt enim Deus ut augeat tibi gratiam*, Le Pontifical Romain ſe ſert preſque des meſmes termes, & dans l'Euchologe Grec nous obſervons que l'Egliſe Orientale pratiquoit la meſme choſe. Il faut recueïllir de tous ces paſſages que l'Eſtole eſt un ſimple ornement particulier au Diaconat, lequel n'emporte aucune juriſdiction ; & que ſi le Preſtre & l'Eveſque la portent, on peut ſoûtenir que ce n'eſt qu'à cauſe qu'ils l'ont receuë lorſqu'ils ont eſté faits Diacres.

notam eſſe opinantur. Errant etiam tota via iidem Archidiaconi dum eam idcirco jubent in Viſitationibus ſuis à Parœcis abiici, quòd juriſdictionis eſſe putent argumentum, & Parœcos ideo velint ſuam omnem juriſdictionem coram ſe deponere. Quæ enim, amabo vos, Archidiaconorum inter & Parœcorum juriſdictionem collatio poſſit inſtitui? Quæ inter utramque collata æqualitas? Archidiaconi, ob id ipſum quia Archidiaconi, nulla juriſdictione gaudent. Quia verò ad viſitandas Eccleſias ab Epiſcopis allegantur: gaudent quidem juriſdictione, ſed exterioris fori tantùm; Parœci verò interioris. Quæ porrò juriſdictionis externi fori, cum interni fori juriſdictione ſimilitudo? Quæ paritas? Suam Archidiaconis juriſdictionem integram dimittunt Parœci: cur ſuam Parœcis intactam non relinquent Archidiaconi? Externam Archidiaconorum in Eccleſiarum Viſitationibus juriſdictionem agnoſcunt Parœci, ſuſpiciunt, venerantur. Internam Parœcorum juriſdictionem in iiſdem Viſitationibus cur non profitebuntur Archidiaconi? Cur extinctam volent, deletam, in nihilum redactam? Diverſa cùm ſint utriúſque juriſdictionis munia, nec una obſit alteri; quid utramque in diverſis perſonis ſtare prohibet? Quid divinis humaniſve legibus, quid canonico civilive juri, quid Conciliorum decretis, quid Epiſcoporum conſtitutionibus, quid rationi,

quid æquitati, quid honeſtati, quid denique bonis moribus repugnat, obſiſtitque, interioris fori juriſdictionem, exterioris juriſdictioni ſubjacere? Quid ſtolam quæ neque Parœcialis, neque Archidiaconalis juriſdictionis ſignum eſt, Parœcis æque ac Archidiaconis in Viſitationibus geſtari vetat? Sed hunc locum anguſtiùs urgeamus.

Quo tempore Viſitatio ab Archidiaconis inſtituitur, ſi ſacris baptiſmi undis abluendus infans? Si tumulo mandandum cadaver? Si miniſtranda Euchariſtia? Si benedicendum mulieri poſt partum, aut alii cuipiam bene precandum? Si ſponſalia facienda? Si celebrandum matrimonium? Profectò Parœcorum erit ea omnia obire munia, videntibus etiam, & inſpectantibus, quamvis fortaſſe reclamantibus Archidiaconis, quibus ex officii ſui ratione illa exercere non licet, niſi aut ex conſenſu Parœcorum, aut ex peculiari Epiſcoporum mandato, quod (ſi ſapiunt) antequam ad viſitandas Eccleſias proficiſcantur, ab Epiſcopis, aut eorum Vicariis generalibus conſequuntur. Niſi enim horum alterutro ſint inſtructi, nulla Parœcorum officia tractare poſſunt (una fortè divini verbi concione dempta, quæ poteſt iis, *& quidem è loco humiliore* (ut Eſtius loquitur in lib. 4. Sentent. diſt. 24. Parag. 16. non quia Archidiaconi, ſed quia Viſitatores, aliquo pacto convenire) & ſi quando alia tractare volue-

rint, non videntur à Parœcis ferendi. Nam cùm (ut jam ex Bartholino obſervatum fuit) *viſitare ſit actus juriſdictionis exterioris, qui ideo etiam non ſacerdoti competit:* Viſitantibus Archidiaconis nullam aliam juriſdictionem ineſſe liquet, quàm externam; cujus ſanè non eſt ſive baptiſmum conferre, ſive fidelium populorum humare corpora, ſive Euchariſtiam diſtribuere, ſive mulieri poſt partum aut aliis quibuslibet benedicere, ſive matrimonium aut ſponſalia frequentare; quandoquidem iſtaec omnia primò, verè, propriè & legitimè ad interiorem Epiſcoporum & Parœcorum juriſdictionem pertinent. Quapropter cùm ea juriſdictione in Archidiaconorum Viſitationibus ſpoliari non poſſint Parœci, immeritò ſuam omnem in viſitantes Archidiaconos juriſdictionem dicuntur transferre. Qua proinde retenta, Stolam, ſine qua functiones multæ ad eam attinentes ritè præſtari nequeunt, à Parœcis in eorum Viſitationibus retineri convenientiſſimum eſt, atque æquiſſimum.

CAPUT XVII.

CAPUT XVII.

Stola ſacerdotis & Diaconi cujuslibet Eccleſiaſticum aliquod munus obeuntis, ornatus eſt ac inſigne. A quibusdam Epiſcopis omni tempore geſtabatur olim. Ea utitur Romanus Pontifex etiam extra ſacramenta. Cum ea Pontifices, Sacerdotes & Diaconi ſepeliuntur. In ſacramentorum adminiſtratione & publicis orationibus ſemper ferenda eſt. Unde ad Archidiaconorum nutum non poteſt Parœcis auferri, niſi per infamiam.

EX alio præterea capite Stolam in Archidiaconorum Viſitationibus à Parœcis deferri, convenientiſſimum eſt atque æquiſſimum; quòd nempe ſit cujuslibet ſive Diaconi, ſive Sacerdotis Eccleſiaſticum aliquod officium fungentis ornatus (unde *Stola* à στέλλω id eſt orno) aut inſigne ſeu χαράκτηρ, ut V. Cl. Dionyſius Talæus in Senatu Pariſienſi generalis advocatus, & Pharo Clericus Pariſienſis Theologus ac Royenſis Eccleſiæ Decanus, loquuntur; hic in actis excommunicationis adverſum ſe ab Epiſcopo Ambianenſi latæ, die 27. Januarii an. 1669. [a] Ille

[a] Ledit Sieur Doyen a répondu, qu'il n'avoit leu nulle part que l'Eſtole fuſt une marque de juriſdiction, mais bien le caractere du Preſtre en Office,

verò in actione forenſi de cauſa ejuſdem Epiſcopi adverſus præfatum Royenſis Eccleſiæ Decanum. [b] Quod ante eos ſcripſerat Ignatius Lopez de Salcedo I. C. Academiæ Complutenſis Primarius Profeſſor ac Decanus, in *Practica criminalis canonica*, cap. 38. his verbis : *Oraria, quæ frequentiſſimè Stolæ nuncupantur in antiquioribus Conciliis tanquam Presbyterorum & Diaconorum propria ornamenta conſtituuntur. Vtcumque ſit, illud eſt aſſeverandum, hanc eſſe Apoſtolorum vel univerſalium Conciliorum antiquiſſimam traditionem.*

Hinc Concilium Toletanum 4. an. 633. in can. 28. Epiſcopo, Presbytero, ac Diacono, quorum tantummodò eſt Stolam inducere, ſi injuſtè de ſuo ordine dejecti fuerint, orarium poſtea reſtitui decernit, cùm perſpecta eorum innocentia priſtino ſtatui redduntur. *Epiſcopus* (inquit) *Presbyter, aut Diaconus, ſi à gradu ſuo injuſtè dejectus, in ſancta Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcoporum. Si Epiſcopus eſt, orarium, annulum, & baculum. Si Presbyter, orarium & planetam. Si Diaconus, orarium & albam. Si Subdiaconus, patenam & calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant,*

b L'Eſtole eſt un ſimple ornement particulier au Diaconat, lequel n'emporte aucune juriſdiction.

quæ, cùm ordinarentur, perceperunt. Hinc Rupertus in lib. 8. *de operibus Spiritus ſancti.* cap. 7. *Stolam ſacerdotalem eſſe gloriam* teſtatur, *vel cujuslibet miniſterii, quo ad ſanctum altare Chriſto miniſtratur, dignitatem.* Hinc Concilii Moguntini 1. ſub Leone 3. an. 813. can. 28. & lib. 5. Capitularium Karoli Magni ac Ludovici Pii, cap. 81. Statutum eſt : *Vt Presbyteri ſine intermiſſione utantur orariis, propter differentiam ſacerdotii dignitatis :* Et Concilii Triburienſis can. 26. apud Burchardum lib. 6. decreti cap. 10. Ivonem Carnotenſem part. 10. Decreti cap. 139. & Gratianum cap. *Vt Presbyteri*, 17. quæſt. 4. *Vt Presbyteri non vadant niſi Stola vel orario induti.* Hinc denique Concilium Romanum 7. an. 865. in Epiſtola Nicolai 1. ad univerſos Epiſcopos Galliæ, ut *Rothadum* Sueſſionenſem Epiſcopum *à ſe reſtitutum benignè ſuſcipiant*, ita loquitur : *Itaque Rothadum Epiſcopum tandem à nobis, imò à Deo, priſtino gradui reſtitutum benignè ſuſcipite; quia ille Evangelicus filius rediens, non ſolùm ſuſcipi meruit, ſed & dignus paternis complexibus invenitur, & annulum fidei recipit, & Stola circumdatur*, PER QUAM QUID ALIUD QUAM SACERDOTII DECLARANTUR INSIGNIA?

Atque hos quidem Canones Conciliorum Moguntini & Triburienſis, ita ſtudioſe à quibuſdam Epiſcopis videmus obſervatos, ut

Stolam ſine ulla propemodum intermiſſione geſtaverint. De S. Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo narrat in ejus vita MS. Johannes Sareſberienſis Epiſcopus Carnotenſis, beatiſſimum illum martyrem *Stolam, jugum Chriſti ſuave, circa collum diebus ac noctibus habuiſſe.* Non abſimili fortean ratione S. Franciſcus Saleſius vulgò Stolatus depingitur, etiamſi ſacra non faciat; & Romanum Pontificem, vel *extra ſacramenta Stola uti* memorat Bartholomæus Gavantus *Commentariis in Rubricas Miſſalis Romani*, part. 2. Tit. 6. Quod etiam de Pio II. & Paulo II. tradit Chriſtophorus Marcellus Corcyrenſis Archiepiſcopus in *Rituum Eccleſiaſticorum*, lib. 1. ſect. 12. cap. 3. his vocibus: *Pium II. cui per annos quatuor ad minus in ſuo Pontificatu deſervivi, etiam per agros & nemora peragrantem cum Stola ſemper conſpeximus; Et Paulus, cùm per Urbem vehebatur, etiam lectica clauſus, numquam erat ſine Stola.* Claudius quoque Vaurus Doctor Theologus, Regiique Sacelli & Oratorii Clericus in Tractatu *De Curia Romana ſancta*, pag. 182. auctor eſt Summum Pontificem ad urbem ſeu Eccleſiam aliquam, aut alio proficiſcentem, Stolatum eſſe. [a]

Extraordinarium quid ea de re ac rarum de S. Mauro recenſetur in ejus Vita à Fauſto Mo.

[a] Le Pape marche avec ſon capuchon, & Eſtole penduë au col, avec le manteau ou mante, & le chapeau rouge.

nacho ipſius diſcipulo ſcripta, & ab Odone Glannæ-folienſi Abbate interpolata; hunc nempe ex recepto ſæculi ſui more Diaconalem Stolam primo Ordinationis ſuæ anno extra rem ſacram detuliſſe. Verba vitæ ſunt iſta, apud Cl. VV. Lucam Dacherium, & Johannem Mabillonum, in Sæculo 1. *Actorum Sanctorum Ordinis S. Benedicti*, pag. 281. num. 15. ubi de claudi & muti cujuſdam ſanatione legitur: *At* Maurus, *ut erat piiſſimus, lacrymis perfuſus atque in oratione proſtratus, poſtquam diutiſſimè oravit, Stolam cum qua eodem anno, jubente beato Magiſtro ſuo, ordinatus ad miniſterium fuerat Leviticum, & quam juxta morem, ſanctitatis gratia* PRIMO INDESINENTER FEREBAT ANNO, *de collo ſuo protulit, & ſuper caput infirmi, Crucis ſignum faciens, poſuit*, &c. Qui ritus ſi aliis Diaconis uſurpabatur, certè non alio conſilio, alióve fine, quàm ut ordinis ſui dignitatem in oculis haberent ſemper, atque à Subdiaconis diſcriminarentur. Quo fortaſſe pertinet Concilii Bracarenſis 1. can. ille 27. *Placuit quia aliquanti hujus provinciæ Eccleſiæ Diacones abſconſis infra tunicam utuntur Orariis, ita ut nihil differre à Subdiacono videantur, ut de cetero ſuperpoſito ſcapulæ utantur orario*. Et hæc Ratherii Veronenſis Epiſcopi verba in *Epiſtola Synodica ad Presbyteros & ordines ceteros forinſecus, id eſt per univerſam diœceſim conſtitutos*, quæ Tom. 2.

Spicilegii Dacheriani refertur : *Nullus ſine Stola in itinere incedat.*

Neque ſolùm Pontifices, Presbyteri & Diaconi, dum in vivis agunt, Stolam ordinis ſui inſigne geſtant, ſed cum ea quoque ſepeliuntur & humantur. Liquet hoc ex Chriſtophoro Marcello lib. 1. *Rituum Eccleſiaſt.* ſect. 15. cap. 1. *Miniſtri Cardinalis defuncti* (inquit) *ut corpus mundaverint, illud veſtiant omnibus quotidianis indumentis uſque ad rochetum incluſivè. Deinde ornent eum ſacris veſtibus, ac ſi Miſſam eſſet celebraturus. Si eſt Presbyter aut Epiſcopus Cardinalis, imponant ſandalia, amictum, albam, cingulum,* STOLAM, *manipulum, tunicellam, dalmaticam, chirothecas, planetam, mitram ſimplicem & annulos. Si verò eſſet Diaconus, ſupra* STOLAM *tranſverſam, dalmaticam tantùm imponerent, & mitram ſimplicem in capite, ea ſcilicet ornamenta quibus uteretur ſi Evangelium eſſet dicturus.* Et in cap. 2. ejuſdem Sectionis: *Pœnitentiarii induant* Romanum Pontificem *communes veſtes uſque ad rochetum, deinde ſacras, ac ſi eſſet celebraturus, incipiendo à ſandaliis uſque ad mitram ſimplicem*, &c.

Ex Claudio Vauro in Tractatu *de Romana Curia ſancta*, pag. 18. ubi eadem de Summo Pontifice mortuo memorat[a], quæ modò Chriſtophorus Marcellus.

[a] Les Penitenciers veſtent le *Pape* de ſes veſtemens ordinai-

Ex Cæromonialis Epiſcoporum, lib. 2. cap. 38. *Loto & terſo corpore* Epiſcopi defuncti, *Clerici familiares, ſeu alii Eccleſiaſtici viri cum Magiſtro Cæremoniarum, induant illud primùm veſtibus ordinariis, uſque ad rochetum: deinde ſacris veſtibus quibus vivens induebatur dum ſolemniter erat celebraturus, hoc eſt caligis & ſandaliis, amictu, alba, cingulo,* STOLA, *manipulo, Cruce pectorali, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo & mitra ſimplici.* Atque hic ritus mortuos Epiſcopos ſacras veſtes induendi antiquiſſimus eſt. Venerabilis enim Beda (referente Amalario Fortunato in lib. 4. *de Officiis Eccleſiaſticis*, cap. 41.) de S. Cutberti Lindisfarnenſium Epiſcopi ſepultura ſcribens, eum ait *veſtimento Sacerdotali fuiſſe indutum.* Frodoardus etiam Remenſis Preſbyter, in lib. 4. *Hiſtoriæ Remenſis Eccleſiæ* cap. 48. inventum S. Merolitani Scoti *corpus integrum* refert *Sacerdotalibus infulis redimitum.* In vita S. Birini Epiſcopi Dorceſtrenſis, apud Surium, ad diem 3. Decembris recenſita, habetur, *inventum ejus annulum, crucem plumbeam, calicem parvum, & particulas veſtimentorum ejus*, quæ Pontificalia fuiſſe, evidenter innoteſcit ex adjunctis. Sanctum quoque Gebehardum Conſtantienſem Epiſco-

res juſqu'au rochet: Et apres comme s'il vouloit celebrer *in Pontificalibus*, l'habillent de tous ſes ornemens Pontificaux de couleur rouge.

pum, in cap. 22. lib. 1. Vitæ illius apud Henricum Caniſium tom. 6. *Antiquarum Lectionum*, videmus *lautum & ſacerdotalibus, ut moris eſt, veſtibus indutum, & feretro impoſitum ad Eccleſiam fuiſſe deportatum.* Quo præterea referendus videtur S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus, dum in libro *de vita Patrum*, cap. 3. memorat S. Gallum Aruernorum Epiſcopum *ablutum & veſtitum in Eccleſiam delatum*; ac in cap. 4. de S. Gregorio Lingonenſi Epiſcopo ita fatur: *Sed nec de ipſo veſtimento quod cum eo poſitum fuit, aliquid oſtenſum eſt diminutum.* Unde conſtat antiquitus Eccleſiæ Pontifices ſacris veſtibus, quæcumque tandem illæ eſſent, indutos humi fuiſſe mandatos. Quod tamen ſubſecutis poſtea temporibus videtur alicubi immutatum, & præſertim Romæ, quemadmodum ex iis diſcimus quæ Johannes Chenutus Bituricus, in Senatu Pariſienſi patronus, de Guillelmo Totavillæo Rotomagenſi Archiepiſcopo, Cardinalitii Collegii Decano, S. R. E. Camerario & S. Mariæ Majoris Archipreſbytero, in *Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ chronologica hiſtoria*, ſic narrat: *Cùm ejus funus efferretur, ob ſacras & aureas veſtes quibus ejus corpus erat indutũ, contentione inter canonicos S. Mariæ Majoris & fratres Auguſtinianos (quorum magnificum templum à fundamentis erexerat* & in quo humari voluerat) *exorta, cujus eſſent, annulis à digitis extractis, parum*

abſuit quin nudum ignominioſè relinqueretur.

Ex Sacerdotali *ad conſuetudinem S. Romanæ Eccleſiæ aliarumq; Eccleſiarum, ex Apoſtolica Bibliotheca ac SS. PP. jurium ſanctionibus & Eccleſiaſticorum Doctorum ſcriptis collecto, Summorum Pontificum autoritate multoties approbato*, atque Venetiis edito an. 1579. Tit. *Ordo commendationis animæ in agone mortis: Tunc illi quibus injunctum fuerit lavent corpus, poſtea induant eum paramentis ſui ordinis, & ponant eum in feretro.*

Ex Rituali Romano Pauli V. Tit *De Exequiis*: *Sacerdos aut cujuſvis ordinis Clericus defunctus veſtibus ſuis quotidianis communibus uſque ad talarem veſtem incluſivè; tum deſuper ſacro veſtitu Sacerdotali, vel Clericali, quem ordinis ſui ratio depoſcit, indui debet. Sacerdos quidem ſuper talarem veſtem, amictu, alba, cingulo, manipulo,* STOLA *& caſula ſeu planeta violacea ſit indutus. Diaconus verò induatur amictu, alba, cingulo, manipulo,* STOLA, *ſuper humerum ſiniſtrū, quæ ſub axilla dextra annectatur & dalmatica violacea.*

Ex Rituali Romano Pauli V. ad uſum Diœceſis Macloviensis, juſſu Guillelmi Gubernatoris Macloviensis Epiſcopi an. 1617. Maclovii edito, Tit. *de Exequiis*: ubi eadem verba replicantur.

Ex Rituali Carnotenſi Leonorii Stampenſis Carnotenſis Epiſcopi, Tit. *De Exequiis: Sacerdos ſepeliendus veſtibus ſuis quotidianis*

communibus uſque ad talarem veſtem incluſivè, tum deſuper ſacro veſtitu ſacerdotali indui debet; amictu videlicet, alba, cingulo, manipulo, STOLA *& caſula ſeu planeta.*

Ex Ritualis Alectenſis Nicolai Pavillonii Alectenſis Epiſcopi, part. 1. Inſtit. 16. *De ſepulturis*, ubi dicitur *Sacerdotes alioſque Clericos fato functos veſtibus ordini ſuo convenientibus eſſe induendos: ut quibus ornari debent virtutes ſignificentur, quò operum ac miniſterii ſui mercedem à Deo recipiant* [a].

Ex Manualis ſacrarum cæremoniarum Michaëlis Baldrici Eccleſiæ Cathedralis & Regularis Malleacenſis Magni Prioris, part. 5. edit. 2. pag. 721. num. 10. ubi ſuperiùs citata Cæremonialis Epiſcoporum verba repetit.

Ex Praxis Cæremoniarum ſeu ſacrorum Romanæ *Eccleſiæ rituum accurata tractatione* Andreæ Piſcara Caſtaldi Neapolitani Congregationis Clericorum Regularium Preſbyteri, lib. 1. ſect. 9. cap. 9. *De obitu & exequiis Abbatis*, num. 1. *Abbas defunctus induitur Pontificalibus, eodem modo quo Epiſcopus, cum baculo & aliis inſignibus.* Et ſect. 10. cap. 12. *De infirmitate, obitu & exequiis Epiſcopi*, num. 8. *Loto ac terſo corpore, cubicularii prius veſtibus communibus, quibus uti conſue-*

a Pourquoy reveſt-on les Preſtres & les Eccleſiaſtiques des habits propres à leur eſtat ? Pour marquer les vertus dont ils doivent eſtre ornez, afin de recevoir de Dieu la recompenſe de leurs œuvres & de leur miniſtere.

vit, uſque ad rochetum, ipſum induent: deinde Sacriſta cum Clericis, adjuvante Magiſtro Ceremoniarum, Pontificalibus veſtibus eum induent, vid. licet caligis & ſandaliis, amictu, alba, cingulo, STOLA, *manipulo, cruce pectorali, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo & mitra ſimplici, & (ſi uti debeat) pallio,* &c.

Ex Cæremonialis Monaſtici Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti, lib. 3. cap. 17. *De exequiis defunctorum*, num. 2. *Corpus lavabitur, ſaltem manus & facies ejus, tum ligabitur & obturabitur, ne humores defluant: poſtea veſtiet eum infirmarius tunica, cingulo, ſcapulari, tibialibus, crepidis, & inſuper (ſi fuerit Clericus profeſſus) cucullâ, ſi Sacerdos, ſupra cucullam* STOLA *violacea hinc inde pendente.*

Ex *Perfecto Clerico* Claudii à Cruce Presbyteri, part. 4. cap. 9. art. 5. num. 6.[a] *Presbyteri mortui corpori indumentis communibus veſtito imponitur manipulus in brachio ſiniſtro, & ſtola in collo ante decuſſata, quemadmodum in Miſſa, poſtmodo caſula, quam*

[a] Le corps du Preſtre mort eſtant reveſtu de ſes habits ordinaires & communs .. . . on luy met le manipule au bras gauche, & l'Eſtole au col, que l'on croiſe pardevant, comme l'on fait pour la ſainte Meſſe, & apres la chaſuble, qui ordinairement doit eſtre violette & benite. Si c'eſt un Diacre on luy donne tout ce qu'il doit avoir quand il ſert à l'Autel avec la tunique. L'Eveſque doit eſtre reveſtu de ſes ornemens Pontificaux, & meſme enterré avec, comme il ſe pratiquoit il y a pluſieurs centaines d'années.

vulgò violaceam & benedictam eſſe convenit. Et num. *Si Diaconus obierit, iis omnibus induetur, quibus dum ad altare miniſtrat, induitur, Epiſcopum oportet Pontificalibus veſtibus exornari, & cum iis humari, quod à multis ſæculis obſervatur.*

Ex Cæremonialis Eccleſiaſtici ad uſum Fratrum Minorum, part. 2. cap. 27. *De exequiis defunctorum*, num. 2. *Corpus* fratris noſtri *lavabitur, ſaltem manus, facies & pedes, tum ligabitur & obturabitur, ne humores defluant: poſtea veſtiet eum infirmarius ſuis pannis: Si Sacerdos fuerit*, STOLA *violacea, ad ejus collum imponetur, hinc inde pendens.*

Ex Cæremonialis Pariſienſis à Martino Soneto editi, part. 4. cap. 10. *De ægrotatione, Sacramentorum adminiſtratione, viſitatione, morte, funere & exequiis alicujus dignitatis, Canonici, Parochi, & alterius ſacerdotis, ac etiam Clerici non Sacerdotis*, num. 21. *Loto & terſo corpore, Clerici aut alii Eccleſiaſtici induant illud primùm veſtibus ordinariis, hoc eſt induſio, veſte talari, zona: tum ſacris veſtibus quibus vivens induebatur dum Miſſam erat celebraturus, hoc eſt ſuperpelliceo, amictu, alba, cingulo, manipulo*, STOLA *& planeta coloris violacei; detúrque ei parva crux ex ligno nigro cum Crucifixo, quam tenebit manibus junctis ſuper pectus ligatis, ſi opus ſit, mitra violacea: Caput ejus cooperietur bireto æſtate, & involvetur amictu hyeme. Diaco-*

nus autem Diaconalibus, Subdiaconus Subdiaconalibus indumentis violacei coloris veſtientur: Et promoti ad quatuor Minores atque Clerici, ſi clericaliter vivant, & alicui Eccleſiæ inſervientes privilegio fori & canonis gaudeant, induantur ſuper veſtem talarem ſuperpelliceo & bireto æſtate, vel camali hyeme.

Denique ex Cæremonialis Eccleſiaſtici juxta ritum Eccleſiæ Romanæ ad uſum Congregationis Gallicanæ FF. Tertii Ordinis S. Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, *ſtrictæ obſervantiæ*, ex decreto Capituli generalis ejuſdem Congregationis, editi part. 4. Tit. *Obſervationes generales circa exequias: Si frater defunctus aliquo ſacrorum Ordinum, dum viveret fuit initiatus, violaceo ordinis ſui paramento in lectulo doloris parabitur, ita ut Sacerdos* Stolam *à collo recta pendentem habeat, Diaconus ab humero ſiniſtro ſub dextrum latus ductam, & Subdiaconus manipulum in ſiniſtro brachio.*

Ergo ſi Pontifices, Sacerdotes & Diaconi, vel poſt mortem, Stola induantur, Parœcos eadem Stola inſigniri tunc maximè convenit cùm aliqua eorum ordinis & dignitatis munia tractanda ſunt, uti jam ex Cardinali Bona lib. 1. *Rerum Liturgicarum*, cap. 24. num. 6. obſervavimus. Unde in Sacramentorum adminiſtratione, in Chriſtianorum exequiis, in ſupplicationibus, in benedictionibus ac de-

num in publicis omnibus Eccleſiæ orationibus Stola adhibetur. Quare appoſitè ad rem noſtram ſcribit Ludovicus Richeomus Societatis Jeſu Preſbyter, in Tomo 2. *De Miſſa*, lib. 4. cap. 26. *Sacerdotes olim Stolam ſemper geſtare ſolitos, etiam concionando, aut Sacramenta miniſtrando*;[a] Et Gilbertus Grimaldus Burdigalenſis Eccleſiæ Theologus, in parte 1. *Liturgiæ ſacræ*, cap. 6. parag. 5. n. 4. ait. [b] *Qui præeſt Eccleſiæ jus habere Stolam geſtandi, non ad altare tantùm, quemadmodum alii Preſbyteri aut Diaconi, ſed etiam in omnium Sacramentorum adminiſtratione, intra & extra Eccleſiam, & in omnibus publicis functionibus.*

Quæ igitur ratio eſſe poteſt Archidiaconis Parœcos Stola ſuis in Viſitationibus exuendi? Nam cùm à Parœcis ubique fermè in Eccleſiaſticis officiis feratur, & Eccleſiaſticorum officiorum numero accenſeri meritò poſſint pleraque illorum quæ ſuis in Viſitationibus exercent Archidiaconi, cur iis Stolati non intererunt Parœci? *Dictum eſt orarium* (inquit Guillelmus Durandus in lib. 3. *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. 5. num. 6.) *quia quamvis ſine aliis indumentis Sacerdotibus baptizare, conſignare, & alia plura*

a Let Preſtres portoient anciennement toûjours *l'Eſtole*, meſme en preſchant, ou adminiſtrant les Sacremens.

b Celuy qui preſide dans l'Egliſe a droit de porret l'Eſtole, non à l'Autel ſeulement, comme les ausres Preſtres ou les D'acres, mais en l'adminiſtration de tous les Sacremens, au dedans & au dehors de l'Egliſe, & dans toutes ſes fonctions publiques.

orando facere liceat, ſine orario tamen, niſi magna neceſſitate cogente, nihil horum facere licet. Quæ verò *magna neceſſitas cogit* Parœcos in Archidiaconorum Viſitationibus orarium exuere? nulla profectò niſi Archidiaconorum voluntas ac beneplacitum. Eadem cum Durando ſentit Silveſter Prieras, ſacri Palatii Magiſter, in Summa, V. *Diaconus*, num. 6. ubi ait: Stola *utitur Sacerdos in celebratione & exhibitione Sacramentorum, & in omni oratione ſolemni: nec portare debet infirmis Euchariſtiam, niſi ea circumſeptus in pectore in modum crucis. Et ſimiliter ea utitur Epiſcopus in conferendo Ordines, etiam primam tonſuram, quia ſic habet Eccleſiæ conſuetudo.* Concordat Nicolaus Thuanus Carnotenſis Epiſcopus in Rituali vernaculo diœceſis Carnotenſis, an. 1580. Tit. *De Sacramento ordinis*, pag. 109. *ubi Stolam* dicit *Latinis* orarium *appellari, quod in publicis Eccleſiæ orationibus deferatur.* [a] Et in *Brevi explicatione Miſſæ,* in qua ſic loquitur, pag. 13. *Stola in ſanctis Decretis vocatur* Orarium, *quia in Eccleſiaſticis orationibus & in ſacra concione geſtari debet à Sacerdote. Sicut purpura Regibus & magiſtratibus ſupremis convenit, Monachis cucullus, toga & prætexta cauſidicis, chlamys, abolla, paludamentum & læna militibus, veſtis civibus ac ruſticis,*

a L'Eſtole eſt dite en Latin *Orarium*, parce qu'elle ſe porte és oraiſons publiques de l'Egliſe.

ita ſacerdotibus Stola.[a] Adeout quemadmodum Rex aut Imperator ſceptro & diademate, Coneſtabilis (ut vocat Vincentius Lupanus in lib. 1. Commentariorum *De magiſtratibus & præfecturis Francorum*) enſe, Duces ac Pares Franciæ pallio, Cancellarius ſigillis regiis, Tribuni ſeu Præfecti militum baculo, utriuſque Ordinis Equites utroque torque, & infulatus Præſes infula: Sic Stola Preſbyteri dignoſcuntur. Ea propter ut Regi aut Imperatori ſceptro & diademate, Coneſtabili enſe, Ducibus ac Paribus Franciæ pallio, Cancellario ſigillis regiis, Tribunis militum baculo, utriuſque Ordinis Equitibus utroque torque, & Infulato Præſidi infula exui contra voluntatem, injurioſum eſt: Ita nec Preſbyteris, atque ideo Parœcis in Archidiaconorum Viſitationibus, auferri Stola, niſi per infamiam & dedecus non poteſt.

[a] L'eſtole eſt par les Saints Decrets appellée *Orarium*, parce que le Preſtre la doit porter en faiſant les prieres de l'Egliſe & la predication. Comme l'écarlate eſt propre au Roys & Magiſtrats Souverains, la cuculle aux Moines, la toge & robbe longue aux Advocats, la chlamyde, manteau court, hocqueton & veſtement eſtroit aux genſdarmes; & l'habit aux citadins & ruſtiques, ainſi eſt l'étole aux Preſtres,

CAPUT XVIII.

CAPUT XVIII.

Stola exuuntur Preſbyteri & Diaconi cùm ob ſcelus exauctorantur. In ſignum admiſſi criminis detracta olim S. Genebaldo primo Laudunenſium Epiſcopo, Machario Antiocheno Patriarchæ, & Rothado Sueſſionenſi Epiſcopo. Quare Parœcis niſi per ſummam ignominiam auferri non poteſt in Archidiaconorum Viſitationibus.

ENIMVERO quando Diaconus aut Preſbyter exauctoratur, ſeu (ut vulgò dicunt Barbari) *degradatur*, utrique Stolam à Pontifice detrahi fidem facit Pontificale Romanum Clementis VIII. & Urbani VIII. auctoritate recognitum. Diacono quidem his additis: *Stolam candidam quam acceperas immaculatam in conſpectu Domini perferendam, quia non ſic cognito myſterio, exemplum converſationis tuæ fidelibus præbuiſti, ut plebs dicata Chriſti nomine poſſet exinde imitationem acquirere, juſtè à te amovemus, omne Diaconatus officium tibi prohibentes.* Preſbytero autem cum hac verborum formula: *Signum Domini per hanc Stolam turpiter abjeciſti: ideoque ipſam à te amovemus, quem inhabilem reddimus ad omne ſacerdotale officium exercendum.* Quamobrem qui ad Ar-

chidiaconorum Viſitationes ſine Stola præſentes adſunt Parœci, exauctoratis ſacerdotibus ſimiles mihi videntur: ſuóque ordini fœdam infamiæ labem aliquo modo inurere; cujus infamiæ manifeſtum eſſe argumentum Stolæ detractionem tribus antiquitatis ſacræ monumentis oſtendi poteſt.

Primũ à Frodoardo Remenſis Eccleſiæ Canonico & Culmiciacenſium Parœco in lib. 1. *Hiſtoria Remenſis Eccleſia cap.* 14. ſic refertur: *Genebaldus* primus Laudunenſis Epiſcopus *de anteacta vita nimium, graduſque ſublimitate confidens, ab uxore quam reliquerat, incautè quaſi pro inſtruenda ea ſe crebriùs viſitari permiſit. Sed, ut divina teſtantur eloquia, lapides excavant aqua, & alluvione terra conſumitur, rupis transfertur de loco ſuo: Ita quoque huic contigit, ut frequentes mulieris viſitationes, blandáque colloquia, durum validúmque contra libidinem pectus emollirent Epiſcopi, & quaſi ad rupem de loco ſanctitatis ad cœnum transferrent luxuria. Qui ſuaſione diabolica in libidinis flammas exagitatus erupit, veterique ſe miſcens ſodali, filium ex eadem progenuit, quem velut in latrocinio procreatum Latronem nominari precepit. Et quia culpa pluribus ignota, ne in ſuſpicionem hinc fortè procederet, ſi à ſolita ſe Præſulis viſitatione femina ſubmoveret, cœpit ut antea domum frequentare Pontificis. .... Qui velut oblitus quod plan-*

xerat, iteravit crimen quod defleverat. At ubi exortam de flagitio comperit filiam, nomen eidem mandat imponi Vulpeculam, ut pote fraudibus arguta matris generatam. Domino denuò, qui beatum Petrum reſpexerat, hunc quoque reſpiciente, compunctus mente Genebaldus S. Remigium petit ire Laudunum. Quo cum debita veneratione ſuſcepto, poſtquam cubilis iniere ſecretum, magnum prorumpens in ejulatum, STOLAM *deponere nititur reus, ſancti ſe Patroni proſternens pedibus. Quo doli tanti cauſam diligenter indagante, lacrymis ſingultuque præpediente, vix admiſſa tranſgreſſor narrat ex ordine* &c. Quibus utique verbis ad propoſitum noſtrum colligitur, Et S. Remigium Archiepiſcopum Remenſem à S. Genebaldo Laudunenſi Epiſcopo, ejus Suffraganeo, & quidem Stolato, *cum debita veneratione ſuſceptum* fuiſſe; & S. Genebaldum in ſignum admiſſi ſceleris coram beato Remigio *nixum Stolam deponere*, quaſi ea ſe indignùm reputaret. Hanc autem Stolam Sacerdotalem ſeu Pontificalem fuiſſe ita tradit Antonius Bellottus Laudunenſis Eccleſiæ Decanus in *Obſervationibus ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis redivivos*, pag. 251. col. 1. *Unde datur intelligi Stolam* orarii, *ſeu* Aurarii *nomine dictam fuiſſe; non ſolùm quòd* orarium *ſeu* Aurarium *Oratoribus ſeu prædicatoribus Evangelii conceſſum fuerit: ſed quia apparatus ipſe ſacer ornatus eſſet Sacer-*

ditum, quem idcirco S. Genebaldus Epiſcopus primus Laudunenſis in ſignum pænitentiæ depoſuit: quem & poſt exactum in pœnitentia ſeptennium, tandem in cœnâ Domini, divino juſſu recepit à beato Remigio; una cùm plena officij Epiſcopalis poteſtate.

Secundum autem exemplum ab Anaſtaſio Bibliothecario in Agathonis vita memoratur his vocibus: *Die 25. menſis Februarij reſidente Synodo 6.* generali, quæ eſt Conſtantinopolitana 3. *una cum pio principe* Conſtantino Pogonato, *ſimulque & Legatis Sedis Apoſtolicæ, Macarium* Antiochenum Patriarcham *adeſſe juſſerunt; & data à Principe licentia ut ſe partes quis in quas vellet divideret: Georgius Patriarcha regiæ civitatis* Conſtantinopolitanæ *cum ſuis in partes Orthodoxorum ſtetit: Macarius verò cum ſuis in parte alia Hæreticorum. Et deducentes ad medium profeſſionem Georgij Patriarchæ, quam fecerat, porrecta eſt principi & relecta eſt. Et commonitus ſupra ſcriptus Macarius quid ſentiret vel crederet, reſpondit ſe in ea perfidia, quam ante propoſuerat, perdurare, & nullatenus Orthodoxæ fidei acquieſcere. Eâ horâ ſancta Synodus unâ cum Principe,* EIUS ORARIUM AUFERRI IUSSERUNT A COLLO EIUS; *& exiliens Baſilius Cretenſis Eccleſiæ, ejus orarium abſtulit, & anathematizantes projecerunt eum foris Synodum, ſimulque & thronum ejus.* Idem breviùs narrat

hunc in modum Alphonſus Ciaconius Bajacenſis, Ordinis Prædicatorum, Penitentiarius Apoſtolicus, in ejuſdem Agathonis vita: *Macarius Patriarcha* (inquit) *quod ſui judicii eſſet* de Monotelitarum damnatione *rogatus, ſe cum ſuis in priſtino manere propoſito affirmavit, citiuſque millies moriturum, quàm de ſuſcepta ſententia decederet. Quam vocem ubi Imperator & Catholici audierunt, irâ perciti* ORARIUM COLLO DEMI IUSSERUNT, *eumque ex Concilio pulſum ſacro anathemate perſecuti ſunt.* Ex quo haud difficiliter noſcitur, & Macario Antiocheno Pontificij Orarium, ob Monothelitanæ hæreſeos crimen per maximam ignominiam fuiſſe in Synodo 3. Conſtantinopolitana ablatum; Et Stolatos Synodis interfuiſſe Pontifices. Ubi alienum à propoſito non erit hic annotare, non Pontifices tantùm, ſed & Abbates ac Preſbyteros alioſque Clericos veſtibus Eccleſiaſticis indutos adfuiſſe Synodis.

De Pontificibus & Abbatibus id intelligere eſt ex cap. 1. Concilij Provincialis Silvanectenſis, an. 1326. ſub Guillelmo de Tria Archiepiſcopo Remenſi, ubi habetur: *In hoc ſacro Provinciali Concilio ordinem procedendi cupientes ſtatuere Deo gratum, ut ſuavis & dulcior reddatur Paſtoralis ſolicitudinis labor in fructu, ordinamus pro futuris temporibus ut ingreſſu ſacri Provincialis Concilij miſſa de Spiritu ſancto per Nos Archiepiſco-*

pum & ſucceſſores noſtros Archiepiſcopos Remenſes, vel quibus committemus, in Pontificalibus celebrabitur ſolemniter, Suffraganeis ſecundùm ſuum ordinem in cappis & baculis Paſtoralibus, una cum Abbatibus præſentibus ſecundum ſui decentiam ſtatus ornatis: qua completa præponetur verbum Dei, & indulgentia concedetur, & ſtatim decantabitur, Veni creator Spiritus. *Ita quòd totam ſpem noſtram ad ſolam referentes ſummæ providentiam Trinitatis, procedamus confidenter ad tractatum & expeditionem in Concilio agendorum horis & diebus ſequentibus opportunis, quibus peractis fiet diffinitio per Archiepiſcopum ſeu ejus commiſſarium: & ſtatuta, ſi quæ ſunt ibidem facta, pronunciabuntur Suffraganeis cum mitris & baculis paſtoralibus, ac præſentibus aliis in Concilio congregatis; & data benedictione recedere poterunt ad hujuſmodi Concilium congregati.*

De Preſbyteris autem aliiſque Clericis hoc colligitur ex Aimoini Hiſtoriæ Francicæ continuatore, lib. 5. cap. 33. qui ſequentia verba ex Annalibus Bertinianis deſcripſit ad an. 876. ubi de Synodo Pontigonenſi: *Undecimo Kalendas Iulij, indictione II. Epiſcopis & ceteris quibuſque Clericis, veſtibus Eccleſiaſticis indutis, & domo ac ſedilibus palliis protenſis, atque in gremio Synodi & proſpectu imperialis ſedis, lectorio ſuperpoſitis Sacroſanctis Evangeliis, venit Dominus Imperator Ka-*

rolus in veſtitu deaurato habitu Francico cum Legatis Apoſtolicæ Sedis in Synodum &c.

Tertium denique exemplum ex Hiſtoria Rothadi Sueſſionenſium Epiſcopi repetitur. Illum *Metropolitanus Hincmarus* (ut ipſe loquitur in *libello proclamationis quem* Nicolao Papæ 1. in Concilio Romano 7. an. 865. obtulit) *ſancta Remenſis Eccleſiæ Antiſtes, quibuſdam occaſionibus exortis, acri infeſtatione certans, diu multis ac variis laboribus vexabat, & in Synodo, quaſi omnium Dominus, præſidens ac prævalens, ſententiam in eum damnationis violenter ac præcipitanter jaculatus erat.* Injuſtè damnatum ſe cùm intelligeret Rothadus, Apoſtolicam ſedem appellavit, ſtatimque Sueſſionem reverſus eſt, ad iter neceſſaria paraturus. Interea loci Hincmarus miſſis ad eum tribus Epiſcopis *mandat ad Synodum ipſam ut ſine mora veniret.* Quibus cùm ſibi *non ita licere* ſæpius *reſpondiſſet, obſeratis oſtiis in eadem* cum eis *eſt cella incluſus* non longè à Synodo, *neque egredi omnino potuit, donec de eo, ſicut quibuſdam tunc placuit, diffiniretur.* Ejus *enim Archiepiſcopus voluntatis ſuæ propoſitum, quantum poterat, implere curavit, factuſque eſt gratis ejus ipſe accuſator, ipſe teſtis, ipſeque judex; & ſicut eum abſentem, prout voluit, culpabat, ſic & temerè judicare nec timuit nec retractavit.* Sic è ſua ſede dejectus eſt Rothadus. In ea autem dejectione Pontifi-

calibus indumentis, atque ideo ſtola exutum fuiſſe manifeſtò conſtat. Antè enim quàm damnationis in eum proferretur ſententia, declarat in citato Proclamationis libello, ſe *ad locum, quo* eum *deducebant* præfati tres Epiſcopi, *tranſiviſſe ſacerdotalibus veſtitum indumentis, ſanctum Evangelium & lignum ſanctæ Crucis circa ſua pectora gerentem.* Non exponit quidem quomodo *ſacerdotalibus* ejuſmodi *indumentis* fuerit exutus, ſed tantùm quomodo detruſus in carcerem. *E veſtigio* (inquit) *tanquam in latronem, more ſatellitum, homines in me manus injecerunt, méque rapaciter ad carceralem duxere cuſtodiam.* Exutum tamen fuiſſe ex eo facilè colligitur, quòd poſtquam priſtino honori redditus fuit, *Stola Epiſcopali indumento* ac *Epiſcopalibus infulis veſtitus* dicatur à Nicolao I. in Concilio Romano 7. & ab Anaſtaſio Bibliothecario in Nicolai I. vita. Ita namque Nicolaus I. in Epiſtola *ad univerſos Epiſcopos Galliæ, ut Rothadum à ſe reſtitutum benignè ſuſcipiant*, loquitur: *Itaque Rothadum Epiſcopum, tandem à nobis, imò à Deo, priſtino gradui reſtitutum, benignè ſuſcipite, quia ille Evangelicus filius rediens non ſolùm ſuſcipi meruit, ſed & dignus paternis complexibus invenitur, & annulum fidei recipit, & Stola circumdatur, per quam quid aliud quàm ſacerdotii declarantur inſignia?* Hæc autem narrat Anaſtaſius: *Conſentiente* Nicolao

collo *Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, omniúmque conventu decrevit ut dignus eſſet Rothadus indui Sacerdotalibus indumentis, qui à nemine per tot menſes accuſabatur, & ad Sedis Apoſtolicæ judicium proclamabat, ne honore privaretur. Vbi veſtitus Epiſcopali Rothadus indumento, omni tempore ſe pollicitus eſt ſuis infeſtatoribus reſponſurum. . . . . Et poſt omnium conſenſum in Eccleſia beatæ Conſtantiæ, decreto beatiſſimi hujus præſulis jam reſtitutus Epiſcopus, miſſarum ſolemnia ſolemniter celebravit. Sequenti verò die. . . . . in gradum priſtinum eſt reſtitutus & ad propriam ſedem cum Apoſtolicis ſanctionibus remiſſus, quatenus veſtitus Epiſcopalibus infulis, ſi provocatus fuiſſet de cetero, ſuis accuſatoribus coram Sedis Apoſtolicæ Præſule reſponderet.*

Ea verò quantumvis ex ſeſe clara ſint, non minimum tamen lucis accipient ſi notaverimus Epiſcopos, ut Conciliis Stolatos ſe ſiſtebant, quemadmodum mox dicebamus, ita qui in Conciliis dignitate depellebantur, exauctorari, ac proinde Stola exui conſueviſſe. Unde in Concilii Duziacenſis 1. an. 871. parte 4. cap. 10. idem Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus depulſionis ſententiam in Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum nepotem ſuum ita pronunciat: *Hincmarum Eccleſiæ Laudunenſis Epiſcopum Epiſcopali honore ac dignitate privatum judico, & omni ſacer-*

dotali officio ſpoliatum decerno Quæ verba exauctorationem deſignare teſtatur Ludovicus Cellotius S. I. Preſbyter in Notis ad prædicti Concilii caput 10. num. 47. *Præter abrogationem Epiſcopalis officii & gradus, quam degradationem appellamus, deprimitur etiam* Hincmarus Laudunenſis *ad laicam communionem, ut neque Miſſam cantare, neque cum Clericis in choro communicare poſſit.* Quis autem neſcit Stolam in degradatione exui?

Baculus quoque Paſtoralis, unum ex Epiſcopi inſignibus, aliquando Epiſcopis detractus eſt ob gravem aliquam culpam; quod Photio Conſtantinopolitano Patriarchæ contigiſſe refert Concilium Conſtantinopolitanum 8. act. 7. Cùm enim baculo innixus ad Synodum veniſſet, hunc illi auferri juſſit » *Macarius Vicarius Romanus dicens*, Ba» culus ſignum eſt dignitatis Paſtoralis, quod » hic habere nullatenus debet qui lupus eſt, non Paſtor. Verùm heic ſolùm de Stola agimus.

Ex his porrò exemplis liquet Archidiaconos dum Parœcos vetant Viſitationibus ſuis Stolatos adeſſe, aut iis Stolam eripiunt ſi geſtent, non aliter cum ipſis quàm cum ſceleratis, infamibus, ac de ſuo gradu atque ordine depulſis ſacerdotibus agere. Id verò citra apertam ſacerdotalis ordinis ac Parœcialis dignitatis contemptionem, utrum fiat, aliis relinquo judicandum.

Caput XIX.

Inquiritur cauſa propter quam Parœcos tantopere deſpiciunt Archidiaconi, nec invenitur niſi injuſta. Parœci dicti olim Preſbyteri Cardinales, *ſunt* Minores, *ſeu* inferiores Prçlati. *Archidiaconi* Epiſcoporum miniſtri *appellantur; Parœci verò* Epiſcoporum Adjutores, fratres, Compreſbyteri & cooperatores. *Vnde Parœcorum Ordo Archidiaconali illuſtrior. Archidiaconi primis ſeptem Diaconis ſuccedunt; Parœci verò* 72. *Chriſti Diſcipulorum locum occupant. Archidiaconorum auctoritas mobilis & volatica, Parœcorum firma & conſtans. Quare Parœci non ita ſunt ab Archidiaconis contemnendi, ut Stola in ipſorum viſitationibus exuantur.*

Interea quid tandem cauſæ eſſe poſſit Archidiaconis ita Parœcos deſpicere, non video. An fortè quia cùm eorum nonnullos aliquando minùs idoneos *Chriſti miniſtros*, ipſiúſque *myſteriorum diſpenſatores*, ut ait Apoſtolus 1. Corinth. 4. cap. ac proinde nullius propemodum honoris dignos inveniant, ceteros omnes eodem cubito, eadémque menſura æſtimandos arbitrantur? At

præterquam quod hoc ipſum de quibuſdam Archidiaconis pari jure pronunciari poſſet, nec minùs fortaſſe vitioſitatis (habita numeri ad numerum proportione comparationeque) in Archidiaconis inveniretur, ſi viſitarentur à Parœcis, quàm in Parœcis inveniunt viſitantes Archidiaconi: Si ingloriæ ſunt Parœcorum aliquot perſonæ, ut & Archidiaconorum quorumdam, eorum ſaltem inhoneſta eſſe non debet dignitas, inhonoratus Sacerdotalis ordo. Jámque ſingulari Dei præpotentis beneficio ad ea tempora devenimus ubi neceſſe non eſt Archidiaconos *in ſua Viſitatione providere, quòd Sacerdotes ritè proferre noverint ſaltem verba Canonis & baptiſmatis, & quòd in hac parte ſanum habeant intellectum*, quemadmodum ſanxit in capitulo 23. Concilium Oxonienſe, ſub Stephano Langtonio Cantuarienſi Archiepiſcopo *pro reformatione Eccleſiæ Anglicanæ* anno 1222. celebratum; vel *ſollicitos* eſſe *frequenter intereſſe Capitulis per ſingulos Decanatus, in quibus diligenter inſtruant inter alia Sacerdotes, ut bene ſciant & ſanè intelligant verba Canonis & baptiſmi, quæ ſcilicet ſunt de ſubſtantia ſacramenti*, uti loquitur Concilium Londonienſe an. 1237. ſub Othone Sedis Apoſtolicæ Legato, Capitul. 20. Tam craſſam támque pudendam ignorantiam Parœci jampridem excuſſere. Sicut neque nunc opus eſſe arbitror ea Ar-

chidiaconos interrogare, de quibus ipſos interrogandos à Viſitatore memorat Lucas Antonius Reſta Viſitator Apoſtolicus & Epiſcopus Andrienſis, in Directorii Viſitatorum part. 1. cap. 75. Nimirum, *An bene legat? An literas Latinas calleat? An incedat in habitu & tonſura, & ſcribat?* Quî fit ergo ut ab Archidiaconis Viſitantibus tam injurioſè tractentur Parœci?

Nonne quia cùm intelligant Parœcorum dignitatem ordinis eſſe ſuo officio longè præſtantioris, conantur illam, quoad poſſunt, deprimere, ut inde ſe magis erigant atque extollant? Sed quàm diſſimiliter Chriſtiana humilitas, quæ ſuis partibus contenta, in aliorum jura numquam involat: quæque tantùm abeſt ut quemquam, ne dum Chriſti Sacerdotes, debitis honoribus privet, ut potiùs, qui deferuntur, reſpuat omnino. An verò quibus honorificis nominibus indigitentur Parœci, ignorant Archidiaconi? Parœcos aliquando *Presbyteros Cardinales*, id eſt principales, multis oſtendit Johannes Fileſacus Theologus Pariſienſis in libri de *Parœcia ſive de Parœciarum & Parœcorum origine, nec non de miſſa Parœciali*, cap. 3. Quo ſenſu Vvallerius Aurelianenſis Epiſcopus in Capitulis an. 858. in Synodo promulgatis *apud Bullenſem fundum*, cap. 2. Statuit, *Ut per Archidiaconos vita, intellectus, & doctrina Cardinalium Presbytero-*

rum inveſtigetur. Ad quas voces Ludovicus Cellotius S. I. Preſbyter iſta annotavit ad calcem Concilii Duziacenſis primi : *Cardinales Presbyteri ſunt addicti & incardinati Eccleſiis , in quibus moventur quidem ut omnibus provideant , ſed ita tamen ut ab illis non moveantur. Et quia cardo rerum omnium præcipua pars dicitur, præcipui & primarii earum Eccleſiarum Presbyteri ſunt quos Parochos ſive Curatos appellamus.*

Dicuntur præterea Parœci *prælationis officio fungi*, in cap. *Tua*, Tit. *De Clerico ægrotante vel debilitato*; *dicuntur Eccleſiarum Prælati*, cap. *cùm ab Eccleſiarum*, Tit. *De officio judicis ordinarii*; *dicuntur Prælati minores*, in cenſura facultatis Theologiæ Pariſienſis an. 1408. 2. Januar. adverſus fratrem Johannem de Gorello, in Sermone Johannis Gerſonii *contra Bullam Mendicantium*, & in ejuſdem facultatis cenſura, 24. & 25. Maii an. 1664. contra librum fratris Jacobi Vernantii ; dicuntur denique *Prælati inferiores*, in prædictæ facultatis cenſura, 2. Martii an. 1429. adverſus fratrem Johannem Sarazinum.

Varia quidem & inſignia fuiſſe olim, ac eſſe nunc etiam Archidiaconorum munia, non me præterit, quorum pleraque S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in Epiſtola ad Ludefredum Epiſcopum Cordubenſem, & Nicolaus Januarius in Carnotenſi Eccleſia Du-

nenſis Archidiaconus in libro *de Archidiacono, ſeu de ipſius jure & officio*, commemorant. Sed ea non geſſiſſe Archidiaconos liquet niſi ut *Epiſcoporum miniſtros*. Quare Concilium Carthaginenſe 4. in can. 37. ſic decernit: *Diaconus ita ſe Presbyteri, ut Epiſcopi miniſtrum eſſe cognoſcat.* Atque ideo ſi *in omni celebritate* Epiſcopo *conjunctiores aſſiſtunt* (quemadmodum apud S. Bernardum loquuntur in lib. 4. de Conſiderat. cap. 5. num. 16.) ſi *ſedenti propiores aſſident & priores ſequuntur procedentem: hoc totum non dignitatis privilegium, ſed ſedulitatis debitum eſt, Diaconi nomen ſolemni ipſa adminiſtratione interpretans. Propiores aſſiſtunt, ut habeat paratiores.*

Verùm alia eſt Parœcorum ratio. Quas enim functiones obeunt, non ut *miniſtri*, ſed ut *adjutores Epiſcoporum*, obeunt. Unde in Epiſtola Montani Epiſcopi Toletani *ad fratres territorii Palentini* legitur ipſos *adjutores ſuos Dominum* Epiſcopalis *laboris ſecundo dignitatis gradu eſſe voluiſſe.* Unde *fratres dilectiſſimi & Compresbyteri* Epiſcoporum vocantur à Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo in Capitulari *ad Parochiæ ſuæ Sacerdotes*. Unde cum Epiſcopis *ſolicitudinem gregis Dominici percepiſſe, & in ſacerdotali miniſterio ſecundi ordinis & dignitatis locum obtinere* dicuntur à Riculpho Sueſſionum Epiſcopo in Conſtitutione an.

889. Unde etiam à Leone 4. & S. Udalrico Auguſtano Pontifice in *Sermone Synodali in ſingulis Synodis Parochianis Presbyteris enunciando*, qui ſub *Admonitionis Synodalis* nomine, in Pontificali Romano antiquo, novo & noviſſimo, Tit. *Ordo ad Synodum*, reperitur, *Epiſcoporum fratres & cooperatores* Epiſcopalis *ordinis* appellantur.

Quantum igitur *Epiſcoporum Adjutores*, eorum *miniſtris*, quantum Presbyteri Diaconis præſtant, tantum Archidiaconis Parœci. Archidiaconi enim ſeptem Priorum Diaconorum locum occupant, quos ab Apoſtolis electos refert S. Lucas in Actorum Apoſtolicorum cap. 6. ubi & eos *miniſtraſſe menſis ac conſtitutos ſuper hoc opus* aſſeverat. Parœcos autem Septuaginta duorum Chriſti Diſcipulorum ſucceſſores eſſe, & ab ipſomet Chriſto inſtitutos, ex pluribus Eccleſiaſticis monumentis demonſtrari poteſt.

Ex modò citata Epiſtola Montani Epiſcopi Toletani *ad fratres territorii Palentini*, quæ habetur ad calcem Concilii Toletani 2. *Revolvatur manibus veſtris, ô Presbyteri ſacratiſſimus Numeri liber, in quo veſtri officii in Septuaginta Seniorum perſonis auſpicatus eſt honor; & invenietis quorum negotiorum vobis prærogativa conceſſa ſit. Adjutores ſuos Dominus noſtri laboris, ſecundo dignitatis gradu eſſe voluit, non temeratores ſacrarum quarumdam rerum permiſit.*

Ex Beda Venerabili lib. 3. Commentariorum in novum Teſtamentum, cap. 10. in hæc S. Lucæ verba: *Poſt hæc autem deſignavit Dominus & alios Septuaginta duos* &c. *Sicut* (inquit) *duodecim Apoſtolos formam Epiſcoporum exhibere ſimul & præmonſtrare nemo eſt qui dubitet: ſic & hos Septuaginta duos figuram Presbyterorum, id eſt ſecundi ordinis Sacerdotum, geſſiſſe ſciendum eſt: tametſi primis Eccleſiæ temporibus, ut Apoſtolica ſcriptura teſtis eſt, utrique Presbyteri, utrique vocabantur Epiſcopi.*

Ex lib. 7. Capitularium Karoli Magni & Ludovici Pij capitul. 329. *Nullum ex Septuaginta ex his aliquid umquam feciſſe legimus vel ſcimus, ad quorum exemplum & formam Presbyteros, vel Chorepiſcopos, antequam ipſi Chorepiſcopi prohibiti eſſent, fuiſſe agnovimus.*

Ex Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo, in capit. 1. Capitularis: *Scitote veſtrum gradum noſtro gradui ſecundum & penè conjunctum eſſe. Sicut enim Epiſcopi Apoſtolorum in Eccleſia, ita nimirum Presbyteri ceterorum Diſcipulorum Domini vicem tenent. Et illi tenent gradum ſummi Pontificis Aaron, iſti verò filiorum ejus. Vnde oportet nos ſemper memores eſſe tantæ dignitatis.* Ita vulgò ab Epiſcopis ſuis monebantur Preſbyteri ſeu Parœci, ut ſe 72. Chriſti Diſcipulorum ſucceſſores eſſe recordarentur. Quod ipſum

etiam ætate noſtra obſervatur in Synodis, in quibus *Admonitio Synodalis*, de qua poſtmodo, & Evangelium, *Deſignavit Dominus alios Septuaginta duos* &c. perleguntur.

Ex Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo, capitulo 8. eorum quæ Preſbyteris dedit anno Chriſti 852. Kalend. Novemb. *Homilias 40. Gregorii quiſque Presbyter ſtudioſè legat & intelligat. Et ut cognoſcat ſe ad formam Septuaginta duorum Diſcipulorum in miniſterio Eccleſiaſtico eſſe promotum, Sermonem prædicti Doctoris de 72. Diſcipulis à Domino ad prædicandum miſſis, pleniſſimè diſcat, ac memoriæ tradat.* Ceterùm ex univerſo hujuſmodi Capitulorum contextu clarum eſt *Presbyteros* Hincmaro nominari, quos nunc *Parœcos* dicimus. Quod idem de aliis Scriptoribus affirmandum, quos hactenus produximus, & eorum aliquot quos poſtea recenſebimus. Antiquis enim *Parœci*, vulgò *Presbyteri* ſeu *Sacerdotes* appellantur, ut in libro *de Parœcia ſive de Parœciarum & Parœcorum origine* cap. 3. probat Johannes Fileſacus Pariſienſis Theologus.

Ex Riculpho Sueſſionenſium Epiſcopo in Conſtitutione an. 889. *Attendite* ô Preſbyteri, *quia nobiſcum ſolicitudinem gregis Dominici percepiſtis, & in ſacerdotali miniſterio ſecundi ordinis & dignitatis locum poſſidetis. Et ſicut Nos, licet immeriti, Apoſtolorum vices in hac Eccleſia agere*

debemus : ita & vos quoque 72. Diſcipulorum nobiſcum miniſterium in hac plebe Dominica exercere oportet. Nam & in veteri Lege Moyſes & Aaron locum Summi Pontificis tenuerunt, & filii quoque Aaron officium ſacerdotale in ſecundo gradu ſortiti ſunt. Ex Sermone Synodali *in ſingulis Synodis, Parochianis Presbyteris enunciando*, quem in Tom. 9. Conciliorum noviſſimæ Editionis Pariſienſis legere eſt : *Fratres Presbyteri & Sacerdotes Domini, cooperatores noſtri ordinis eſtis. Nos quidem quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos locum Eleazari & Ithamaris. Nos vice 12. Apoſtolorum fungimur, vos ad formam 72. Diſcipulorum eſtis. Nos Paſtores veſtri ſumus, vos Paſtores animarum vobis commiſſarum. Nos de vobis rationem reddituri ſumus ſummo Paſtori Domino Ieſu Chriſto, vos de plebibus vobis commiſſis.* Sermonem hunc, ex codice MS. Monaſterii Nereshemenſis in Auguſtana Diœceſi, ſcripto an. Chriſti 1009. hoc eſt 36. poſt mortem S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi, à S. Udalrico fluere autumat Marcus Velſerus Auguſtanæ Reipublicæ Duumvir, & poſt eum Severinus Binius, à quo primùm editus eſt. Reperitur etiam, nonnullis immutatis, in Pontificali Romano tum Auguſtini Epiſcopi Pientini, cùm Clementis 8. & Urbani 8. Tit. *Ordo ad Synodum*, & in Appendice librorum 2. Regino-

nis Abbatis Prumienſis *De Eccleſiaſticis diſciplinis & Religione Catholica* ; à Cl. V. Stephano Baluſio evulgatorum, ubi nomine *Admonitionis antiquæ, novæ & noviſſimæ* indigitatur : habetur denique in Tom. 8. eorumdem Conciliorum, ſub nomine Leonis 4. quem an. 847. Pontificatum iniiſſe ſcribit Onuphrius in Chronico Eccleſiaſtico Unde ſi hujus Pontificis revera eſt, in nihilum abeunt Velſeri & Binii, conjecturæ de S. Udalrico.

Ex Fulberto Carnotenſi Epiſcopo in Epiſt. 2. ad Finardum : *Noſti populo Hebræorum ſub Moyſe & manna de cœlo per annos 40. ſubminiſtratum : qui Moyſes dux populi ſecundis adjutoribus, Septuaginta Viris videlicet de eodem populo ſuſtentabatur : per quos forma Presbyterorum exprimitur, qui nunc in Eccleſia novitia Pontificale onus in ſe ſuſcipientes, regendis populis invigilant. Porrò ſumens de ſpiritu Moyſi, illis Septuaginta Senioribus dedit, per quos populum ſibi commiſſum per 40. annos judicavit : quia dux noſter Dominus Ieſus Chriſtus Diſcipulis quos ad prædicationis officium miſſurus fuerat in mundum, ſpiritualium dona chariſmatum infudit.*

Ex Gratiano 21. Diſt. in titulo : *Simpliciter majorum & minorum ſacerdotum diſcretio in novo Teſtamento, ab ipſo Chriſto ſumpſit exordium, qui* 12. *Apoſtolos tam-*

quam majores ſacerdotes, & 72. Diſcipulos quaſi minores ſacerdotes inſtituit.

Ex Ebehardo Ratiſp. Archid. in Chron. ad an. 1287. ubi ex ſententia *Magiſtrorum & Sapientum Pariſienſium* ita loquitur: *De Parochialium Preſbyterorum certa autoritate, nulli ſacræ Scripturæ vel Canonum Sapientes dubitaverunt hactenus; qui in locum Septuaginta duorum Diſcipulorum, ſicut Epiſcopi in locum Apoſtolorum, certiſſimè ſucceſſerunt.*

Ex Cenſura Facultatis Theologiæ Pariſienſis, lata an. Domini 1408. die 2. Januarii adverſus Fr. Johannem de Gorello, in qua Minor iſte, ita jubente facultate, id ait: *Domini Curati ſunt in Eccleſia* MINORES PRÆLATI *& Hierarchæ ex primaria inſtitutione Chriſti, quibus competit ex ſtatu jus prædicandi, jus confeſſiones audiendi, jus ſacramenta Eccleſiaſtica, ſecundùm exigentiam ſui ſtatus & Parochianorum, miniſtrandi, jus ſepulturas dandi, jus inſuper decimas & alia jura Parochialia recipiendi.*

Ex cenſura ejuſdem facultatis propoſita die 2. Martii an. 1429. contra Fr. Johannem Sarazinum Ordinis Prædicatorum: *Dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive Curati, eſſe immediatè à Deo, Evangelicæ & Apoſtolicæ conſonat veritati.*

Ex Johanne Gerſonio Pariſienſis Aca-

demiæ Cancellario, in Sermone contra Bullam mendicantium: *Hic ordo eſt in Sancta Eccleſia, ut ſit unus Papa Ieſu Chriſti Vicarius, ſint Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores, ſicut Curati ſucceſſores 72. Diſcipulorum* Et poſtea exponens revocationem fratris Johannis de Gorello, de quo antea: *Domini Curati in Eccleſia minores Prælati ſunt Hierarchici, hoc eſt principales aut dominantes, per primam inſtitutionem Ieſu Chriſti. Hoc fundatur in Evangelio Luc.* 10. *cum gloſſis & in Iure Canonico 21. diſt. & diſt. 68. & 13. quæſt.* 1. Evangelium eſt Bulla Curatorum. Et in Tractatu *De ſtatibus Eccleſiaſticis, De Curatorum ſtatu*, conſiderat. 1. *Status Curatorum ſuccedit ſtatui 72. Diſcipulorum Chriſti, quoad legem novam, & figuratus eſt in anti ua Lege per Levitas. Ac proinde ſtatus Curatorum eſt de inſtitutione Chriſti & Apoſtolorum ſuorum à principio fundationis Eccleſiæ. Quæ inſtitutio per declarationes Summorum Pontificum & Synodorum tam generalium, quàm ſpecialium magis ac magis innotuit.* Haud diſſimilia tradit in Tractatu *De Conſiliis Evangelicis & ſtatu perfectionis*, parte 3. *Status Curatorum in ordine proximus eſt ſtatui Epiſcoporum. Patet quia eadem opera Hierarchica eis incumbunt quæ & Epiſcopis, etſi non in tam excellenti gradu. Debent enim ſubditos purgare arguendo*

& increpando ; illuminare docendo & prædicando ; perficere ſacramenta miniſtrando. Tenentur & in caſu, ſicut Epiſcopi, animas pro ovibus ponere. Vnde & in miſsione 72. Diſcipulorum, quibus Curati ſuccedunt, ſecundùm Theologos & Iuriſtas, quaſi eadem opera mandavit eis Chriſtus, quæ Apoſtolis, Luc. 10. Hæc de Parœcorũ inſtitutione Johannes Gerſonius, qui (ut in Concilio Conſtantienſi, referente Johanne Cochlæo lib. 2. hiſtoriæ Huſſitarum, loquitur Franciſcus Zarabella Cardinalis Florentinus) *uſque adeo ſuperexcellens Doctor eſt, qualis in tota Chriſtianitate vix reperiri queat*; quique Johanne Juvenali Urſino teſte in hiſtoria Caroli VI. ad an. 1413. *Erat inſignis Doctor in Theologia & vir magnæ exiſtimationis.*

Ex Henrico Kalteiſen Dominicano, in Academia Colonienſi Theologiæ profeſſore, & hæreticæ pravitatis Inquiſitore, oratione habita in Concilio Baſileenſi an. 1433. refutando 3. articulum Bohemorum *de libera prædicatione verbi Dei, quem propoſuit per biduum Vdalricus Preſbyter Orphanorum. Sicut ſoli Pontifices (inquit) vel Epiſcopi ſunt ordinarii ſucceſſores Apoſtolorum, quanquam ſunt multi Prælati in Eccleſia Dei: ita ſoli Preſbyteri Curati ſuccedunt 72. Diſcipulis Domini, quamquam ſint multi alii Presbyteri & Diaconi. Iſtud patet originaliter ex Gloſſa Lucæ* 10. *ubi dicitur ſic*: Sicut in A-

» poſtolis præceſſit forma Epiſcoporum : ita
» in 72. Diſcipulis figura relucet minorum
» Preſbyterorum *Hoc ſecundariò claret, diſt.*
» 21. In novo, *ubi ſic dicitur :* Videntes Apo-
» ſtoli meſſem eſſe multam & operarios pau-
» cos, rogaverunt Dominum meſſis ut mittat
» operarios in meſſem. *Unde ab eis electi ſunt 72. Diſcipuli, quorum typum gerunt Preſbyteri, atque in eorum loca ſunt conſtituti in Eccleſia. De quibus Sacerdotibus hoc intelligatur, quod ibidem exprimitur in Capitulo præcedenti Decreti, ubi dicitur ſic :* Simpliciter
» verò majorum & minorum Sacerdotum
» diſcretio in Novo Teſtamento ab ipſo Chri-
» ſto ſumpſit exordium, qui 12. Apoſtolos
» tanquam majores Sacerdotes, & 72. Diſ-
» cipulos quaſi minores Sacerdotes inſtituit.
Ita quòd veri Paſtores ſunt tantùm Epiſcopi, ſed plebani ſunt Paſtores ſubſtituti ac cooperatores inſtituti. Idem dicit venerabilis Doctor Fr. Auguſtinus de Ancona in lib. de Eccleſiaſtica poteſtate, *cap.* 104 *art.* 1. *Quòd ſoli Curati, qui vocantur ſecundi ordinis Preſbyteri ſuccedunt 72. Diſcipulis Domini : non quò ſit per omnia ſimilitudo, ſed inter multas differentias quatuor reperio eorum convenientias. Prima eſt in poteſtate dominii ; acceperunt enim Diſcipuli à Chriſto poteſtatis dominium, quando dictum eſt eis Lucæ 10.* Ecce dedi
» vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes &
» ſcorpiones & ſuper omnem virtutem ini-
mici,

» mici, & nihil vobis nocebit. *Ac ſi diceret: Dedi vobis poteſtatem ejiciendi omne genus immundorum ſpirituum ab obſeſſis corporibus, & hoc ne putaretur eſſe dictum de beſtiis, ut exponit beatus Chryſoſtomus. Illud autem repræſentant Preſbyteri Curati in Sacramentorum adminiſtratione, ubi & per quæ Dæmones ſeu ſerpentes, id eſt peccata expelluntur à pœnitentibus. Secunda, in adminiſtrationis officio, quod 72. Diſcipuli acceperunt quando* » *dictum eſt eis*: In quamcumque domum » intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui. *Quia enim bonorum omnium pàx mater eſt, ſine qua cetera inania ſunt, ideo Chriſtus miſit Diſcipulos pacem primò offerre, tamquam bonorum omnium initium, quorum miniſtros eos faciebat, ut dicit beatus Chryſoſtomus. Hoc autem repræſentant Curati Preſbyteri in Evangelii ſancti prædicatione, in qua primò numeranda eſt pax, juxta illud ad Rom.* 10. » Quàm ſpecioſi pedes Evangelizantium pa- » cem, Evangelizantium bona. *Tertia, in caritatis vinculo quod 72. Diſcipuli receperunt, quando bini miſſi ſunt in omnem civitatem & locum, in ſignum quòd qui Caritatem Dei & proximi non habent, officium prædicationis nullatenus aſſumere debent, ut beatus Gregorius exponit. Illud totum repræſentant Preſbyteri in plebis curæ receptione, pro qua ipſorum animam & vitam propriam tenentur exponere. Vltima, in honoris præconio, quod 72,*

Diſcipuli receperunt, dum reverſi cum gau-
» *dio dixerunt Luc. 10.* Domine etiam Dæ-
»monia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo. *Vbi*
» *dicit Gloſſa*: Gaudebant enim quòd quaſi
» ſublimes effecti, terribiles dæmonibus & hominibus erant. *Hoc autem repræſentant Presbyteri in ſubditorum juriſdictione, à quibus, ſi bene præſunt eis*, digni duplici honore *debent haberi, ut dicit Apoſtolus 1. ad Timoth. 5. Repræſentant ergo Diſcipulos Chriſti Domini ſacerdotes hoc modo, quamvis etiam ſit diſſimilitudo: quia iſti non poſſunt facere miracula, ſicut illi; nec habent determinatas Parochias, ſicut iſti: ſed prædicabant in omni* loco quo erat Chriſtus venturus. *Luc. 10.*

Ex Ægidio Carlierio Pariſienſi Theologo & Cameracenſis Eccleſiæ Decano, qui anno 1448. Vicariorum Tornacenſis Epiſcopi rogatur, cujuſdam Franciſcani concionis articulos quinque confutans, poſtquam articulum 3. ita retulit: *Quod Cordigeri & omnes Mendicantes meliùs poſſent audire confeſſiones hominum, quàm Curati; Nam poteſtatem quam Curati habent, tantùm habent ab Epiſcopo, & ipſi habent poteſtatem à Papa*: hæc habet: *Tertius articulus eſt erroneus, malè ſapiens in fide, puta contra divinam Scripturam Luc. 10. contra ordinem Hierarchicũ Eccleſiæ. Quia ſicut Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi, ſic 72. Diſcipulis Sacerdotes Curati. Vnde ſicut ſtatus Epiſcoporum à Chriſto eſt inſtitutus in Apo-*

ſtolis, ſic & Curatorum in 72. Diſcipulis.

Ex Gabriele Biel Tubingenſi Gymnaſiarcha in Canonem Miſſæ, Lect. 3. lit. G. *horum* Apoſtolorum & 72. Diſcipulorum *typum & figuram gerunt modò in Eccleſia Epiſcopi & Curati; Apoſtolorum, Epiſcopi: 72. Diſcipulorum, Curati ut in Canone* In novo, 21. *Diſt.*

Ex Johanne Majore Pariſienſi Theologo, quæſt. 3. in Diſtinctionem 24. lib. 4. Sententiarum: *Reliquos Apoſtolos Epiſcopos factos à Chriſto diximus poſt Reſurrectionem, & per conſequens tam Epiſcopi quàm Curati ſunt de jure divino, quemadmodum Romanus Pontifex; nec aliquis purus homo poteſt illud jus & illas poteſtates tollere ab Eccleſia, pluſquam ſummum Pontificatum; licèt Petrus Paludanus & de Turrecremata teneant oppoſitum. Sed hoc quod ipſi tenent cenſuit in fide hæreſim Facultas noſtra, & hoc idem aliis rationibus munivimus.*

Denique ex Cenſura Facultatis Theologiæ Pariſienſis, diebus 24. & 25. Maii an. 1664. evulgata in librum Jacobi Vernantii Metis editum an. 1658. Recenſitis enim ex eo libro propoſitionibus ſex de iis ita pronunciat: *hæ ſex propoſitiones, quatenus aſſerunt* » *vel inferunt*, Poteſtatem juriſdictionis Cu- » ratorum non eſſe immediatè à Chriſto, » quantùm ad inſtitutionem primariam, *falſæ ſunt, & decretis ſacræ Facultatis contraria; ſalva ſemper immediata Epiſcoporum in*

PRÆLATOS MINORES *ſeu Curatos & plebem ſubditam auctoritate.*

Itaque cùm Parœci alium à Chriſto Domino inſtitutionis ſuæ auctorem non agnoſcant, neceſſariò conficitur eorum auctoritatem fixam eſſe, ſtatam & permanentem, nec poſſe, quamvis Papali & Epiſcopali ſubjectam coram Papa aut Epiſcopis, ac multo minus coram Archidiaconis extingui delerive, ut Johannes Gerſonius & Johannes Major in citatis mox locis conteſtantur. *Sequitur* (inquit Gerſonius in Sermone contra Bullam Mendicantium) *quòd de ordinatione eſſentiali & ſtabili ſanctæ Eccleſiæ æquè bene eſt ſtatus Curatorum, ſicut ille Prælatorum, Cardinalium, Archiepiſcoporum, imò ſicut ſtatus ipſius Papæ, quamvis non ſit adeo perfectus. Sequitur Papam hunc ſtatum deſtruere aut annihilare non poſſe, cùm ſtatus ille non ex ſua proveniat poſitiva ordinatione, ſed ſine medio ex Dei autoritate .... ad Curatos ſpectat ex ſtatu eorum jure aut facultate concionari, in Clementinis, cap.* Dudum, paragr. Verùm ne Parœciales Eccleſiæ .... *ſequitur Papam aut alium quemvis jus hoc Curatis auferre aut impedire non debere. Et ideo nullus in Eccleſia eorum concionari debet abſque eorum facultate, quemadmodum dixit Decretalis* Super Cathedram .... *ad Curatos pertinet jus audiendi confeſſiones, aut providendi ut audiantur, & committendi, ſi Preſbyter non*

eſt, aut ſi minùs ſufficiens. Sequitur Papam aut alterum non debere auferre iſtam poteſtatem aut jus ipſis Curatis abſque eorum placito & voluntate, ſaltem expediens non eſt. Sequitur nullum Privilegiatum confeßionem audire debere in loco Parochialis Eccleſiæ abſque conſenſu & facultate Curati, ſicut etiam dicit Decretalis. Sequitur Curatos obligari ad audiendas confeſſiones ſuorum Parochianorum, aut procurare ut audiantur. Et hanc obligationem non habent Mendici & Privilegiati .... Ius prædicandi & confeſſiones audiendi eſſentialiter & principaliter ſpectat ad Prælatos & Curatos. Sequitur expediens non eſſe ut jus hoc illis auferatur aut turbetur directè, ſive indirectè, ſicut Papa aut alius nollet ſibi turbationem fieri in illo quod ad eum ſpectat. Videte hoc de omnibus Mendicantibus qui auferuntur Prælatis ſæcularibus per exemptiones, & quomodo numquam confitentur alicui niſi ſit ſui ordinis. Et tamen cupiunt audire omnium confeßiones. Apparet quod ipſi judicant & exiſtimant non eſſe bonum neque expediens, ut alii ſuas audiant confeſſiones, nec volunt alios facultatem hanc habere. Volunt ergo jus unum pro ſeipſis habere, & aliud pro vicino eorum .... Et ſi dicat aliquis Papam eos mittere, videndum eſt an ſit neceßitas. Non enim dandus eſt Curator aut Coadjutor Prælato, aut alteri, ipſo invito ſine defectu ejus aut impotentia; alio-

quin gravatur; quod non vult, aut velle non debet facere Papa fratribus ſuis Prælatis. Eadem ſentit *in Regulis Moralibus*, cap. *de Pœnitentia,* ubi ait: *Epiſcopus non minùs habet auctoritatem conſtituendi Coadjutores & Confeſſores in ſua diœceſi, quàm Curatus in ſua Parochia. Caveat tamen Epiſcopus perturbare Eccleſiaſticam Hierarchiam, tollendo directè vel indirectè poteſtatem Curatorum abſque culpa eorum, vel cauſa manifeſta.* Quo conficitur Parœcorum dignitatem longè antecellere Archidiaconali, quam in inſignioribus Chriſtiani orbis partibus omnino extinctam conſtat. Factum id in Eccleſia Romana Gregorii VII. ætate memorat Onuphrius Panuinius in *interpretatione multarũ vocum Eccleſiaſticarum, quæ obſcuræ vel barbaræ videntur. Camerarius* (inquit) *à Camera vox eſt recens inventa. Archidiaconi enim S. Romanæ Eccleſiæ, Officio Gregorii VII. Papæ tempore extincto, in ejus locum ſucceſſit Camerarius, qui quod pecuniarum Eccleſiaſticarum, quæ in Cameris conſervabantur, Curam gereret, ita appellatus eſt* Codinus quoque Curopalata in libri *de Officialibus Palatii Conſtantinopolitani, & Officiis magnæ Eccleſiæ*, cap. 17. deletum ſuo ævo in Eccleſia Conſtantinopolitana Archidiaconi munus teſtatur his vocabulis: Καὶ εἰς μὲν τὸ παλαιὸν εἶχε καὶ ἡ Ἐκκλησία Ἀρχιδιάκονον, νῦν δὲ οὐδαμῶς. Ἀλλ' ἔχει τοῦτον ὁ Κλῆρος τοῦ Βασιλέως: *Olim quidem*

Eccleſia habebat ſuum Archidiaconum, nunc verò minimè, ſed eum habet Imperatoris Clerus. Quod argumento eſt Eccleſiæ Dei non ita neceſſarios eſſe Archidiaconos, ut iis carere non poſſet citra grave Hierarchici ordinis incommodum; cùm & revera ipſos, utpote inutiles miniſtros, penitùs extirpandos ſuadeat Petrus Alliacenſis Cardinalis & Epiſcopus Cameracenſis in libello *de reformatione Eccleſiæ*, quem Patribus in Conſtantienſi Concilio congregatis an. 1415. ipſis Kalendis Novembribus obtulit, conſideratione 5. quæ eſt, *de reformatione ceterorum Eccleſiaſticorum*, in qua ſcribit: *Item quia Archidiaconi ab Eccleſia inſtituti ſunt ut ſerviant Epiſcopis, ut habetur originaliter Actuum 6. & ſpecialiùs declarantur eorū Officia 93. diſtinctione, quaſi per totum, ideo providendum erit ut debita officia exerceant: vel, cùm ſint Eccleſiæ oneroſi, penitùs extirpentur, ſicut ſupra de chorepiſcopis dictum eſt.* Unde conſtantem, firmam & ſtabilem non eſſe conſtat Archidiaconorum auctoritatem, ſed temporariam, mobilem ac volaticam dumtaxat, utpote quæ tolli omnino valeat, & qua uti extra viſitationum ſuarum curſum non licet.

Quare ergo in lubrico illo viſitationum ſuarum curſu Parœcos, multis titulis ſe majores illuſtrioréſque, ſic infra ſe ducunt, ut Stola exuant injurioſè, quæ ornamentum eſt ipſorum muneri maximè conveniens; & ſine qua

nullum, aut ferè nullum Parœciale officium in Eccleſia obire poſſint, ſi ſuam Canonibus ſacris & Eccleſiaſticis inſtitutis ſalvam eſſe velint reverentiam? Siccine divinum Chriſti Sacerdotium in Sacerdotibus honorant, quos vel ab Epiſcopis honorandos ita docet S. Hieronymus in Epiſt. ad Nepotianum, *de vita Clericorum & Sacerdotum: Illud dico quòd Epiſcopi ſacerdotes ſe eſſe noverint, non Dominos: honorent Clericos, quaſi Clericos, ut & ipſis à Clericis, quaſi Epiſcopis, honor deferatur. Scitum illud eſt Oratoris Domitii:* » Cur ego te, *inquit*, habeam ut principem, » cùm tu me non habeas ut Senatorem? *Quod Aaron & filios ejus, hoc Epiſcopum & Presbyteros eſſe noverimus: Vnus Dominus, unum templum, unum ſit etiam miniſterium. Recordemur ſemper quid Apoſtolus Petrus præci- » piat Sacerdotibus* [a]: Paſcite eum, qui in vo- » bis eſt, gregem Domini, providentes non » coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum: ne- » que turpis lucri gratia, ſed voluntariè; neque » ut dominantes in Clerum, ſed forma facti » gregis ex animo: ut cùm apparuerit Prin- » ceps Paſtorum, percipiatis immarceſſibilem » gloriæ coronam. Hæc verba ſi concoquere poſſint, devorent Archidiaconi honoris & auctoritatis plus æquo ſibi arrogantes; nec mirentur ſe aliquando à Parœcis in honore magno non eſſe, quos & ipſi magno non habent in pretio.

[a] 1. Petr. 5.

CAP.

CAPUT XX.

Quamvis Stola juriſdictionis ſignum diceretur, non ideo tamen eſſet à Parœcis in Archidiaconorum viſitationibus deponenda. Nam neque deponitur à Preſbyteris ſacramenta aut ſacramentalia exhibentibus, coram Romano Pontifice, Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Metropolis ac Epiſcopis; neque à Diaconis dum iiſdem Pontificibus miniſtrant in ſolemni ſacro. Stolati ſacerdotes, ſi ſacra non faciant, Euchariſtiam à quibuſlibet Preſbyteris, etiam Eccleſiarum Præfectis, accipere debent ſemper, maximè verò in communione generali feria quinta in Cœna Domini, & in morbis quibus laborant. Non ergo dolendum Archidiaconis ſi Parœci eorum viſitationibus Stolati interſint.

JAM verò ut fatear Stolam, dum à Parœcis in Archidiaconorum viſitationibus fertur, certiſſimum eſſe juriſdictionis ſignum, ac Parœcos omni ex parte Archidiaconis ſubjici: Num idcirco Archidiaconis ita præcipientibus, eâ ſpoliandi ſunt, quòd ipſis ſint ſuperiores Archidiaconi? Atqui Parœcos & Presbyteros, ac etiam Diaconos, in ſuperiorum ſibi Pontificum ſeu Sacerdotum oculis Stolatos eſſe poſſe ac debere, multis argumentis ex uſu

Eccleſiaſtico de Stola repetitis, promptum eſt demonſtrare.

I°. Enim quia Romano Pontifice, Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitis & Epiſcopis inferiores ſunt Parœci: an idcirco eorum in cōſpectu neque poterunt ſacrum facere, neque baptizare, neque Euchariſtiam fideli populo diſtribuere, neque ſacram habere concionem, neque ſponſalia aut matrimonium celebrare, neque Chriſtianorum corpora humare, neque cineribus, aut ramis, aut aquæ, aut pani, aut mulieri poſt partum, aut alteri cuipiam rei benedicere, neque poſtremò quidlibet aliud agere ad quod neceſſariò requiritur Stola? At contrariam in partem quotidie fieri videmus in Eccleſia.

II°. Si res ita ſe haberet, Preſbyteris abiicienda eſſet Stola quoties Euchariſtiæ ſacramentum Eccleſiæ Pontificibus, aliiſque quibuſlibet ſibi præpoſitis, neceſſe haberent conferre; quod tamen ab iis ſine Stola conferendum non eſſe omnium Eccleſiarum Rituales libri omnes conteſtantur.

III°. Nemini Chriſtianorum latet ſive Parœcos, ſive Preſbyteros, ſive Diaconos, qui ſeu Romano Pontifici, ſeu Cardinalibus, ſeu Patriarchis, ſeu Primatibus, ſeu Metropolitis, ſeu Epiſcopis, ſeu demum aliis quibuſcumque Eccleſiarum quarumcumque Præfectis, in ſolemnibus ſacris miniſtrant, Stolatos eſſe ac Stolatis miniſtrare. Nam exempli causâ

Pontifice ſacrũ chriſma die Cœnæ Dominicæ conficienti, adeſſe debent Presbyteri duodecim & ſeptem Diaconi, congruentes ordinibus ſuis veſtes, atque ideo Stolas induti, ex Romani Pontificalis præſcripto; Et Avarici Biturigum ſexdecim Urbis Parœci unâ cum novem Archidiaconis, Archiepiſcopo Patriarchæ Bituricenſi ſolemnem hanc cœremoniam frequentanti aſſiſtunt. Parœcis autem, Presbyteris ſeu Diaconis coram Stolatis ejuſmodi Præſulibus & Archidiaconis Stolam geſtare ſi liceat, cur eamdem Parœcis coram Stolatis & viſitantibus Archidiaconis geſtare nequaquam licebit? Diaconos ſuo tunc officio fungi, ſicut & Paræcos ac Presbyteros dum Eccleſiæ ſacramenta tractant ac ſacramentalia, fortaſſe dicent Archidiaconi. Sed numquid etiam in Archidiaconorum viſitationibus Parœci ſuo funguntur officio? Numquid Archidiaconorum viſitationibus ex debito ſubiiciuntur? Numquid ubi ſupplicum libellorum Magiſter aliquis vel rei judiciariæ Pręfectus in fori Præſidialis tribunali ſedet, illius fori judices juriſdictione ſua carent, aut juriſdictionis ſuæ inſignia abiiciunt? Numquid ubi provincię preſes aut Adminiſtrator aliquis urbem ſuæ provinciæ luſtrat, illius urbis Rector ac Gubernator enſem diſcingit vel deponit? Variis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis conſtat Apoſtolicæ Sedis Legatos, aut etiam judices quoſdam à Romanis Pontificibus delegatos, quan-

tumvis Diaconos vel Subdiaconos tantùm ſuis ipſorum facultatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis fuiſſe præpoſitos; at Archiepiſcopos & Epiſcopos quoque conſtat in eorum oculis Pontificalia indumenta, dignitatiſque ſuæ inſignia non exuiſſe. Quid igitur cauſæ eſt cur Stolam, *per quam Sacerdotij declarantur inſignia*, ut in Concilio Romano 7. an. 865. loquitur Nicolaus 1. Epiſt. *ad univerſos Galliæ Epiſcopos*, non induant Parœci in Archidiaconorum viſitantium conſpectu?

IV°. Sacerdotes, cujuſcumque ordinis & dignitatis fuerint, ſacra ſi non faciant, & Euchariſtiam velint percipere, Stola inſignitos eſſe oportet. Illud enim & communis Eccleſiæ uſus poſtulat, & cap. *Eccleſiaſtica*, Diſt. 23. propoſitâ excommunicationis pœnâ ſic ſtatuit: *Eccleſiaſtica & antiqua inſtitutione præfixum novimus, ut omnis ſacerdos cùm ordinatur, orario utroque humero ambiatur: ſcilicet ut qui imperturbatus præcipitur conſiſtere inter proſpera & adverſa, virtutum ſemper ornamento, utroque circumſeptus appareat humero. Qua ergo ratione tempore ſacrificii non aſſumit, quod ſe in ſacramento accepiſſe non dubitat? Proinde modis omnibus convenit ut quod quiſque percepit in conſecratione honoris, hoc retineat & in oblatione, vel perceptione ſuæ ſalutis; ſcilicet ut cùm Sacerdos ad ſolemnia miſſarum accedit, aut per ſe Deo ſacrificium oblaturus, aut ſa-*

cramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat, quàm orario utroque humero circumſeptus, ſicut & tempore ordinationis ſuæ dignoſcitur conſecratus; ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, ſignum in ſuo pectore præparet crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ ſubjaceat.

Eadem ſentiunt Angelus de Clavaſio, Silveſter Prieras, & Johannes de Tabia, in Summis, V. *Sacerdos*, his vocibus: *Vtrum Sacerdos volens recipere Euchariſtiæ ſacramentum, putà quia infirmus, vel aliàs impeditus à celebratione, debeat habere orarium ſive Stolam? Reſpondeo quòd ſic, circa collum & ſuper utrumque humerum, quòd ſignum Crucis præparet in ſuo pectore: ſic etiam quando vult celebrare, 23. Diſt.* Eccleſiaſtica.

Gabriel Biel Lect. 11. in Canonem Miſſæ, lit. B. *Congruit ut unuſquiſque, quod percepit in conſecratione honoris, hoc retineat etiam in oblatione, ſeu perceptione ſuæ ſalutis, ut habetur 23. Diſt.* Eccleſiaſtica: *Vbi ſuadetur quòd Sacerdos etiam ſolùm per ſe offerens, aut ſacramentum percipiens, ut in infirmitate ſecundum Gloſſam, non aliter quàm orario, ideſt Stola, utroque humero circumſeptus accedat, ſicut tempore ordinationis ſuæ dignoſcitur conſecratus.*

Johannes Jacobs Brugenſis Eccleſiæ Canonicus in *Compendio Cæremoniarum in celebratione divinorum officiorum obſervandarum*, cap. 5. num. 3. *Sacerdotes non indu'i paramentis, volentes accipere communionem de manu celebrantis, debent habere Stolam à collo pendentem, ſupra habitum quo in choro u'untur.*

Martinus Bonacina Theologiæ & utriuſque Juris Doctor, Tom. 1. Diſput. 4. quæſt. 6. punct. 2. num. 1. & 2. *Verùm circa Sacerdotes advertendum eſt eos, quoties communicant, teneri ex præcepto Concilii Bracarenſis induere Stolam in modum crucis ad pectus, ſub pœna excommunicationis, cap.* Eccleſiaſtica, *Diſt.* 23.

Bartholomæus Gavantus *Commentariis in Rubricas Miſſalis Romani*, part. 2. Tit 10. num. 9. *Sacerdotes cum Stola de collo pendente communicent, ex Concilio Bracarenſi 3. cañ. 3.* Et in *Manuali Epiſcoporum*, V. *Eucbariſtia*, num. 34. *Sacerdotibus* communio detur *addita Stola in modum crucis.*

Michael Baldricus in *Manuali Sacrarum Cœremoniarum*, part. 3. cap. 11. art. 10. *De communione generali vel particulari in Miſſa ſolemni*, num. 7. *Si qui Prælati inferiores Epiſcopo, ſacerdotali tamen charactere inſigniti, ſint communicandi, aut alii etiam Sacerdotes, accedunt poſt miniſtros ſacros cum habitu chorali & Stola de collo pendente.*

Cæremoniale ſeu Rituale Fulientinum an. 1637. Pariſiis editum, lib. 2. cap. 24. parag. 1. *De communione quæ fit extra miſſam*, num. 5. *Sacerdotes cum Stola à collo pendente communicent.* Et parag. 3. *De communione intra miſſam ſolemnem facienda*, num. 8. *Quòd ſi Prælati aliqui, Epiſcopo inferiores, vel alij ſacerdotes ſint communicandi, poſt miniſtros ſacros accedant cum Stola à collo pendente.*

Cæremoniale Eccleſiaſticum ad uſum Fratrum Minorum, part. 2. cap. 27. *De communione generali*, parag. 12. *Si qui ſacerdotes communicent, Stola utentur de collo pendente, coloris, quantum fieri poterit, tempori convenientis.*

Eundem ritum obſervare eſt in pleriſque Ritualibus libris, ut Romano, Pauli 5. Carnotenſi, Leonorij Stampenſis Carnotenſis Epiſcopi, Maclovienſi Guillelmi Gubernatoris Maclovienſis Epiſcopi, & aliis in *Ordine miniſtrandi ſacram communionem*, ubi habent: *Sacerdotes cum Stola communicent.*

Neque profectò alia mens fuit Gallicanæ Eccleſiæ Præſulibus, cùm in actis Conventus ſui ann. 1614. & 1615. pag. 38. conſtitutum ab iis eſt, ut *Prælati ſacro intereſſent & communionem laicam inſtituerent cum veſtibus violaceis, rochetis, camalibus & Stolis; alii minimè Prælati cum ſuperpelliceis, aut roche-*

tis & mantellis, pro ſua quiſque dignitate; Preſbyteri verò cum Stolis. [a]

Atque hæc univerſim dicta ſint de Stola à ſacerdotibus communionem ſacram percipientibus geſtanda. Nunc ad peculiares duas occaſiones deſcendo in quibus idem ab ipſis præſtandum Miſſales & Rituales libri decreverunt: nimirum in communione generali quæ fit in die Cœnæ Domini, & in communione Pontificum ſeu ſacerdotum infirmorum.

Et quidem in die Cœnæ Domini à Presbyteris omnibus Stolatis de ſacrum celebrantis manu accipiendam eſſe Euchariſtiam ſic tradit Cæremoniale Epiſcoporum in lib. 2. cap. 23. *Antequam ſe purificet Epiſcopus communicat primùm Diaconum & Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, & alios ſacerdotes de Eccleſia, qui Stolam à collo pendentem ſuper cottam habere debent.*

Sic Bartholomæus Gavantus *Commentariis in Rubricas Miſſalis Romani*, part. 4. Tit. 8. *De Feria 5. in Cœna Domini*, num. 7. *Sacra Rituum Congregatio 27. Septembris 1608 Communionem Cleri jubet in hac miſſa, in memoriam quòd Chriſtus communicavit Apoſtolos; Et hoc eſt ſervandum. Communicent autem Preſbyteri cum Stola de collo pen-*

[a] Que Meſſieurs les Prelats aſſiſteroient à la meſſe & feroient la communion laïque avec habits violets, rochet & camail & eſtoles; les autres non Prelats avec ſurplis, ou rochets & mantelets, ſuivant leurs qualitez; & les Preſtres avec eſtoles.

dente, ex Concilio Bracarenſi 3. can 3.

Sic Michael Baldricus in Manuali ſacrarum Cæremoniarum, part. 4. cap. 9. art. 2. num. 9. *Cùm Sacerdotes omnes, ſive Dignitates, ſive Canonici non debeant celebrare, ſed communionem accipere de manu celebrantis, juxta morem univerſalis Eccleſiæ, in memoriam quod Chriſtus Dominus hac die manu propria Apoſtolos communicavit, ex ſacra Congregatione Rituum 27. Septemb. 1608. Ideo cantato* Agnus Dei *accedunt ad altare & alii de choro, incipiendo à dignioribus, ibique manent exſpectantes communionem: & Stolas capiunt ſacerdotes albas à collo pendentes ſi cotta tantùm utantur: vel tranſverſas ante pectus, ſi albis ſint parati*; Et num. 10. *Tum celebrans communicat primò Diaconum & Subdiaconum paratos, deinde Sacerdotes cum Stola, & alios ſecundum ordinem Dignitatis.*

Sic Cæremoniale Monaſticum juſſu & auctoritate Capituli generalis Congregationis S. Mauri, Ordinis S. Benedicti editum, lib. 4. cap. 8. parag. 2. num. 9. *Facta confeſſione accedet Diaconus & Subdiaconus ante omnes alios communicaturi; quos ſequentur Cantores pluvialibus parati, deſuper etiam Stola pendente, ſi ſint ſacerdotes; tum Acolythi albis induti; deinde ſuccedent ſacerdotes qui Stolas collo imponent, quando ad altare pervenerint, ac eas hinc inde pendentes*

gerent, non verò tranſverſas ante pectus, quia non ſunt in albis.

Sic Cæremoniale Romanum ad uſum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, Congregationis Gallicanæ, juſſu & auctoritate Capituli generalis evulgatum, 4. part. cap. 9. parag. 1. num. 13. *Deinde celebrans communicat primò Diaconum & Subdiaconum, poſtea omnes ſacerdotes de Eccleſia, qui Stolam à collo pendentem habere debent.*

Sic Cæremoniale Fulientinum lib. 4. cap. 12. parag. 1. num. 7. *Poſthac fit generalis communio .... Ad eam omnes accedunt, primò Diaconus & Subdiaconus ſoli, etiamſi adſint alii Congregationis Prælati, deinde ſacerdotes cum Stola hinc inde à collo pendente, & non in modum Crucis poſita.*

Sic Cæremoniale Eccleſiaſticum ad uſum FF. Minorum, part. 3. cap. 7. parag. 2. num. 6. *Facta confeſſione accedunt* Diaconus & Subdiaconus *ante omnes alios communicaturi, quos ſequuntur Cantores pluvialibus parati, deſuper etiam Stola pendente, ſi ſint ſacerdotes; tum Acolythi albis induti; deinde ſuccedunt ſacerdotes, qui Stolas collo imponunt.*

Sic *Compendium variarum Rubricarum ex Decretis, Conciliis, gravibuſque auctoribus depromptum, &* Sacerdotibus Seminarii S. Nicolai Carduelini Pariſienſis dicatum:

Clerici omnes feria 5. in Cœna Domini, Euchariſtiam accipere debent, Preſbyteri Stolis induti. [a]

Sic denique Claudius à Cruce in *Perfecto Clerico*, 3. part. cap. 1. Tit. *De miſſis & multis aliis ritibus*, num. 10. *Clerici omnes Euchariſtiam recipere debent feria 5. in Cœna Domini, Preſbyteri ſuperpelliceo & Stola alba veſtiti.* [b]

Poſtremò Epiſcopos ac ſacerdotes ubi divina Euchariſtia in ægritudine donantur, Stolatos eſſe debere vulgò receptum videmus.

De Epiſcopis liquet illud ex Cæremonialis Epiſcoporum lib. 2. cap. 38. his vocabulis: *Epiſcopus ægrotans cùm extremum diem ſuum appropinquare cognoverit, primò peccata ſua Confeſſario diligentiſſimè confiteatur; deinde tempore congruo ſacrum petat viaticum, & antequàm communicet, indutus rocheto & Stola, præſente ſanctiſſimo Chriſti corpore profiteatur Catholicam fidem* &c.

De ſacerdotibus verò idem teſtatur Rituale Romanum Pauli 5. Tit. *Ritus conferendi ſacerdotibus infirmis ſacram Euchariſtiam:* ubi habet: *Sacerdos ſumpturus ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum, paretur ſuperpelliceo & Stola à collo pendente.*

Rituale Sagienſe Jacobi Camuſii Pontcar-

a Tous les Eccleſiaſtiques communient le Jeudy Saint, les Preſtres avec l'eſtole.

b Tous les Eccleſiaſtiques doivent communier le Jeudy Saint, les Preſtres en ſurplis avec l'eſtole blanche.

ræi Epiſcopi Sagienſis an. 1634. Tit. *Ritus conferendi ſacerdotibus infirmis ſacram Euchariſtiam*, in quo legas: *Sacerdos ſumpturus ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum paretur ſuperpelliceo & Stola à collo pendente.* Et Tit. *Ritus conferendi Euchariſtiam Diacono & Subdiacono infirmis*, idem de Diaconis ita teſtatur: *Diaconus communicaturus induatur ſuperpelliceo, paretурque ei Stola ad humero ſiniſtro ad latus dextrum.*

Andreas Piſcara Caſtaldus Neapolitanus Congregationis Clericorum Regularium Preſbyter in *Praxi Caremoniarum*, lib. 2. ſect. 14. cap. 8. *de communione infirmorum*, num. 7. *Si infirmus ſit Clericus, ubi commodè fieri poteſt, ſuperpelliceo induatur, & ſi fuerit ſacerdos, etiam Stolam habeat ab humero pendentem.*

Claudius à Cruce in *Perfecto Clerico*. part. 4. cap. 9. art. 2. ubi agit *de Presbyteri infirmi communione.* [a] Presbyter, *modo per morbum liceat, veſtietur ſuperpelliceo mundo rite extenſo ſupra cubili, & Stola alba pretioſa in modum crucis compoſita, aut, ex aliquot diœceſeon more, Stola rubra.* Et art. 3. *Nota conferendum Diaconis infirmis Viati-*

[a] Si la maladie le peut permettre il faudra luy mettre ſon ſurplis blanc étendu ſur ſon lit bien proprement avec une riche etole blanche, que l'on met en forme de Croix, ou, ſelon l'uſage de quelques Dioceſes on s'en ſert de rouge. Notez que la Communion en Viatique aux Diacres ſe doit faire comme aux Preſtres. On leur doit mettre l'étole blanche ſur le col, & par deſſous le bras gauche.

cum, ut Presbyteris. Alba Stola imponenda eſt eorum collo & infra ſiniſtrum brachium demittenda.

Cæremoniale Pariſienſe à Martino Soneto Presbytero editum part. 4. cap. 10. num. 6. Infirmus *induatur ſuperpelliceo, & Stola rubei coloris appendatur collo ejus & componatur ad inſtar crucis ante pectus, ut in celebratione miſſæ.*

Cæremoniale Monaſticum Congregationis S. Mauri, lib. 3. cap. 15. parag. 4. num 2. *Si infirmus ſit Clericus, ſeu choro deputatus, parabitur cuculla, vel etiam Stola alba, ſi fuerit ſacerdos: niſi fortè non poſſet infirmus indui ſine incommodo: tunc enim cuculla non induetur. Attamen Stola circumponetur ſuper collo ſacerdotis.*

Et Cæremoniale Eccleſiaſticum ad uſum Fratrum Minorum, part. 2. cap. 27. parag. 4. num. 2. *Infirmus interim, ſi poſſit ſine notabili incommodo, de lecto exibit, & habitu Religionis indutus prope lectum genuflectet. Si fuerit ſacerdos Sola alba collo ipſius circumponetur.*

Ex his autem omnibus colligere eſt, cùm & Stolati Epiſcopi Stolatis ſacerdotibus atque etiam aliquando juriſdictione nulla gaudentibus, Euchariſtiam diſtribuant, & Stolati ſacerdotes eam Stolatis Epiſcopis erogent, nihil eſſe cur Presbyteri, quantumvis ordine juxta atque dignitate inferiores, coram ſibi

præpoſitis, qualeſcumque tandem illi ſint, Stolam non geſtent; Atque ideo non eſſe cur Archidiaconis doleat, ſi ea exornati in ipſorum viſitationibus compareant Parœci.

CAPUT XXI.

Minores Presbyteri coram majoribus Stolam geſtant, ut Cardinales atque etiam Monachi coram Romano Pontifice, & alii ſacerdotes coram Eccleſiarum quibus addicti ſunt Patriarchis, Primatibus, Metropolitis, Epiſcopis, aliiſque Præpoſitis; Quod pluribus exemplis demonſtratur. Quare nihil eſt cur eam in Archidiaconorum viſitationibus non ferant Parœci.

VERUM alia tempora, aliæque occaſiones ſunt in quibus Presbyteri minores coram majoribus, veluti Romano Pontifice, Epiſcopis, ac ceteris Eccleſiarum præfectis, Stolam habent è collo pendentem. De Epiſcopis dicam in ſequenti capite. De ceteris Eccleſiarum præfectis modò diſſerendum eſt, ac primùm de Romano Pontifice.

Coram eo Stolatus ſit neceſſe eſt Prior Epiſcopus Cardinalis, ſive alius quiſpiam à quo coronatur & conſecratur: cùm ante auguſtum ejuſmodi ritum Chriſtophorus Marcellus Corcyrenſis Archiepiſcopus in lib. 1.

Sacrarum Cæremoniarum, ſect. 2. cap. 3. teſtetur ipſum *capere ſandalia & paramenta omnia Pontificalia, ac ſi celebraturus eſſet.*

Eumdem quoque priorem Epiſcopum Cardinalem, & priorem Presbyterum Cardinalem, in Imperatricis coronatione, Stolatos eſſe in facie ſummi Pontificis ita memorat idem ſcriptor in lib. 1. ſect. 5. cap. 6. *Pontifex ſtat, ubi ſolet capere paramenta..... Interim duo juniores Diaconi Cardinales cum ſuis cappis laneis ducunt Auguſtam ad Eccleſiam, & prior Epiſcopus Cardinalis cum pluviali, Stola & mitra, accedens in tempore exſpectat eam in porta Eccleſiæ principali..... ducitur deinde ad confeſſionem beati Petri..... Litaniâ finitâ prior Epiſcoporum Cardinalium cum ſuis paramentis* (quorum eſt utique *Stola*) *ad Confeſſionem deſcendens ſine mitra, dicit ſuper eam* Pater noſter *&c.*

Scribit præterea in lib. 2. ſect. 1. cap. 29. celebraturum miſſam die Cinerum Cardinalem, Romani Pontificis capiti cineres Stolatum imponere. *Celebraturus Cardinalis* (inquit) *jam omnibus ornamentis ſacris* (ideoque Stola) *pro miſſa dicenda indutus... accedit ad Papam* (quem ferè initio capitis Stolatum eſſe ait) *& ſine mitra ſolus detecto capite, facta Papæ reverentia, ſtans coram eo ſupra ſcabellum, nihil dicens imponit Papæ ſedenti Cineres ſupra caput in formam crucis.*

Denique in ejuſdem ſectionis cap. 47. narrat *conſueviſſe Romanos Pontifices die* Cœnæ Dominicæ *conficere ſanctum chriſma & oleum ſanctum & Catechumenorum in primo anno Pontificatus*. In ea autem ſancti chriſmatis, olei ſancti ac Catechumenorum confectione, duodecim Presbyteros & ſeptem Diaconos, convenientibus ordini ſuo ornamentis veſtitos Pontifici adeſſe ſtatuit Pontificale Romanum, ſicut in capite proximè ſequenti referemus.

Atqui ſi Cardinales Stolati ſummo Pontifici Stolato ſiſtunt ſe; Stolati Parœci Stolatis Archidiaconis in eorum viſitationibus cur ſe non ſiſtent, cùm Papalis dignitas Cardinalitiæ lõgè magis præſtet, quã Parœciali Archidiaconalis antecellit, vel apud ipſos Archidiaconos.

Sed non modò Cardinales, verùm etiam Monachos in oculis Romani Pontificis Stolatos eſſe poſſe indicant ea quæ referuntur ab Angelo Roccha Camerte, Apoſtolici Sacrarii Cuſtode, ſub Clemente VIII. in 3. parte Cõmentarii *de ſacro-ſancto Chriſti corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus preferendo*, pag. 77. Ait enim Clementem VIII. anno 1598. die 7. Maii, antequam Ferrariam ingrederetur, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſia S. Georgii adoraſſe, ibique oraſſe aliquantulùm: *Peracta* autem ejus *oratione* (inquit) *arcula ſanctiſſimi Sacramenti à quatuor S. Georgii Cœnobitis ſeu Monachis Stola inſignitis, ad Eccleſia uſque val-*

v,is

vas, ubi aſturco foris paratus erat, delata fuit. Sequebantur deinde Romanus Pontifex *Stola indutus*, quem Cardinales 28. ac multi Epiſcopi comitabantur. Non alia autem ferendæ in conſpectu Clementis VIII. Stolæ ratio fuit quatuor illis S. Georgii Mònachis, niſi quia *arculam ſanctiſſimi Sacramenti deferebant*, ideóque aliquod munus Eccleſiaſticum peragebant. Eadem ex cauſa Stolam ſibi in Archidiaconorum viſitationibus geſtandam profitentur Parœci, quia in ejuſmodi viſitationibus Eccleſiaſticum munus obeunt. Atque hæc de Stola coram Summo Pontifice portanda ſufficiant; nunc de ea coram majoribus Presbyteris à minoribus ferenda diſputandum eſt, Id verò pluribus oſtendi poteſt.

I. Enim ſi quando Euchariſtia ſuper altari ſuſpenſa demittenda eſt, à Stolato Sacerdote demittendam ſcribit Martinus Sonetus Presbyter in Cæremonialis Pariſienſis, part.3. cap. 21. num. 5. *In die Feſto Corporis Chriſti exponitur* SS. *Sacramentum hoc modo... Celebrans cum Stola & cappa rubra procedit ad altare.... oſculatur illud in medio, & ſtans recipit* SS. *Sacramentum quod ex ſuſpenſione deprimitur.... ab aliquo Sacerdote in Stola .... deinde idem Sacerdos in Stola elevat* SS. *Sacramentum in ciborio.* Et num. 23. *Celebrans accipit SS. Sacramentum.... ſurgit & accommodat & firmat adjuvante Sacriſta cum Stola ſuper baculum argenteum.*

Tum in 4.part.cap.9.num.21.agens de oratione ſerotina, quam ſalutem *Seu ſalutationem veſpertinã* appellat, ita loquitur: *In ſalutationibus veſpertinis de SS. Sacramento hæc ſervanda erunt. Celebrans ſuperpelliceum indutus Stola rubra & cappa ſimili ex Sacriſtia accedit ad majus altare .... oſculatur illud in medio; ſtatim exponit SS. Sacramentum in medio altaris ex ciborio ſuſpenſo (quod Sacerdos aliquis vel Sacriſta Stola ornatus deſcendit, funem decenter & paulatim laxando.* Atqui *Celebrans* Eccleſiæ, in quo ejuſmodi officia fiunt, vulgò præpoſitus eſt.

II. Sacerdoti quem *aſſiſtentem* vocant Stolam in Miſſã ſolemni coram celebrante induendam, ſcribit Johannes Jacobs Brugenſis Eccleſiæ Canonicus, in *Compendio Cæremoniarum in celebratione divinorum Officiorum obſervandarum*, cap. 19. his vocibus: *Si Celebrans habeat Capellanum aſſiſtentem, is erit Sacerdos indutus ſuperpelliceo cum Stola à collo pendente.* Idem etiam fieri aliquando poſſe ſic ſtatuit Cæremoniale Fulgentinum lib. 1. cap. 10. num. 1. *Solis Superioribus in feſtis primæ claſſis Miſſam celebrantibus, præter Diaconum & Subdiaconum, aderit Preſbyter aſſiſtens, pluviali coloris Officio convenientis ſupra ſuperpelliceum vel albam ſive Stola paratus: aut deficiente pluviali, indutus ſuperpelliceo vel alba cum Stola deſuper.*

III. Qui audiendis in Eccleſia fidelium po-

pulorum confeſſionibus vacant Sacerdotes Stolatos eſſe præcipit S. Carolus Borromæus lib. 2. *Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis*, Tit. *De Pœnitentiario ejúſque examine.* num. 12. *Epiſcopus, quò decentiùs atque adeo religioſiùs Sacramenti* Pœnitentiæ *adminiſtratio fiat, Presbyteros Confeſſarios, etiam qui alicujus Congregationis Clericorum Regularium alteriúſve Societatis Regularis ſint, ad audiendæ confeſſionis officium ne admittat, néve illam audire, etiam in ſuis Eccleſiis, ſine ſuperpelliceo & Stola patiatur.*

Præcipit *Sacerdotale ad conſuetudinem S. Romanæ Eccleſiæ aliarúmque Eccleſiarum ex Apoſtolicæ Bibliotheca ac SS. Patrum, jurium ſanctionibus & Eccleſiaſticorum Doctorum ſcriptis collectum, atque ſummorum Pontificum auctoritate multoties approbatum*, quod Venetiis an. 1579. prodiit in lucem, Tract. 3. 1. part. *De ſacramento Pœnitentiæ*, cap. 15. *Sacerdos ad Eccleſiam, vel alium locum honeſtum accedens* ad audiendas Confeſſiones, *cum ſuperpelliceo & Stola, juxta antiquos codices, ſedeat.* Ubi obſervare eſt non novum aliquem ritum proponi, ſed qui *juxta antiquos codices* ſit frequentandus.

Idem decernit Stephanus Poncherius Pariſienſis Epiſcopus in ſtatutis Synodalibus an. 1515. Tit. *de vita, modo, geſtu & habitu rerum & perſonarum Eccleſiaſticarum*, ubi ait: *Dum Confeſſiones audiunt* Religioſi, Presby-

teri, Curati & non Curati, *aut alia Sacramenta miniſtrant, ſint induti ſuperliciis, & Stola, ſuper veſte talari.*

Præcipit quoque Cardinalis Perronius Ebroicenſis Epiſcopus in *Enchiridio ſeu Manuali divinorum Officiorum ad uſum diœceſeos Ebroicenſis*, Tit. *De ſacramento Pœnitentiæ*, cap. 2. paragr. 2. num. 1. *Sacerdos indutus cotta & Stola modeſtè & decenter ſedeat in Eccleſia eo in loco in quo & ipſe & pœnitens facilè conſpici poſſint.* Præcipit & Romanum Pauli V. Rituale, ſi tamen id tempus, aut locorum ferat conſuetudo: *Superpelliceo* (inquit in *Ordine miniſtrandi ſacramentum Pœnitentiæ*) *& Stola violacei coloris utatur* Sacerdos, *prout tempus vel locorum ferret conſuetudo.* Qui autem Chriſtianorum confeſſiones excipiunt Stolati Preſbyteri, Stolam vel coram Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum præpoſitis non abjiciunt, coram quibus ejuſmodi confeſſiones excipiunt.

IV. Qui ſacras ad populum conciones habent è ſuggeſtu, ſive Sacerdotes ſint, ſive Diaconi, Stolatos eſſe ſtatuit S. Carolus Borromæus *Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis*, part. 4. in *Inſtitutione Prædicationis verbi Dei*, ubi ait: *Quod ſi Parochus, animarúmve Curator, aut alius ſacerdos, aliquando intra Miſſarum ſolemnia, quæ alter ſacerdos celebrat, aut alio tempore quàm in Miſſa, concionetur, ad ejus muneris functionem ſuperpelliceo & Stola*

utetur. Diaconus ſi quando ex facultate aut permiſſu concionatur, ſuperpelliceo etiam utetur & Stola in tranſverſum ducta. Neque verò ſi Epiſcopus interſit concioni, oratori ſacro deponenda eſt Stola. Unde in Vicariatus Pontœſiani Synodo, qui Synodalem orationem pronunciat, vel præſente Rotomagenſi Archiepiſcopo, Stolatus eſt.

V. Lutetiæ Pariſiorum in die Cinerum, celebranti Stolato, quicumque ille ſit, Stolatus ſacerdos in ſincipite cineres dat, teſte Martino Soneto in Cæremonialis Pariſienſis, part. 3. cap. 7. num. 12. *Prima Dignitas Chori poſt celebrantem, vel Vicarius in Eccleſiis Parochialibus, vel antiquior poſt Superiorem in aliis, accedit ad celebrantem, & accepta alia Stola nigri coloris à Cæremoniario, locum & vicem celebrantis ſubit. Celebrans autem ad pedes ejus flexis genibus, cum Stola ſua nigra in collo pendente, cineres ſimiliter recipit.* Idipſum Carnoti obſervandum tradit Miſſale Carnotenſe Ferdinandi Novavillæi Carnotenſis Epiſcopi, an. 1669. pag. 66. *Diſtribuuntur cineres ita ſcilicet ut dignior ex Clero in habitu chorali cum Stola imponat cinerem celebranti, ſtanti cum Stola.* Tunc ergo Sacerdos inferior coram ſuperiore Stolam geſtat.

VI. Die Dominicæ Cœnæ Sacerdos qui hoſtias conſecratas à majori Altari ad aliud portat in craſtinum ſervandas, Stolatus eſſe debet ex Manuali ſacrarum Cæremoniarum

Michaëlis Baldrici part. 4. cap. 9. art. 3. num. 24. ubi legitur : *Dum dicuntur veſperæ ſacriſta, vel alius Sacerdos cotta & Stola alba, ac velo etiam albo paratus, defert ex altari particulas reſervatas pro infirmis .... ad locum ubi poſitus fuit calix, vel alium locum honeſtum ad id paratum decenter.*

Ex Cæremonialis Monaſtici Congregationis S. Mauri, lib. 4. cap. 8. paragr. 4. num. 1. *Facta proceſſione, antequam denudentur Altaria, Sacriſta vel alius Sacerdos, aut ſi commode non poſſunt, Diaconus Miſſæ, modo ſit Sacerdos, paratus alba & Stola coloris albi tranſverſa ante pectus ... accedet ad Altare SS. Sacramenti .... & aperto tabernaculo reverenter accipiens pyxidem SS. Sacramenti deferet illam ad locum paratum in quo jam eſt calix cum SS. Sacramento.*

Ex Cæremonialis Romani ad uſum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Congregationis Gallicanæ, part. 4. cap. 9. parag. 2. num. 7. *Poſtea in choro dicuntur veſperæ ſine cantu. Interim ſacerdos indutus cotta & Stola removet particulas conſecratas de altari.... & reponit eas in ſacello prope calicem deportatum*, &c.

Ex Cæremonialis Fulientini lib. 4. cap. 12. parag. 2. num. 20. *Dum dicuntur veſperæ, ſeu iis completis, antequam altaria denudentur, Sacriſta vel alius Sacerdos ſuperpelliceo paratus cum Stola coloris albi hinc inde à collo*

pendente, aut alba & Stola tranſverſa indutus, & velo oblongo albo circa humeros appoſito .... defert ab altari pyxidcm ſacram ad locum paratum, in quo paulo ante calix cum Sacramento repoſitus fuit.

Et ex Cæremonialis Eccleſiaſtici ad uſum Fratrum Minorum, part. 3. cap. 7. paragr. 3. num. 10. *Poſtea in choro dicuntur veſperæ ſine cantu. Interim Sacerdos indutus alba & Stola alba removet particulas conſecratas de altari .... & reponit eas in capſulam prope calicem deportatum.* Dum autem id à Sacerdote Stolato peragitur, Eccleſiæ præfectus non abeſt.

VII. Ad Eccleſias *Fratrum Pœnitentium è tertio Ordine S. Franciſci, ſtrictæ Obſervantiæ*, ubi palàm expoſitum eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſi quæ *Proceſſio* (ut vocant) accedat, ei qui ejuſmodi *Proceſſioni* pręficitur Epiſcopo ſeu Sacerdoti, modò *aliqua dignitate inſignis fuerit*, cum thuribulo & incenſo Stolatus occurrit Diaconus, ut habet eorum Cæremoniale part. 3. Tit. *Feſtum Corporis Chriſti cum Proceſſione & publica ejuſdem adoratione*, his verbis: *Externa proceſſione Eccleſiam noſtram, in qua publicè expoſitum eſt auguſtiſſimum Sacramentum, ingrediente, Celebranti ejuſdem Proceſſionis incenſum cum thuribulo ab Acolytho parato præſentabitur ad incenſandum SS. Chriſti corpus. Si tamen Celebrans aliqua dignitate inſignis*

fuerit, Diaconus alba & Stola paratus, thuribulum & naviculam Thuriferario juvante ad eundem effectum ei præſentabit.

VIII. Feria 6. *in Paraſceve* apud Fratres Minores qui Paſſionem cantant Diaconi ſeu Sacerdotes, Stolati ſunt, ex illorum *Cæremonialis Eccleſiaſtici*, part. 3. cap. 8. paragr. 1. num. 5. *In Sacriſtia parabitur Crux proceſſionalis .... præterea tres Stolæ nigræ & totidem manipuli pro cantoribus Paſſionis.* Atqui Generali ac Provinciali Miniſtro & *Guardiano* (ut aiunt) præſentibus cantatur Paſſio.

IX. Eadem die frequentior populi concurſus ſi divino Officio interſit, Stolatus Sacerdos in alio quàm in majori Altari Crucem adorandam exhibet, ex Bartholomæo Gavanto, *Commentariis in Rubricas Miſſalis Romani*, part. 4. Tit. 9. num. 13. ex Michaële Baldrico, in *Manuali ſacrarum Cæremoniarum*, part. 4. cap. 10. art. 3. num. 19. & 20. ex Cæremonialis Fulientini lib. 4. cap. 13. parag. 3. num. 11. & ex Cæremonialis Eccleſiaſtici ad uſum Fratrum Minorum parte 3. cap. 8. parag. 3. num. 11. Integra ejuſmodi ſcriptorum teſtimonia dabimus inferiùs in cap. 27. Quamquam verò Eccleſiis tranſpoſiti Pontifices ſeu Sacerdotes vulgò celebrent Officium ea die, Stolati tamen coram iis Presbyteri comparent.

X. Hac ipſa die, à Stolato Presbytero hoſtiæ conſecratæ feruntur ad aliud altare quàm majus,

majus, ut habet Cæremoniale Monaſticum Congregationis S. Mauri, lib. 4. cap. 9. parag. 4. num. 23. *Dum veſpera dicuntur in choro, vel (in minori congregatione) iis finitis, Sacriſta aut Diaconus Miſſæ paratus alba, Stola & velo oblongo albi coloris. . . . reportat pyxidem cum particulis conſecratis ad aliud ſacellum, ſeu aliquem locum ſecretiorem & remotiorem*, &c. Et Cæremoniale Fulientinum 4. part. cap. 13. parag. 5. n. 12. his verbis: *Dum dicuntur veſpera, vel ſi minor ſit congregatio, iis finitis, Sacriſta aut alius Sacerdos paratus ut heſterna die, etiam cum Stola & velo oblongo albi coloris . . . . . reportat pyxidem, cum particulis conſecratis ad aliud ſacellum, ſeu locum aliquem ſecretiorem, & remotiorem cum luminibus præparatum, non autem ad altare majus.* Abeſſe autem tunc temporis Eccleſiarum Præfectos quis putet?

X. Eadem die Venetiis, & aliis in Eccleſiis quæ Romano ritu Officia divina peragunt, ſupplicationi quæ ad recondendum ſepulcro Chriſti corpus inſtituebatur, plures aderant Stolati Sacerdotes, vel corã Eccleſiarum Præpoſitis. Ita enim loquitur *Sacerdotale ad conſuetudinem S. R. E. aliarúmque Eccleſiarum ex Apoſtolica Bibliotheca ac SS. Patrum, Jurium ſanctionibus & Eccleſiaſticorum Doctorum ſcriptis collectum, atque ſummorum Pontificum auct.ritate multoties ap-*

probatum, Tit. *De Proceſſione in Feria VI. in Paraſceve ad ponendum Corpus Domini in ſepulcro: Feria 6. in Paraſceve poſt Officium Miſſæ, vel etiam poſt prandium, ordinatur ſolemnis, ſed lugubris proceſſio. Paratur enim Sacerdos omnibus paramentis, & pluviali deſuper cum Diacono & Subdiacono cum Dalmaticis nigri coloris. Parantur etiam 4. Sacerdotes vel duo ad minus induti camiſiis nigris cum amictu & cingulo ejuſdem coloris, ſi haberi poſſit, aliàs in albis. Parantur etiam duo alii Sacerdotes vel unus tantum, cum amictu, alba, cingulo, manipulo & Stola ....completo Reſponſorio duo Sacerdotes apparati cum Stolis ut ſupra, ſtantes ante Sacramentum cantent, &c.* Idem Venetiis obſervari patet ex ſequentibus ejuſdem *Sacerdotalis* vocabulis.

XI. Sabbato ſancto, completa fontis baptiſmalis benedictione, alius Sacerdos à Celebrante qui ſacra facit ea die, aſſumptâ Stolâ fidelem populum aqua benedicta aſpergit, ex eodem Cæremoniali Fulientino, lib. 4. cap. 14. parag. 4. num. 6. ubi ait: *Sacerdos hebdomadarius vel alius deſignatus, Stola ſupra ſuperpelliceum aut albam impoſita, ſpargit de ipſa aqua ſuper populum circumſtantem.* Quod & alibi quàm apud Fulienſes Monachos obſervatur, & quidem Eccleſiarum Præpoſitis inſpectantibus.

XII. Die eadem, hoſtias conſecratas quæ

Feria 5. in Cœna Domini à majori Altari ad aliud portatæ fuerant, ab eo Altari ad majus ſeu ad familiare tabernaculum reportat Stolatus Sacerdos, quemadmodum videre eſt in Manuali ſacrarum Cæremoniarum Michaëlis Baldrici part. 4. cap. 11. art. 5. num. 1. *Poſt Miſſam celebrans, vel alius paratus Stola alba . . . . reportat pyxidem ubi ſunt hoſtia conſecrata in tabernaculum ſolitum.*

In Cæremoniali Monaſtico Congregationis S. Mauri, lib. 4. cap. 10. parag. 5. num. 16. *Finita Miſſa ſolemni Sacriſta vel Diaconus, ſi ſit Sacerdos, cum alba & Stola tranſverſa, impoſito ſibi oblongo velo, reportabit ad altare majus pyxidem cum particulis conſecratis.*

In Cæremoniali Fulientino, lib. 4. cap. 14. parag. 5. num. 15. *Completa Miſſa ſolemni, Sacriſta vel alius Sacerdos . . . . refert ad Altare majus pyxidem cum particulis conſecratis.*

In Cæremoniali Eccleſiaſtico ad uſum Fratrum Minorum, part. 3. cap. 9. parag. 4. num. 11. *Finita Miſſa ſolemni, vel citiùs, Sacriſta vel alius Sacerdos indutus alba & Stola tranſverſa, impoſito ſibi velo oblongo, reportabit ad Altare majus pyxidem, cum particulis conſecratis.*

Et in Miſſali Carnotenſi an. 1669. pag. 193. *hodie Sacerdos Sacriſta, vel alius, in habitu chori, cum Stola rubri coloris, aſſiſtente ſaltem miniſtro cum luminari, portat particulas*

conſecratas ad majus Altare, poſtquàm tamen cereus Paſchalis & lampades accenſæ ſunt.

Hoc autem præſentibus Eccleſiarum Præpoſitis fieri à Stolatis Sacerdotibus quis neget ?

XIII. Ad Unctionis extremæ Sacramentum ægrotis conferendum, *Presbyteros ſeptem eſſe vocandos* Græcorum *conſuetudine traditum eſt* (inquit Simeon Theſſalonicenſis in libro de 7. Sacramentis) *nonnulli verò, ubi penuria eſt Sacerdotum, tres tantùm convocant. ... Quidam autem plures etiam quàm ſeptem convocant, ad declarandam majorem fidem, animique alacritatem.* Idipſum teſtatur Jacobus Goar in Notis *Euchologii* ſeu Ritualis Græcorum, ad *Officium Olei ſancti.* Multos etiam Preſbyteros in Eccleſia Latina ad conferendum infirmis ſupremæ unctionis Sacramentum vocatos fuiſſe, varii ſcriptores conteſtantur.

Hermoldus enim Presbyter in cap. 44. lib. 1. *Chronici Henetorum & Sclavorum* narrat *Ludolphum venerabilem Sacerdotem ætate decrepitum, vigore ſpiritus integrum, ubi ægritudine mortali decubuit, miſiſſe ad acerſendos Sacerdotes & Religioſos quoſque, & impetrato ſanctæ unctionis Officio con ueſtum eſſe*, &c. Sanctus Thomas ad finem capitis 73. lib. 4. contra Gentiles ſcribit; *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, compe-*

tere huic Sacramento ut multi Sacerdotes interſint, & ut oratio totius Eccleſiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet. Reinerus Ordinis Dominicani Theologus, qui an. 1254. florebat, contra Vvaldenſes agens, eorúmque, ſive *Pauperum de Lugduno*, errores enumerans, *Sacramentum unctionis* ab iis *reprobari* tradit, *quia tantùm divitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi neceſſarios.* Petrus Ledeſma Societatis Jeſu Presbyter, 2. p. quæſt. 33. art. 1. dub. unico, ait *de neceſſitate Sacramenti* unctionis extremæ, *ſolùm unum ſufficere, ſed ex decentia debere eſſe plures Sacerdotes; & ita habere conſuetudinem Eccleſiæ univerſalis, quòd plures Sacerdotes conveniant ad miniſtrandum hoc Sacramentum; & in hac ſententia eſſe Gloſſam in cap.* Quæſivit, *De Verborum ſignificatione.* Nicolaus Serrarius ejuſdem Societatis ſcriptor in Opuſculorum tomo 2. Opuſc. *De extrema unctione* cap. 4. *Fuiſſe quibuſdam in locis eam conſuetudinem* teſtatur, *ut ad ægrotorum unctionem ſeptem Sacerdotes accederent, & totos ſeptem dies pro illis obſecratio fieret.* Matthæus Galenus in *Promptuario Theologico*, Catecheſi 182. quæ eſt 4. *de extrema unctione*, docet antiquitus ad miniſtrandum Chriſtianis extremæ unctionis Sacramentum, *quamplurimos advocatos Preſbyteros; qui ſi deeſſent, adhibitos qui erant è Clericorum aliis Ordinibus; quorum ſi non fuiſſet copia, vocatos utriuſque*

ſexus religioſiſſimos quoſque, & omnium fuiſſe eundem laborem, extorquere effectum Sacramenti. Denique, ut alios omittam, Hugo Menardus Benedictinus Monachus in Notis & obſervationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorii, antiquos conferendæ unctionis extremæ ritus ex variis codicibus MSS. recenſens, *infirmos ait ungi à multis Sacerdotibus.*

Presbyteros autem illos, ſive ſeptem, ſive plures, ſive etiam pauciores, qui unâ omnes extremæ unctionis Sacramentum peragebant, veroſimiliùs eſt ſæpiſſime æqualis ordinis æqualiſque auctoritatis non exſtitiſſe, ſed eorum aliquem ceteris fuiſſe præpoſitum, putà Epiſcopum, aut alium alia quavis dignitate conſpicuum; & tamen ceteros in ejus oculis Stolatos eſſe oportebat, ut id muneris ritè obire poſſent.

XIV. In publica 40. *horarum* Oratione, qui coram SS. Euchariſtiæ Sacramento publicè expoſito precantur Sacerdotes, Stolati eſſe debent ex libro Rituali Peruſino an. 1597. Tit. *Ordo ad communicandum infirmum,* num. 5. *Cum etiam propter Orationem 40. horarum vel conſimilem cauſam, in altari Sacramentum eſt collocandum, non in calice aut pyxide, ſed in tabernaculo conſpicuo velo ſericeo cooperto ponatur, corporali mundiſſimo ei ſubſtrato: & ſi Sacerdotum copia adſit, Sacerdos aliquis ſuperpelliceo & Stola indutus ad ejus cuſtodiam continenter advigilet.* Et et

Manuali ſacrarum Cæremoniarum Michaëlis Baldrici, part. 4. cap. 16. art. 11. num. 8. in quo legas : *In Oratione publica & ſolemni indicta pro re gravi, coram SS. Sacramento, quæ dicitur* 40. horarum, *ſi Epiſcopus velit ibi orare, paretur ei genuflexorium conveniens; Presbyteri autem habeant præter cottam, Stolam albam è collo pendentem.* Ecce tibi Stolatos Presbyteros coram Epiſcopo orantes ex Baldrico.

XV. In Eccleſia Carnotenſi, *inferioris chori* (quemadmodum nominant) *Parœcus*, aliquando coram Epiſcopo Carnotenſi, vulgò autem coram Decano, Cantore, Archidiaconis & ceteris ejuſdem Eccleſiæ Canonicis, ſibi præfectis, ſolus Stolam geſtat in Capellanorum ac Cantorum exequiis. Quare autem Stolæ ab inferioris Eccleſiæ ſuæ Parœco latæ patientes erunt. Archidiaconi Carnotenſes : ejuſdem verò ab aliis aliarum Eccleſiarum Parœcis, hoc longè nobilioribus conſtantioribúſque, geſtatæ impatientes erunt?

XVI. In illis denique ſtatis ſupplicationibus quæ Quadrageſimali tempore ab Eccleſia Carnotenſi fiunt ad S. Carauni, S. Petri, S. Saturnini, S. Aniani, & alias Eccleſias, Decano, Cantori, Archidiaconis, Canonicis, totique Capitulo Carnotenſi, Evangeliorum librum deoſculandum offert unus ex ejuſdem Eccleſiarum Presbyteris Stola veſtitus. Nemo contradicit, nemo re-

luctatur, nemo de ſua auctoritate quidquam detractum putat, ne ipſe quidem Epiſcopus Carnotenſis, ſi adſit, ne Decanus, ne Cantor, ne Archidiaconi. Cur ergo ſuis in Viſitationibus, quàm iis in ſupplicationibus delicatioris ſtomachi ſunt Archidiaconi? Cur iis in ſupplicationibus Stola à Parœco, Presbytero, aut Monacho geſtata non irritantur: ſuis autem in viſitationibus irritantur? Cur eam demum in illis æquo ferunt animo, in his iniquo?

Ex his autem omnibus in aperto eſt ac propatulo minoribus Presbyteris coram majoribus ipsóque Romano Pontifice Stolam ferre licitum eſſe. Jam eamdem ipſis facultatem coram aliis Eccleſiæ Pontificibus concedi, demonſtrandum venit.

CAPUT XXII.

Coram Patriarchis, Primatibus, Metropolitis, & Epiſcopis Solati cùm ſint variis in Cæremoniis Archidiaconi, Presbyteri, & Diaconi etiam: quominus coram Archidiaconis viſitantibus Stolati quoque ſint Parœci, nihil vetat.

SANE quidem coram Patriarchis, Primatibus, Metropolitis & Epiſcopis, Stolatos ſæpius eſſe poſſe ac debere Presbyteros, his rationum ponderibus evincitur.

I. Sacri chriſmatis confectionem, ac olei Catechumenorum & infirmorum benedictionem à Pontifice unâ cum duodecim Presbyteris ſeptemque Diaconis Stolatis, ipſi ad altare aſſiſtentibus, inſtitui tradit Romanum Clementis VIII. & Urbani VIII. Pontificale, in Tit. *De officio in feria 5 Cœnæ Domini*, his vocabulis: *Hora competenti Pontifex venit ad Eccleſiam, ubi parat ſe ad miſſam omnibus Pontificalibus ornamentis pretioſis albi coloris: parant ſe etiam miniſtri Pontificis, & ultra illos duodecim Presbyteri, ſeptem Diaconi ſeptem Subdiaconi ... Quibus omnibus paratis procedunt ad altare proceſſionaliter* &c.

II. Patriarchæ, Primati, Metropolitæ, aut Epiſcopo, dum Abbati benedicit, adſunt

Abbates alij duo Stolis veſtiti, ex Romani Pontificalis præſcripto, in Tit. *De benedictione Abbatis*, ubi ait: *Adſint* Pontifici *duo Abbates aſſiſtentes, qui ſint induti ſuperpelliceo, Stola, pluviali & mitra ſimplici alba.* Et ipſe Electus Abbas, aliique duo aſſiſtentes Abbates, coram eodem Pontifice Stolam habent, quemadmodum ibidem ita notatur: *Deinde electus vadit ad capellam ſuam, in qua paratur amictu, alba, cingulo & Stola in modum Presbyteri ac pluviali; & aſſociatus medius inter duos Abbates indutos ſuperpelliceo, Stola, pluviali & mitra ſimplici.... ducitur ad Pontificem in faldiſtorio ante altare ſedentem.*

Tum in Tit. *De benedictione Abbatis auctoritate Apoſtolica*, in quo habet: *Electus vadit cum aſſiſtentibus. ... accipit crucem pectoralem & aptatur ei Stola, ut ab humeris dependeat...... Si non ſit de mitra, depoſito pluviali & retenta Stola in modum Presbyteri, accipit planetam tantùm.*

Ac demum in Tit. *De benedictione Abbatis auctoritate Ordinarij*, ubi legitur: *Pontifex accipit omnia Pontificalia paramenta..... Electus verò in ſua capella indutus amictu, alba, cingulo, Stola, pluviali ac ſandaliis..... ducitur medius inter duos Abbates aſſiſtentes ſuperpelliceo, Stola, pluviali & mitra indutos..... coram Pontifice.*

Hic autem Abbates Stola veſtiendi ritus

antiquus eſſe ex eo probatur, quòd in cap. 1. lib. 3. *Antiquiorum conſuetudinum Cluniacenſis monaſterij*, à S. Vdalrico Benedictino Monacho circa an. Domini 1109. collectarum, & à doctiſſimo Luca Dacherio in tom. 4. *Spicilegij* editarum, ita memoratur: *Tertia die, ſcilicet in Cathedra S. Petri, cùm Electus benedicendus eſſet, indutus eſt alba, Stola & cappa, & Archiepiſcopus* Biſontienſis *ſimiliter, & adhuc duo Abbates, qui Electum ad benedicendum in manibus deduxerunt.*

III. Peracta communione generali, quæ in Cathedralibus Eccleſiis frequentatur in miſſa ſolemni feſti Paſchalis, quam Epiſcopus celebrat, Cæremoniale Epiſcoporum obſervat ſacras hoſtias in ciborio ad locum ubi ſanctiſſima Euchariſtia aſſervari ſolet, *à Presbytero parato cum Stola & cotta portari. Finita communione* (inquit in lib. 2. cap. 29.) *reportantur funalia..... & Diaconus repoſito vaſe ſeu pyxide cum hoſtiis ſuper altare, ſi quæ remanſerunt, illam cooperit, & conſignat alicui Presbytero parato cum Stola & cotta, ſeu pluviali, qui illam ſub baldachino, ſi commodè fieri poteſt, præeuntibus Clericis cum funalibus, & aliquibus de Clero comitantibus, portat ad locum ubi aſſervatur ſacramentum.*

IV. Metropolitanis ut majoribus ſacerdotibus, aliquo titulo obnoxios eſſe Suffraga-

neos Epiſcopos, ut minores, Eccleſiaſticus ordo & ſacri Conciliorum Canones poſtulant; Et tamen Suffraganei Epiſcopi in Metropolinatorum oculis Stolam gerunt in Regis coronatione, quemadmodum ex Pontificali Romano diſcimus, in Tit. *De benedictione & coronatione Regis*, ubi dicitur: *Die Dominica, qua Rex benedicendus & coronandus eſt, omnes Epiſcopi conveniunt manè in Eccleſia in qua hoc fieri debet; & Metropolitanus, ſive Pontifex ad quem ſpectat, parat ſe ſolemniter cum miniſtris, miſſam celebraturus, paramentis tempori convenientibus. Epiſcopi verò, induuntur ſupra rochetum (vel ſupra ſuperpelliceum ſi ſint Religioſi) amictu, Stola, pluviali albo, & mitra ſimplici. Quibus omnibus paratis Metropolitanus in faldiſtorio ante medium altaris poſito, ſedet cum mitra, & Epiſcopi parati hinc inde ſuper ſedibus pro eis paratis, quaſi in modum coronæ, ſedentes ſibi aſſiſtunt.*

Stolati præterea Suffraganei Epiſcopi diœceſis Remenſis in Synodo provinciali poſſunt ſacram concionem habere coram Metropolita Remenſi, uti conſtat ex *Cæremoniis & ſacris precibus quibus in publica ſeſſione Concilij provincialis Remenſis ſolitum eſt uti*; & quæ à Ludovico Odeſpuno Preſbytero Turonenſi referuntur inter *Concilia Noviſſima Galliæ*. Ibi enim habetur: *Cùm ex laudabili conſuetudine ante inchoationem miſſæ ſoleant*

haberi conciones è ſuggeſto, commodior erit prædicatio divini verbi ante ſacrum miſſæ, omiſſis interim ſupplicationibus. Quam ſi contingat à D. Archiepiſcopo, aut aliquo ex Coëpiſcopis fieri; indutus is rochetum cum ſuperpoſita Stola orabit primum ante altare, deinde ſuggeſtum aſcendens concionem ad finem uſque perficiet.

Quamvis ergo Archidiaconis aliquomodo ſubſint Parœci, quid obſtat, quominus coram ipſis viſitantibus Stolati compareant?

Certum denique eſt aliquando Metropolitas poſſe Suffraganeorum ſibi Epiſcoporum Eccleſias viſitare, ut patet ex cap. *Sopitæ*, Tit. *De cenſibus, exactionibus & procurationibus*, capite *Romana*, parag. *Deinde*, Tit. eodem, in Sexto, & Concilio provinciali Turonenſi an. 1583. in Seſſione apud Andes, Tit. *De juriſdictione & viſitatione*: modò id fiat *cauſa cognita & probata in Concilio provinciali*, ut loquitur Concilium Tridentinum, Seſſ. 24. Decreto *de reformatione*, cap. 3. At quis putet Epiſcopos Suffraganeos coram Metropolitis eorum Eccleſias viſitantibus Stolas ſuas abjecturos? Has itaque ſi non abjiciant coram Metropolitis Epiſcopi Suffraganei, quare Parœci coram Archidiaconis abjicient? Ac proinde quod Epiſcopis ea in re licet, Parœcis quoque cur non liceat?

V. In Purificationis beatæ Mariæ feſto,

Senior Cathedralis Eccleſiæ *Dignitas*, ſeu *Canonicus* Stolatus, Epiſcopo præſente & ſacra mox facturo, mulieribus cereas candelas diſtribuit, ex lib. 2. Cæremonialis Epiſcoporum cap. 16. his vocibus: *Mulieres à Seniore Dignitate vel Canonico cum cotta & Stola parato candelas* accipiunt. Canonicus ſi coram Epiſcopo Stolam habet, cur non habebit coram Archidiacono Parœcus?

VI. In publicè pœnitentium reconciliatione, quæ feria 5. *in Cœna Domini* fit, Archidiaconus coram Pontifice Stolatus eſt, ut legimus in Romano Pontificali; Tit. *De reconciliatione pœnitentium* &c. hunc in modum: *Pontifex paratus amictu, alba Stola, pluviali coloris violacei, mitra ſimplici & baculo Paſtorali, miniſtris etiam paratis..... atque Archidiacono cum amictu, alba & Stola ſine dalmatica, proſternit ſe ſuper faldiſtorium, coram altari......dicens ſeptem pſalmos pœnitentiales.... Tunc Archidiaconus paratus ut præmiſſum eſt, ſtans in limine oſtij* &c. Quod autem Archidiacono in publicè pœnitentium reconciliatione fas eſt coram Epiſcopo: quare Parœcis coram Archidiaconis viſitantibus, nefas erit?

VII. Dum ordinantur Diaconus & Presbyter, utrique Stola ab Epiſcopo imponitur. De Diacono quidem id teſtatur Pontificale Romanum, Tit. *De ordinatione Diaconi*, ubi dicit: *Poſthac Pontifex ſedens cum mitra*

cujlibet ordinando ante ſe genuflexo, Stolam quam ſinguli in manu habent imponit ſucceſſivè ſuper humerum ſiniſtrum. De Preſbytero autem Tit. *De ordinatione Presbyteri*, his vocibus: *Pontifex ſedet accepta mitra & reflectit orarium ſive Stolam ab humero ſiniſtro cujuſlibet* ordinandi, *capiens partem quæ retro pendet & imponens ſuper dexterum humerum, aptat eam ante pectus in modum Crucis.* Quibus non abſimilia legas in cap. *Presbyter.* Diſt. 23. *Presbyter cùm ordinatur Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant. Sicut autem in die ſuæ ordinationis ſacerdos orario utroque humero ambitur: ita tempore conſecrationis eodem orario debet uti inſtanter.* Quo tempore ordinantur Diaconus & Preſbyter, ſi licet ipſis coram Epiſcopo Stolatis eſſe, unde hoc ipſum coram Archidiaconis viſitantibus non licebit Parœcis?

VIII. In eadem Preſbyteri ordinatione teſtatur idem Pontificale Romanum, tres aut etiam plures ſacerdotes adſtantes & Stolatos cujuſlibet ordinandi capiti utramque manum imponere. *Pontifex* (inquit) *ſtans..... imponit ſimul utramque manum ſuper caput cujuſlibet ſucceſſivè, nihil dicens. Idemque faciunt poſt eum omnes ſacerdotes, qui adſunt; quorum tres, aut plures planetis, vel ſaltem*

cum Stolis parati, ſi commodè fieri poteſt, eſſe deberent. Preſbyterorum ordinatio præcipua cùm ſit Epiſcoporum functio, & in ea ordinatione ſacerdotes coram Epiſcopo Stolam ferant: quare eam Parœcis in conſpectu Archidiaconorum, qui tantummodo Epiſcoporum miniſtri ſunt, geſtare illicitum fuerit?

IX. Ea eſt Cathedralium Eccleſiarum vulgò recepta conſuetudo, ut ſinguli ſuo ordine Canonici divinis præſint officiis, in quibus Stola aliquando eſt induenda, ut in Canonicorum, aliorumque nonnullorum exequiis fieri videmus. Eam verò cùm geſtent, vel in facie Epiſcoporum ſuorum Canonici, quis umquam contradixit Epiſcopus? Qui fit igitur ut Archidiaconi viſitantes contradicant ſi Stolatos animadverterint Parœcos?

X. Quot annis Dominica 1. Quadrageſimæ ſupplicabundi ad B. Mariæ Pariſienſis Baſilicam procedunt Pariſiacæ urbis Parœci omnes Stolis induti, neque, quamdiu in ea morantur Baſilica, Stolas abijciunt, etiamſi præſens adſit illuſtriſſimus Pariſienſis Archiepiſcopus. Nemo gravatè fert, nemo iraſcitur. Parœci Archidiaconorum viſitationibus ſi adſint Stolati, quare gravatè ferent, quare iraſcentur Archidiaconi?

XI. Regi Chriſtianiſſimo Eccleſiam aliquam Parœcialem ingredienti, Stolam indutus occurſare ſolet illius Eccleſiæ Parœcus: quantumvis Regem Cardinales, Archiepiſ-

copi

copi & Epiſcopi comitentur, & ipſemet ſeu Archiepiſcopus, ſeu Epiſcopus, cui Parœcus iſte ſubijcitur. Hoc ego tum Lutetiæ Pariſiorum, cùm Verſaliis aliquando obſervavi. Et Archidiaconi noſtri Stolatos ſuis in viſitationibus Parœcos ferre nequeunt.

XII. In Moniti, quod nomine Cleri Gallicani editum eſt an. 1626. art. 11. pagg. 15. & 16. ſic ſtatuitur: [a] *Ante inceptum Concilium, & priuſquam quidquam vocetur in deliberationem, inſtituenda erit ſolemnis ſupplicatio unâ cum indulgentiarum denunciatione: Cui quidem ſupplicationi aderunt Epiſcopi Pontificales veſtes induti, Abbates cum baculis Paſtoralibus, & procuratores delegati, cùm ſuperpelliceis & Stolis.* Delegatos procuratores, qui nihil aliud quàm ſacerdotes ſunt, ſolemni ſupplicationi ſecum intereſſe cum Stolis non dedignantur Gallicanæ Eccleſiæ Pontifices; & Paræcos ſuis viſitationibus Stolatos intereſſe dedignantur Archidiaconi.

XIII. Dum ſuprema Cleri Gallicani comitia Pontœſiæ an. 1670. haberentur, qui illis præerat Rotomagenſis, nunc autem Pariſienſis Archiepiſcopus Harlæus, Eccleſiam B. Virginis Mariæ Pontœſianæ cum ſeptem Epiſcopis, Synodum in ea celebraturus intra-

a Auparavant l'ouverture du Concile & devant que d'entrer en aucune deliberation, il ſe fera une proceſſion ſolemnelle en laquelle aſſiſteront les Eveſques en leurs habits Pontificaux, les Abbez avec leurs croſſes, & les Procureurs deputez avec ſurplis & eſtoles.

vit, ipſique intranti illius Eccleſiæ Parœcus, aliique aliarum Pontœſiani Vicariatus Parœci, Stolas induti occurſarunt; nec niſi poſt adoratam crucem, à Philippo Eleemoſynario Stolam prædictus Pontifex accepit.

XIV. *Supplicationi* quam *Magnæ confraternitatis* vocant, inſtitutæ Pariſiis apud S. Mariam Magdalenam, Sacerdotes omnes, cujuſcumque gradus ac dignitatis fuerint, Stolis & pluvialibus induti adſunt, vel ipſo Archiepiſcopo Pariſienſi præſente. Quod non multis abhinc annis eveniſſe vidimus ubi illi ſupplicationi interfuit Harduinus Perefixeus Pariſienſis Archiepiſcopus. Qui & cùm fermè eodem tempore Ludovici Meſſerii S. Landerici Lutetiæ Paſtoris, & Facultatis Theologiæ Pariſienſis Decani tumulo, Pontificali habitu daret inferias, Pariſienſes Parœcos Stolatos unâ ſecum mortuo juſta perſolvere, nullo pacto indignatus eſt. Longè aliter Archidiaconi qui Parœcis in ſuis Viſitationibus Stolâ veſtitis lites intentant.

XV. Denique Pariſienſes Parœcos conſtat mortuis collegis coram Archidiacono Pariſienſi Stolatos parentare, quod in funere Brotonni Paſtoris S. Petri *de Arſiciis*, Payeni S. Genovefæ *de Ardentibus* Parœci, & Pietræi S. Germani *vetuli* Rectoris, non ita pridem obſervatum accepi ab ipſo Archidiacono Pariſienſi Hamelino V. Cl. teſte omni exceptione majori. Unde in Pietræi *ſchedula* typis

evulgata, quam Lutetiæ *funeream* vocant, & cujus exemplar apud me habeo, ab Archidiacono Pariſienſi rogati ſunt Pariſienſes Parœci, Eccleſiæ S. Germani *vetuli* ſepulturæ, *cum ſuperpelliceis & Stolis intereſſe.* [a]

Sexcenta poſſem id genus argumenta recenſere & congerere, quibus licitum eſſe probarem, inferioribus Presbyteris in Eccleſiæ Pontificum facie Stolam induere. Sed pauca quæ attuli opinor plus ſatis erunt. Depoſito jam omni partium ſtudio, ſi quid ſit Epiſcopus, quid Abbas, quid Archidiaconus, quid Parœcus, & quid cuique auctoritatis, ſeriò expendatur: non ita ab Archidiaconis diſtare Parœcos inveniemus, ut ab Epiſcopis Abbates & Archidiaconi diſcrepant. Cùm ergo Abbates & Archidiaconi (uti ex antecedentibus liquet) coram Epiſcopis in pleriſque Cæremoniis Eccleſiaſticis Stolam ferant: eamdem Parœci coram Archidiaconis in ipſorum viſitationibus quare non ferent?

a Meſſieurs les Curez de Paris ſont priez de la part de Monſieur le grand-Archidiacre, de s'y trouver en ſurplis & Eſtole.

CAPUT XXIII.

Decanis Ruralibus, qui Parœci ſunt, Stolam ferre in Synodis præcipiunt Statuta Synodalia diœceſis Remenſis, circa an. 1328. *Lingonenſis, an.* 1404. *Meldenſis, an.* 1493. *Senonenſis, an.* 1524. *Cameracenſis, an.* 1550. *Carnotenſis, an. eodem, & Senonenſis, an.* 1554. *Idem Parœcis permittunt Conſtitutiones Synodales Simonis & Galonis, A. S. Legatorum, circiter an.* 1215. *Diœceſis Cenomanenſis, an.* 1231. *Rotomagenſis, an. incerto. Budenſis an.* 1279. *Bajocenſis, circa an.* 1300. *Pictavienſis, an.* 1367. *&* 1387. *Cenomanenſis an.* 1489. *Sagienſis an.* 1532. *Turonenſis, an.* 1537. *Sagienſis, an.* 1547. *Cameracenſis, an.* 1550. *Sueſſionenſis, an.* 1561. *Acta Concilii Provincialis Cameracenſis, an.* 1565. *Statuta Synodalia diœceſis Atrebatenſis, circa an.* 1569. *Rotomagenſis, an.* 1581. *Remenſis, an.* 1583. *Lemovicenſis, an.* 1619. *Uceticenſis, an.* 1635. *Nannetenſis, an.* 1642. *Rotomagenſis, & Lexovienſis, an.* 1651. *Idipſum quoque Neapolitanis Parœcis conceditur.*

HEIC autem Preſbyteros Stolam ſæpius coram Pontificibus deferre ſolitos dum

oſtendimus, nefas fuerit omiſiſſe Parœcos Synodis Stolatos cum ſuis Epiſcopis intereſſe. Ac de Decanis quidem ruralibus ſeu Archipresbyteris, qui ut plurimum Parœci ſunt, & in diœceſi noſtra Carnotenſi jam (quod norim) Parœci ſunt omnes, illud ex multis Conſtitutionibus Statutiſque Synodalibus, ac Ritualibus quibusdam perſpicuè intelligitur.

Ex Conſtitutionibus Synodalibus diœceſis Remenſis, quas Laurentius Bochellus laudat in lib. 5. *Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ*, Tit. 19. *De Synodo Diœceſana*, cap. 82. Et in *Nomenclatura Synodorum & Auctorum* ad calcem operis ſui rejecta, digeſtas ſcribit à Guillelmo de Tria Cardinali; Philippi Valeſii Regis (quem Remis an. 1328. coronavit) avunculo, & Archiepiſcopo Remenſi: *Inprimis ſciendum eſt quòd Abbates totius Remenſis Diœceſis Albis induti & cappis ſericis cum baculis paſtoralibus & albis mitris non aurifrigiatis, in altis Cathedris Chori Eccleſiæ Remenſis, Decani in ſecundis, in albis & ſtolis ac manipulis, ſedere debent.*

Ex Statutis Synodalibus diœceſis Lingonenſis, Ludovici De Barro Cardinalis & Epiſcopi Lingonenſis, an. 1404. *Feria 4. poſt Dominicam qua cantatur pro introitu miſſæ*, Miſericordia Domini: *Abbates induti albis, ſtola, manipulo, & deſuper cappa*

ſerica cum baculis paſtoralibus, & illi quibus competit cum mitris albis non aurifrigiatis: Archidiaconi cum cappis ſericis: Decani verò cum albis, ſtolis & manipulis: Curati & alii cum ſuperpelliciis intrent ad miſſam Synodalem, & deinde ad Synodum jejuni.

Ex Statutis Synodalibus Meldenſis diœceſis à Johanne Oleario Sorbonæ Proviſore, Facultatis Theologiæ Pariſienſis Decano, Regi Ludovico II. à confeſſionibus & Eleemoſynis, ac Epiſcopo Meldenſi, propoſitis an. 1493. die Septembris 19. part. 1. Rubrica 2. *Sanctam Synodum jejuni omnes raſique coronam & barbam, nec non Decani albis & ſtolis, alii verò ſuperpelliciis induti, intrent.*

Ex Statutis Synodalibus diœceſis Senonenſis, Stephani Poncherii Senonenſis Archiepiſcopi, an. 1524. *Curati & alii qui noſtræ Synodo intereſſe perſonaliter tenentur, cùm dictam Synodum intrant, ſint raſi coronam & barbam, & quamdiu Synodus celebrabitur, ſint induti ſuperliciis aut albis. Decani noſtri ultra ſuperlicium aut albam, ſtolam habeant.*

Ex antiquis Statutis Synodalibus diœceſis Cameracenſis, auctoritate Synodi Epiſcopalis initio menſis Octobris an. Domini 1550. Cameraci celebratæ, *recognitis, correctis & innovatis* à Roberto Croyio Epiſcopo Ca-

meracenſi, Tit. 1. *Præcipimus ut Prælati, Perſonæ ſive Patroni Sacerdotes Parochialium Eccleſiarum, & Sacerdotes ad hoc electi, ad Synodum venientes, veniendo, morando, recedendo, honeſtè ſe habeant. Veniendo, non nimis citò iter arripiant; nec à Synodo ſine licentia recedant; ieiuni intrent Synodum; Presbyteri ſint induti ſuperpellicio cum ſtola, Decani cum alba & ſtola, Abbates in albis cum cappa Chori & baculo Paſtorali.*

Ex Conſtitutionibus Synodalibus diœceſis Carnotenſis, à Ludovico Guillardo Epiſcopo Carnotenſi an. 1550. menſe Octobri evulgatis, Tit. 2. *Omnibus & ſingulis qui ad Synodum noſtram venire tam de jure, quàm de conſuetudine tenentur, conſtituimus ut ſingulis annis feria 4 poſt feſtum S. Lucæ compareant hora 7. de mane in Eccleſia Carnotenſi ſponſa noſtra. Curati ante celebrationem Synodi coram Decano ſuo. Et deinde ad navem Eccleſiæ procedentes, conclave Synodi noſtræ intrent. Abbates in habitu prælaturæ ſuæ aſſueto, Curati ſeu Vicecurati induti ſint ſuppelliciis. Decani noſtri ultra ſuppellicium ſtolam habeant quamdiù Synodus celebrabitur, omnes jejuni, barbis raſis & tonſura decenti.* Quam heic Parœcis Synodo Carnotenſi aſſiſtentibus Stolam non permittit Ludovicus Guillardus, geſtandam illis præceperat Millo Ilerenſis Carnotenſis

Epiſcopus in Statutis an. 1489. ac geſtandam quoque præcepit Ludovici Guillardi nepos & ſucceſſor Carolus Guillardus, itidem Carnotenſis Epiſcopus in Statutis an. 1559. ut cap. ſequenti oſtendemus. Sicque injuriam Parœcis Carnotenſibus à Patruo illatam reſarcivit.

Et ex Ordinationibus Synodalibus Ludovici Epiſcopi Præneſtini Cardinalis Borbonii, & Archiepiſcopi Senonenſis an. 1554. In quibus modò memorata Stephani Poncherii deceſſoris ſui verba adoptavit.

Idem etiam de Parœcis generatim liquet. Ex Conſtitutionibus Synodi in Galliis habitæ anno circiter 1215. à Galone & Simone Sedis Apoſtolicæ Legatis, apud Laurentium Bochellum lib. 5. *Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ*, Tit. 19. cap. 93. *Præcipitur Sacerdotibus ut jejuni & induti ſuperliciis & ſtolis mane intrent Synodum.* Ubi locorum in Galliis coacta fuerit illa Synodus, non conſtat. Illi præfuiſſe conſtat Galonem & Simonem S. A. Legatos, unde *Galonis & Simonis Synodus* appellatur. Aliquando enim, & maximè initio tertiæ Regum noſtrorum proſapiæ, Gallicanis Synodis aliiſque, vulgò præſidebant Romanorum Pontificum Legati, *In detrimentum Metropolitanorum, Conciliorúmque Provincialium & generalium regni Gallicani*, inquit Petrus de Marca Pariſienſis Archiepiſcopus in lib. *6. de Concordia*

Concordia Sacerdotii & imperii, cap. 30. num. 1.

Ex Synodo Cœnomanenſi ſub Mauritio (qui ex Epiſcopo Cœnomanenſi Rotomagenſis Archiepiſcopus factus eſt an. 1231. ſecundùm Chronicum MS. Eccleſiæ Rotomagenſis, cujus fragmentum in Tomo 2. *Spicilegii* ſui edidit eruditiſſimus Dacherius Bibliothecæ S. Germani à Pratis Præpoſitus) Tit. 2. *Præcipitur Sacerdotibus ut jejuni ſuperliciis & ſtola manè intrent Synodum. Ceteri autem perſonatum ſive vicarias animarum habentes, induti ſint ſuperliciis tantùm.* Quænam eſſent Archidiaconorum jura optimè noverat Mauritius Pontifex, qui (ut ait Thomas Cantipratanus in lib. 1. *boni univerſalis de apibus*, cap. 1. num. 4.) *in Trienſi Eccleſia Archidiaconus conſtitutus, circuibat diœceſim pedes, & eam in ſolo baculo prædicationis officio viſitabat*; longè diversè à noſtrorum temporum Archidiaconis, qui equorum multitudine & longo famulatu Parœcos gravant, & quorum plerique ne verbum quidem de Deo ad populum faciunt. Et tamen Mauritius ille Pontifex geſtandæ in Synodis ſtolæ poteſtatem Sacerdotibus ſeu Parœcis concedebat, eamdem profectò Parœcis in Archidiaconorum Viſitationibus conceſſurus. MS. ejuſmodi Synodum habet in Bibliotheca ſua Doctiſſimus Blaſius Feronius Doctor ac Socius Sorboni-

cus & Carnotenſis Eccleſiæ Canonicus. Porrò quàm ſtudioſus fuerit jurium ſuorum cultor & cuſtos Mauritius vel ex iis patere poteſt quæ in mox citato MS. Rotomagenſis Eccleſiæ Chron. ſic referuntur MCCXXXII. *Poſt deceſſum Æliciæ Abbatiſſæ monaſterii Villarenſis, celebrata fuit electio in eodem monaſterio & fuerunt duæ electæ, & repræſentata fuit electio Mauritio Archiepiſcopo, qui electionem examinavit prout debuit; & comperto quod non fuit forma ſervata Concilii in eligendo, electionem de utraque factam caſſavit, & Capitulum jure eligendi ea vice privavit, aſſignavítque eidem Capitulo Abbatiſſam Leciam de Bonſemoncel; ſed ipſa non obtinuit Abbatiam propter contradictionem Regis; & ipſe Archiepiſcopus excommunicavit omnes Moniales adhærentes Regi in hoc facto, & contradicentes prædictæ Abbatiſſæ.* Qui talia præſtitit, ſanè numquam Parœcos Stolam in Synodis geſtare paſſus eſſet, ſi quid ex eo geſtamine detrimenti cœpiſſet ipſius juriſdictio. Is autem ferendæ à Parœcis Cœnomanenſibus in Synodis diœceſanis Stolæ mos hodie quoque ſervatur. Poſtremæ enim Synodo quam Cœnomani die Sept. 15. an. 167·. celebravit Illuſtriſſimus Cœnomanenſium Epiſcopus Ludovicus Treſſanus Averneus, Parœci Stolas induti adfuere.

Ex antiquo Rotomagenſis Eccleſiæ Ri-

tuali, incerti temporis: *Synodus hiemalis ita celebratur. A dextris & ſiniſtris Archiepiſcopi ſint Abbates præſentes in cappis; & ante pulpitum ſint ſuper unam ſedem omnes Domini Canonici Eccleſiæ, qui voluerint intereſſe; Et Dignitates ſint in cappis ſericis, & alii Canonici in cappis ſuis nigris; Et Curati civitatis Rotomagenſis in albis cum ſtola & manipulo, ſedentes retro Canonicos; Et omnes alii Curati ſint in ſuperpelliceis cum ſtola, & omnes ibi ſic aſſiſtentes. Et ita celebretur Synodus æſtivalis die Martis poſt Aſcenſionem Domini: excepto quod Domini Canonici non obtinentes dignitates ſint in ſuperpelliceis, & nulla ſcedulæ tradentur à Domino Succentore.* Hunc celebrandæ Synodi Rotomagenſis Ordinem peculiari conſtitutione *data Pontœſiæ an.* 1630. 3. nonas Octobres probavit, & in Synodo autumnali Rotomagenſi an. 1631. confirmavit Franciſcus Harlæus Campo-Valonius Rothomagenſis Archiepiſcopus, quemadmodum ex ejus Synodi Mandato 1. diſcimus.

Ex Concilio Budenſi an. 1279. celebrato à Philippo Firmano Epiſcopo, in Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croacia, Rama, Servia, Lodomeria, Gallicia ac Cumania, Sedis Apoſtolicæ Legato, Sub Nicolao 3. capitul. 19. *Præterea ſtatuimus quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates & quilibet alii, qui ex*

privilegio mitris utuntur, mitrati cum ſuperpelliciis, Stolis & cappis ſeu pluvialibus; Præpoſiti verò, priores, & alii inferiores Prælati, cum ſuperpelliciis & ſtolis, ſi Diaconi ſaltem ſint, &, ſi velint, pluvialibus ſeu cappis; Rectores verò & ſimplices Sacerdotes, cum cottis ſeu ſuperpelliciis & ſtolis tantùm; inferioris verò ſtatus vel ordinis Clerici, cum cottis Synodum intrent, & in ea devotè & cum reverentia uſque ad finem, niſi caſus neceſſitatis emerſerit, perſeverent. Religioſos quoque, nullam Prælaturam vel adminiſtrationem habentes perpetuam, permittimus in habitu ſuo cum ſtolis in Synodo poſſe ſtare, etiam ſi adminiſtrationem habeant. Stolam juriſdictionis argumentum eſſe non putarunt illius Synodi Patres, qui eam *ſimplicibus Sacerdotibus & Religioſis nullam Prælaturam vel adminiſtrationem habentibus perpetuam*, in Synodo coram ſe ferendam conceſſere.

Ex Synodo Bajocenſi, Tit. 3. *Præcipitur Sacerdotibus ut jejuni & induti ſuperpelliciis & ſtola manè intrent Synodum. Ceteri autem perſonatus ſive Vicarias Eccleſiarum habentes, ſuperpelliciis tantùm.* Synodum illam circa an. 1300. coactam annotavit Gabriel Coſſartius Societatis Jeſu Preſbyter in Tom. II. part. 2. novæ Conciliorum editionis, ubi recenſetur; Quo tempore Antonius Monchiacenus Demochares in lib.

De divinæ miſſæ ſacrificio, cap. 21. Claudius Robertus in *Gallia Chriſtiana* & Johannes Chenetus in *Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ Chronologica Hiſtoria*, Epiſcopum Bajocenſem fuiſſe teſtantur Guillelmum Bertrandi Bonnetum, Collegii Bajocenſis apud Pariſios Auctorem.

Ex Statutis Synodalibus diœceſis Pictavienſis Aymerici de Montibus Pictavorum Epiſcopi an. 1367. apud Laurentium Bochellum in lib. 3. *Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ*, Tit. 19. cap. 97. *Cùm ſecundum Conſtitutiones alias per prædeceſſores noſtros factas, & juramenta quæ à Curatis noſtræ diœceſis præſtantur, omnes perſonæ Eccleſiaſticæ curam animarum habentes debeant venire ad Synodum, niſi de noſtra licentia remanſerint ſpeciali, aut neceſſitate inevitabili ſint detenti, quo caſu debent mittere capellanos, ſeu idoneos clericos loco ſui; qui interim intrant Synodum induti ſuperliciis & ſtolis.* Conſtitutionem illam iiſdem omnino verbis à Simone de Cramaudo Johannis Pictonum Comitis Cancellario, Pictavenſi Epiſcopo ac demum Remenſi Archiepiſcopo, innovatam anno 1387. ibidem teſtatur Bochellus.

Ex *libro Synodali Epiſcopatus & diœceſis Cœnomanenſis, correcto an. Domini* 1489. In Præfatione: *Præcipitur Sacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis, quod à tempore pulſa-*

tionis Synodi, omni occaſione poſtpoſita jejuni & induti ſuppelliciis & Stolis cum libro Synodali majorem Eccleſiam vel locum Synodi intrare feſtinent. Ceteri autem perſonatum habentes vel Vicariam, ſuppelliciis tantũ. Et Abbates Cappis ſericeis ſint induti.

Ex Synodo Sagienſi an. 1532. ſub Jacobo Syllio Sagienſi Epiſcopo celebrata, tit. *De Statu & honeſtate Eccleſiaſticorum: Item volumus & ordinamus ut de cetero Curati ſeu eorum Vicarii, Priores & ceteri qui in Synodis comparere tenentur, compareant ſuperlicio & Stola induti (ſi Sacerdotes exiſtant) ſin autem cum ſolo ſuperlicio. Negligentes & contemnentes volumus emenda quadraginta ſolidorum puniri.*

Ex Synodo Turonenſi Antonii Barrei Archiepiſcopi Turonenſis an. 1537. cap. 1. *Qui Synodis noſtris intereſſe tenentur conveniant, videlicet Abbates in habitu prælaturæ ſuæ aſſueto; ceteri verò barbam & coronam raſi in habitu decenti, nec nimia brevitate, nec longitudine notando, videlicet Priores Religioſi, cum alba & ſtola; ceteri verò cum ſuppellicio & ſtola.*

Ex *libro Synodali Epiſcopatus Sagienſis emendato an.* 1547. à Petro Valla Epiſcopo Sagienſi, ubi Jacobi Syllii deceſſoris ejus verba modò relata repetuntur ac confirmantur.

Ex antiquis Statutis Synodalibus Cameracenſis diœceſis an. 1550. emendatis à Rober-

to Croyio Epiſcopo Cameracenſi, Tit. 1. *Præcipimus ut ad Synodum venientes Presbyteri, ſint induti ſuperpellicio cum ſtola.*

Ex Statutis Synodalibus diœceſis Sueſſionenſis Caroli Rucyenſis Sueſſionum Epiſcopi an. 1561. Tit. *De modo celebrandæ Synodi: Sanctam Synodum jejuni intrent; ſint corona apertè raſa & ſimiliter barba habitúque ſibi congruenti, videlicet & Curati ſuppellicio & ſtola ornati.* Comitiis, maximè Paſchalibus, quæ vulgato nomine *Kalendas* appellant, coram Sueſſionenſi Epiſcopo, ejus Vicariis Generalibus aut Archidiaconis, Stolati interſunt hodie quoque Parœci Sueſſionenſes, quemadmodum intelligitur ex Statutis Synodalibus Caroli Borlonii Sueſſionum Epiſcopi, die 17. Maii an. 1673. in Synodo evulgatis, Tit. *De Decanis Ruralibus.*[a]

Ex Actis Concilii Provincialis Cameracenſis an. 1565. Sub Maximiliano à Bergis Archiepiſcopo Cameracenſi, Antuerpiæ editis an. 1566. fol. 7. verſ. *Die igitur 25. menſis Iunii Reverendiſſimus D. Archiepiſcopus pallio, mitra, aliiſque Pontificalibus inſigniis amictus* &c. *à Reverendiſſimis D. D. Epiſcopis comprovincialibus, Reverendiſque D. D. Abbatibus mitellatis & pedis ſeu baculis, ut vocant, Paſtoralibus deco-*

a Tous Curés ſe trouveront reveſtus de ſurplis & couverts du bonnet quarré, avec l'Eſtole de couleur blanche & iront en l'Egliſe &c.

ratis, collegioque Metropolitano Cameracenſi, Tornacenſi, Atrebatenſi, Namurcenſi, & Audomarenſi Eccleſiarum Cathedralium Delegatis &c. *Canonicis & Religioſis Chlamydibus, quas cappas vocant, inſignitis, reliquiſque collegiatarum Eccleſiarum deputatis, habitu Canonicali, Archipresbyteris verò, ſeu Decanis ruralibus & Curatis, abſentiumque procuratoribus & legatis ſeu nunciis ſuperpelliciis & ſtolis indutis, ac copioſa denique cleri & populi multitudine ad Eccleſiam Metropolitanam è palatio ſuo Archiepiſcopali deductus fuit* &c.

Ex Statutis Synodalibus diœceſis Atrebatenſis, rejectis ad calcem Statutorum ejuſdem diœceſis editorum à Franciſco Richardoto Epiſcopo Atrebatenſi; qui anno 1569. Concilio Tridentino interfuit: *Sanctam Synodum omnes intrent jejuni. Curati cum ſuperpelliciis & ſtolis pendentibus.*

Ex Synodo Provinciali Rotomagenſi, an. 1581. Sub Carolo Cardinali Borbonio civitatis Avenionenſis & Sedis Apoſtolicæ *de latere* Legato, ac Rotomagenſi Archiepiſcopo, Tit. *De Epiſcoporum officiis*, num. 32. Synodis Diœceſanis *Curati ne deinceps compareant ſine ſuperpellicio, Stola, ac toto habitu ſacerdotali; aliàs durè increpentur & mulctentur.*

Ex Synodo Provinciali Remenſi an. 1583. Sub Ludovico Lotharingo Cardinali & Ar-

chiepiſcopo Remenſi, capitul. 27. num. 3. *Aſſiſtere Synodo Parœci teneantur cum habitu & tonſura ſtatui congruentibus, nec non cum ſtola & ſuperpelliceo.*

Ex Statutis & ordinationibus diœceſis Lemovicenſis an. 1619. in Synodo promulgatis à Raimundo Marthonienſi Epiſcopo Lemovicenſi & à Franciſco Fayetano itidem Lemovicenſi Epiſcopo confirmatis, cap. 8. num. 5. [a] *Supplicationi, miſſæ, benedictioni & concioni Synodali, omnes jejuni ad finem uſque aderunt cum ſuperpelliceis & ſtolis: aliàs abſentes declarabuntur. Et eodem habitu ſiſtent ſe pomeridianis horis ac quoties in aula Epiſcopali congregabuntur, acturi de Eccleſiaſticis rebus, propter quas indicuntur Synodi.*

Ex Statutis Synodalibus diœceſis Uceticenſis Nicolai Grilliæi Uceticenſis Epiſcopi, Nemauſi evulgatis an. 1635. pag. 60. [b] *Conſtituimus Priores & Vicarios Synodis intereſſe cum ſuperpelliceo & Stola, alias verò cum Stola tantùm.*

Ex Statutis & Ordinationibus diœceſanis

[a] Quant à la proceſſion, meſſe, benediction & predication du Synode, tous y viendront à jeun, & y aſſiſteront juſqu'à la fin avec leurs Surplis & Eſtoles, à peine d'eſtre declarez abſents; Et avec les meſmes habits comparoiſtront l'apreſdinée & toutes les fois qu'on s'aſſemblera en la Sale Epiſcopale pour traiter des affaires qui touchent à l'eſtat Eccleſiaſtique & par leſquelles les Synodes ſont aſſemblez.

[b] Nous ordonnons qu'ils aſſiſteront aux Synodes. Les Prieurs & Vicaires avec Surplis & Eſtole, & les autres avec le Surplis ſeulement.

ratis, collegioque Metropolitano Cameracenſi, Tornacenſi, Atrebatenſi, Namurcenſi, & Audomarenſi Eccleſiarum Cathedralium Delegatis &c. *Canonicis & Religioſis Chlamydibus, quas cappas vocant, inſignitis, reliquiſque collegiatarum Eccleſiarum deputatis, habitu Canonicali, Archipresbyteris verò, ſeu Decanis ruralibus & Curatis, abſentiumque procuratoribus & legatis ſeu nunciis ſuperpelliciis & ſtolis indutis, ac copioſa denique cleri & populi multitudine ad Eccleſiam Metropolitanam è palatio ſuo Archiepiſcopali deductus fuit* &c.

Ex Statutis Synodalibus diœceſis Atrebatenſis, rejectis ad calcem Statutorum ejuſdem diœceſis editorum à Franciſco Richardoto Epiſcopo Atrebatenſi; qui anno 1569. Concilio Tridentino interfuit: *Sanctam Synodum omnes intrent jejuni. Curati cum ſuperpelliciis & ſtolis pendentibus.*

Ex Synodo Provinciali Rotomagenſi, an. 1581. Sub Carolo Cardinali Borbonio civitatis Avenionenſis & Sedis Apoſtolicæ *de latere* Legato, ac Rotomagenſi Archiepiſcopo, Tit. *De Epiſcoporum officiis*, num. 32. Synodis Diœceſanis *Curati ne deinceps compareant ſine ſuperpellicio, Stola, ac toto habitu ſacerdotali; aliàs durè increpentur & mulctentur.*

Ex Synodo Provinciali Remenſi an. 1583. Sub Ludovico Lotharingo Cardinali & Ar-

chiepiſcopo Remenſi, capitul. 27. num. 3. *Aſſiſtere Synodo Parœci teneantur cum habitu & tonſura ſtatui congruentibus, nec non cum ſtola & ſuperpelliceo.*

Ex Statutis & ordinationibus diœceſis Lemovicenſis an. 1619. in Synodo promulgatis à Raimundo Marthonienſi Epiſcopo Lemovicenſi & à Franciſco Fayetano itidem Lemovicenſi Epiſcopo confirmatis, cap. 8. num. 5. [a] *Supplicationi, miſſæ, benedictioni & concioni Synodali, omnes jejuni ad finem uſque aderunt cum ſuperpelliceis & ſtolis: aliàs abſentes declarabuntur. Et eodem habitu ſiſtent ſe pomeridianis horis ac quoties in aula Epiſcopali congregabuntur, acturi de Eccleſiaſticis rebus, propter quas indicuntur Synodi.*

Ex Statutis Synodalibus diœceſis Ucetiçenſis Nicolai Grilliæi Uceticenſis Epiſcopi, Nemauſi evulgatis an. 1635. pag. 60. [b] *Conſtituimus Priores & Vicarios Synodis intereſſe cum ſuperpelliceo & Stola, alias verò cum Stola tantùm.*

Ex Statutis & Ordinationibus diœceſanis

[a] Quant à la proceſſion, meſſe, benediction & predication du Synode, tous y viendront à jeun, & y aſſiſteront juſqu'à la fin avec leurs Surplis & Eſtoles, à peine d'eſtre declarez abſents; Et avec les meſmes habits comparoiſtront l'apreſdinée & toutes les fois qu'on s'aſſemblera en la Sale Epiſcopale pour traiter des affaires qui touchent à l'eſtat Eccleſiaſtique & par leſquelles les Synodes ſont aſſemblez.

[b] Nous ordonnons qu'ils aſſiſteront aux Synodes. Les Prieurs & Vicaires avec Surplis & Eſtole, & les autres avec le Surplis ſeulement.

Alani Solminiacenſis Epiſcopi Cadurcenſis, an. 1638. cap. 4. De Synodo: [a] *Eccleſiarum Rectores ſupplicationi, Sacro, Benedictioni & Orationi Synodali intererunt ſuperpelliceum, biretum ac Stolam induti.*

Ex decretis & ſtatutis Synodalibus diœceſis Nannetenſis à Gabriële Bellovello Nannetenſi Epiſcopo editis an. 1642. [b] *Decernimus ut noſtri omnes Archidiaconi, Promotor, & à Capitulis allegati, Rectores, Priores-Curati, Vicarii perpetui, & alii noſtræ diœceſis, qui noſtræ Synodo comparere tenentur, matutinis horis die Iovis poſt feſtum Pentecoſtes, in Eccleſia noſtra Cathedrali, aut alia quavis à Nobis, ut conveniens videbitur, deſignanda coeant, ac ſupplicationi, ſolemni ſacro, aliiſque conſuetis præfatæ Synodi ritibus interſint, cum corona, toga, ſuperpelliceo, bireto & Stola; ibique placatè, moderatè, ac graviter, ut oportet, ſe gerant.*

Ex 2. parte *Parochialis* ſeu *Sacerdotalis* Eccleſiæ Rotomagenſis à Franciſco Harlæo

a Les Recteurs aſſiſteront à la Proceſſion, Meſſe, Benediction, & Predication du Synode, avec le ſurplis, bonnet, & Etole.

b Nous ordonnons que tous nos Archidiacres, Promoteur, & Deputez des Chapitres, Recteurs, Prieurs-Curez, Vicaires perpetuels, & autres de noſtre Dioceſe, qui ſont tenus de comparoiſtre à noſtre Synode, ſe rendront le Jeudy matin d'apres la Pentecoſte, en noſtre Egliſe Cathedrale, ou telle autre que nous deſignerons, ſelon que nous le jugerons eſtre expedient, pour aſſiſter à la Proceſſion, grande Meſſe, & autres Ceremonies ordinaires dudit Synode, avec la couronne, ſoutanne, ſurplis, bonnet carré & Etole, & s'y comporter avec la modeſtie, retenuë, & gravité convenable à leur dignité.

Campo-valonio in publicam lucem emiſſi an. 1651. Tit. *De Synodo diœceſana*, pag. 539. *Omnes ſint veſtimentis decentibus induti, videlicet Abbates cappis, Canonici Cathedralis Eccleſiæ qui intererunt, in Synodo quidem æſtivali, ſuperpelliciis, almutiis & biretis, in hiemali verò, cappis laneis hiemalibus: Parochi civitatis Rotomagenſis ex veteri Regula & ſpeciali prærogativa, albis, Stolis & manipulis, & alii Parochi ſuperpelliciis & Stolis.*

Ex ſtatutis Synodalibus diœceſis Lexovienſis an. 1651. à Leonorio Matignonio, Epiſcopo Lexovienſi editis, art. 1.[a] *Omnibus Parœcis noſtris præcipimus ut ſuperpelliceum, biretum & Stolam pro more induti, Miſſæ, Orationi Synodali, & aliis omnibus quæ in Synodo noſtra fient aut dicentur, interſint, propoſitâ adverſus ſingulos delinquentes ſex librarum Turonenſium mulctâ, hujus urbis Noſocomii pauperibus applicandâ.*

Poſtremo ex iis quæ obſervari Neapoli ſcribit Bartholomæus Gavantus in *Praxi exactiſſima Synodi diœceſanæ*, part. 1. cap. 13. *de habitu Cleri*, num. 5. his verbis: *Rectores Parochiarum* in Synodo *caputium geſtant ſupra cottam multis in locis; Neapoli Stolam, ut dignoſcantur ab aliis.*

[a] Enjoignons à tous nos Curés d'aſſiſter à la Meſſe avec leurs ſurplis, bônet carré & Etole, ſuivant la coutume, à l'Oraiſon ſynodale, & à tout ce qui ſera fait & dit en noſtre Synode, à peine de ſix livres d'amende pour chacun des defaillans, applicable aux pauvres de l'Hoſtel-Dieu de cette ville.

Atque hæc omnia Parœcos univerſè probant coram Eccleſiæ Pontificibus Stolam in Synodis geſtare. Nunc verò idem ab ipſis in diœceſeos ac Provinciæ noſtræ Synodis fieri demonſtremus.

CAPUT XXIV.

Senonenſis & Pariſienſis provincia Parœcos Stolam in Synodis geſtare jubent ſtatuta Synodalia diœceſis Pariſienſis an. circiter 1208. Aurelianenſis, an. 1314. Carnotenſis, an. 1489. Pariſienſis, an. 1515. Aurelianenſis, an. 1516. Pariſienſis, an. 1557. Carnotenſis an. 1559 Aurelianenſis an. 1587. Pariſienſis, circa an. 1596. Aurelianenſis, an. 1664. ac Illuſtriſſimus Pariſienſis Archiepiſcopus Franciſcus Harlæus Campo-valonius peculiari mandato, & ordine Cæremoniarum in Synodo Pariſienſi obſervandarum an. 1673.

ID autem facili negotio variis ex Synodis, Synodalibuſque Sanctionibus, ac nonnullis Epiſcopalibus mandatis colligere eſt.

I. Quidem ex ſtatutis Synodalibus Odonis de Soliacò Pariſienſis Epiſcopi, quem anno 1208. die 13. Julii fato functum, ex ejus Epitaphio conſtat, quod in Eccleſiæ Pariſienſis choro æri inſculptum legitur: *Diſtrictè præcipitur* (inquit in capitulo 2.) *ut induti albis & Stolis intrent Synodum illam quæ celebra-*

tur tempore Paſchali; illam verò quæ fit Septembri, ſuperpelliciis tantùm & Stolis.

II. Ex Statutis Synodalibus diœceſis Pariſienſis circa an. 1311. *Omnes abſentes qui ad Synodum venire tenentur, & non venerunt in decenti & conſueto habitu, videlicet in ſuperliciis & Stolis, niſi fuerint excuſati legitimè, contumaces reputamus.*

III. Ex codice Præceptorum Synodalium Milonis Tallii Epiſcopi Aurelianenſis, an. 1314. *Diſtrictè præcipitur Sacerdotibus ut jejuni intrent Synodum (in jejunio enim debet fieri & oratione.) Diſtrictè iterum præcipitur Sacerdotibus ut induti albis & St lis intrent Synodum quæ celebrabitur tempore Paſchali: illam verò quæ celebratur Octobri, ſuperpelliceis tantùm & Stolis.*

IV. Ex Præceptis Synodalibus Milonis Iſſerenſis Carnotenſis Epiſcopi an. 1489. Rubrica I. *De præparatione ad Synodum, & quomodo Sacerdotes ad eam debent venire & eam intrare. Preſbyteri in Synodo exiſtentes ſint raſi & induti albis cum Stolis, exceptis Clericis de choro, qui in veſtibus de choro poterunt intereſſe.* Fuit hic Pontifex jurium ſuorum tenaciſſimus, & injuriarum dignitati atque auctoritati ſuæ illatarū perſequentiſſimus, uti docent varia Carnotenſis Eccleſiæ monumenta. Nec certè Stolatos Synodis intereſſe Preſbyteros tuliſſet umquam, ſi ſuam inde jurisdictionem aliquo pacto putaſſet imminutam.

Duo autem heic nobis videntur refellenda, quæ in cauſa Philippi Marii Piſciacenſis in Carnotenſi Eccleſia Archidiaconi adverſus Franciſcum Arnulphum Campoburciacenſem Priorem & Præjectum Cevallerium Orgevallenſem Parœcum, contra Milonis noſtri *Statuta* ſeu *præcepta Synodalia*, coram Officiali Carnotenſi objecta ſunt: alterum, non fuiſſe executioni demandata: alterum autem non exſtare illa: Quæ duo perperam aſſeverantur.

Primò enim, ætatis noſtræ homines, de his quæ exeunte quinto-decimo Eccleſiæ ſæculo conſtituta ſunt, & lapſu temporum ad nos uſque propagata, quomodo ferre poſſunt teſtimonium? Unde habent ejuſmodi *præcepta* minimè fuiſſe executioni tradita, minimè fuiſſe uſu recepta? Si quos nacti ſunt iſtius rei Auctores, quare tacent, quare diſſimulant, quare non indicant, ut eorum dictis habeatur fides? At hoc inconſultè ab iis jactatum hinc colligitur, quòd multa Præceptis illis conſentanea omninò in Epiſcoporum Carnotenſium Milonis Iſſerenſis ſucceſſorum, Ludovici Guillardi & Caroli Guillardi *Conſtitutionibus Synodalibus*, ac Nicolai Thuani *Norma piè vivendi præſcripta Parochis Carnotenſibus, an.* 1575. & *Statutis ſacræ Synodi Carnotenſis, an.* 1587. reperiantur. Exemplum ſit illud propoſito noſtro maximè congruens. Stolatos Synodis intereſſe Parœcos ſancivit Milo: Idipſum quoque Carolus Guillardus ſtatuit in articu-

Google

lo ultimo Statutorum Synodalium, an. 1559. ut poſtea referemus.

Secundò, qua confidentia non exſtare aiunt ejuſmodi *Præcepta Synodalia?* An quia non viderunt, non exſtare opinantur? Sed numquid viderunt omnia quæ exſtant, homines rerum uſu non adeo periti? Illuſtriſſimi Carnotenſis Epiſcopi χαρτοφυλάκιον evolvant, ſi licet, & *Synodalium* de quibus agitur *Præceptorum* codicem, ſpero, invenient. Quòd ſi non vacat, ſciant illa an. 1489. Pariſiis fuiſſe edita, eorúmque exemplar unum in Bibliotheca Abbatiæ B. Mariæ Joſaphatenſis, Ordinis S. Benedicti, prope Carnotum aſſervari, ex quo exemplari quæ modò recenſuimus petita ſunt, ſicut & integra *De feſtorum ſolemnizatione* Rubrica, quam in cap. 23. noſtri *De feſtorum dierum imminutione* Libri an. 1668. *Lugduni apud Petrum Guilliminum in vico Bellæ-corderiæ*, editi, retulimus. Sciant hæc *Statuta* novem Rubricis concludi; hoc eſſe ipſorum initium: *In nomine & ad decus & honorem Summæ, ſanctiſſimæque Trinitatis divinæ, &c.* hunc eſſe finem: *Impreſſa & exarata finiunt feliciter, anno ſalutis milleſimo cccc. octuageſimo nono, die autem quindecima Martii:* Et poſtmodo qua ratione Carnotenſis diœceſis Parœcos Stolam in Synodis nunquam geſtaſſe profeſſi ſint, nobis exponant.

V. Ex ſtatutis Synodalibus diœceſis Pariſienſis, Stephani Poncherii ex Cancellario

Mediolanenſi & Galliarum Pro-Cancellario Pariſienſis Epiſcopi, ac demum Senonenſis Archiepiſcopi, an. 1515. propoſitis. Rubrica 1. *In primis ſtatuimus & ordinamus ut accedant & perſonaliter compareant ad noſtram Synodum ſanctam bis in anno, Abbates, Decani, Curati & alii Eccleſiarum parochialium Rectores, quarum Eccleſiarum & dignitatum nomina in regiſtris noſtris ſcripta ſunt: videlicet Iovis poſt Dominicam* de Miſericordia, *& Iovis poſt Lucam. Et veniant jejuni inter ſeptimam & octavam de mane in Eccleſia Pariſienſi ſponſa noſtra, in qua devote & reverenter audiant Miſſam de* S. Spiritu, *qua ad horam octavam celebrabitur in choro, & in navi Antiphonam* Ave Regina; *& immediatè poſt aſſiſtant in aula ſuperiori domus noſtræ Epiſcopalis Pariſienſis, Curati cum ſuperliciis & Stolis, veſte talari, camaliis aut almutiis.* Tum in Rubrica 2. *Omnes qui ad hanc Synodum venire tenentur, & non venerint in decenti & honeſto habitu, videlicet ſuperliciis & Stolis, niſi ſint legitimè excuſati, contumaces reputamus.*

VI. Ex ſtatutis Synodalibus diœceſis Aurelianenſis, Germani Ganaii primùm Senatoris Pariſienſis, poſtea Epiſcopi Cadurcenſis, ac deinde Aurelianenſis Eccleſiæ Pontificis, an. 1516. die 14. Maii, Tit. 1. *Item quod* Curati *intrent Synodum qua celebratur tempore æſtivali, induti albis & Stolis: illam verò qua celebratur*

lebratur hiemali tempore in menſe Octobri, intrent induti ſuperliciis & Stolis dumtaxat.

VII. Ex Satutis Synodalibus diœceſis Pariſienſis Euſtachii Bellaii Pariſienſis Epiſcopi, an. 1557. can. 1. *Qui jure huic Synodo intereſſe tenentur, decenti habitu, ſuperliciis & Stolis, tonſura & barba raſi conveniant.*

VIII. Ex ſtatutis Synodalibus *per Reverendum in Chriſto Patrem & Dominum Epiſcopũ Carnotenſem editis an. Dom.* 1559. *die Synodi 25. Novembris*, articulo ultimo: *Omnibus & ſingulis Curatis nobis ſubditis mandamus & injungimus ut in habitu decenti cum ſuperliciis & Stola compareant perſonaliter coram nobis aut Vicariis noſtris generalibus ſingulis annis in noſtra Synodo feria 4. poſt feſtum* S. *Lucæ in Eccleſia Carnotenſi hora octava de mane, ac dictæ Synodi celebrationi reverenter interſint*, &c. Synodi illius (quæ à Carolo Guillardo Epiſcopo Carnotenſi habita eſt) ſtatuta typis edita non novi. Eorum tantùm exemplar MS. nactus ſum in Bibliotheca C. V. Blaſii Feronii Doctoris ac Socii Sorbonici & Carnotenſis Eccleſiæ Canonici.

IX. Ex ſtatutis Synodalibus Germani Valentis Guellii, Epiſcopi Aurelianenſis an. 1587. Tit. 1. *Statuimus & ſub gravi pœna præcipimus ut ſinguli compareant veſte honeſta & nigro colore induti, coma raſi & barba, tonſura apparente in capitis vertice, ſuperpellicio mundo &*

Stola, qui modeſtè ac reverenter in omnibus ſe gerere curent. Et poſtea : *In Synodo quæ die Mercurii poſt feſtum Pentecoſtes celebratur immediatè, qui præſentes fuerint Eccleſiam ingreſſuri, alba induti eſſe debent & Stola. In hyemali verò, ſuppellicio & Stola.*

X. Ex Statutis Synodalibus Eminentiſſimi Cardinalis Petri Gondij Pariſienſis Epiſcopi, quæ an. 1596. Commentariis illuſtrata publici juris fecit Johannes Broüetus in Pariſienſi Senatu Advocatus & Epiſcopalis Curiæ Pariſienſis Promotor, ſtat. 1. *Clerici Synodo adeſſe debent induti ſuppelliceis, Stolis, tonſura, barbaque raſa, ſub pœna excommunicationis.*

XI. Ex Codice Statutorum Synodalium Alphonſi Delbennei Aurelianenſis Epiſcopi, an. 1664. Tit. 1. num. 5. *Statuimus ut die Synodi hora ſeptima matutina, ſolitis campanæ ictibus evocati omnes in loco conſtituto conveniant, coma & barba decenti; tonſura in vertice capitis apparente, veſte talari & honeſta, cum ſuperpelliceo mundo, Stola & bireto Clericali.*

XII. Ex Mandato Franciſci Harlæi Campo-valonij Archiepiſcopi Pariſienſis, *De convocatione Synodi*, dato Pariſiis an. 1673. die Junij 16.[a] *Præcipimus vobis, ut die Iovis 6.*

[a] Nous vous ordonnons de vous trouver en noſtre Palais Archiepiſcopal le Jeudy 6. jour du mois de Juillet prochain, à 7

Julij proximè ſequenti, hora ipſa ſeptima matutina, in Palatio noſtro Archiepiſcopali conveniatis, veſtes induti decentes, modeſtas & hujus actionis ſanctitati conſentaneas: nimirum Decani, Abbates, Priores, cum iis veſtibus quas vulgò geſtant in choro, & Parœci cum ſuperpelliceo & bireto; iiſdem Parœcis mandantes Stolam rubram induant, ut eo veſtitu nos ad Eccleſiam noſtram Metropolitanam proficiſcentes, Officium, ac conſuetas preces ibi facturos, comitentur. Hoc veſtitu Pariſienſes Parœci propemodum omnes celeberrimæ Synodo interfuerunt quam die Jovis 6. Julii anni 1673. præfatus Archiepiſcopus Pariſienſis Lutetiæ inſtituit, ut toti ferè Galliarum regno compertum eſt. Quod quidem tum ipſimet, cùm eorum deceſſores in præcedentibus Synodis Pariſienſibus obſervarunt; & in ea maximè quam Harduinus Perefixeus paucis ab hinc annis celebravit, quemadmodum luculenter oſtendi poſſet, ſi ejus Synodi Acta typis eſſent evulgata.

XIII. Denique ex *Ordine Cæremoniarum in Synodo Pariſienſi obſervandarum*, qui ad

heures preciſes du matin, veſtus d'habits decents, modeſtes & conformes à la ſainteté de cette action; c'eſt à ſçavoir les Doyens, Abbez, Prieurs, avec les habits qu'ils portent ordinairement au Chœur, & les Curez en ſurplis & bonnet carré; ordonnant auſdits Curez de prendre l'Eſtole rouge, pour nous accompagner en cét habit, lorſque nous irons en noſtre Egliſe Metropolitaine pour y faire l'Office & Prieres accoûtumées.

calcem ſtatutorum ultimæ Synodi Pariſienſis modò laudatæ Pariſiis editus eſt eodem anno 1673. [a] *Die Synodi hora ſeptima matutina quicumque convocantur, in majori aula Archiepiſcopali ſiſtent ſe ſuperpelliceis induti Parœci Stola rubra & Canonici almutia.*

a Le jour du Synode au matin à 7. heures, tous ceux qui ſont convoquez ſe trouveront dans la grande Sale de l'Archeveſché en ſurplis ; les Curez avec l'Eſtole rouge, & les Chanoines avec l'aumuſſe.

CAPUT XXV.

Quæ in capitibus 23. & 24. modò dicta ſunt evidenter probant. I. Paræcis licere ſtolam in Synodis geſtare vel coram Cardinalibus, S. A. Legatis, Archiepiſcopis & Epiſcopis. II. hunc eſſe plerarumque Gallicanæ Eccleſiæ Provinciarum uſum, & maximè Pariſienſis, cui ab an. 1622. diœceſis Carnotenſis Suffraganea eſt. III. Archidiaconos Stolam in Synodis non induere. IV. Paræcorum juriſdictionem coram Archidiaconis viſitantibus non extingui. V. Stolatos Synodis intereſſe Paræcos ut Stola tanquam ſingulari ſigno ab aliis ſecernantur. VI. denique Paræcos in Archidiaconorum viſitationibus Stola exui ullo jure non poſſe, cùm ea in Synodis ab Eccleſiæ Pontificibus ſummis non exuantur.

POST recenſita duobus ſupremis capitibus abſque ulla propemodum obſervatione variarum diœceſeon Statuta Synodalia, Rituales libros, ac Epiſcopalia mandata quædam, quibus Paræci Stolam in Synodis geſtare præcipiuntur, jam quæ ex iis ad rem noſtram confici poſſunt obſervemus.

Primum eſt, alicubi à Preſbyteris ſeu ſacerdotibus quibuſlibet deferri Stolam in Sy-

Duo autem heic nobis videntur refellenda, quæ in cauſa Philippi Marii Piſciacenſis in Carnotenſi Eccleſia Archidiaconi adverſus Franciſcum Arnulphum Campoburciacenſem Priorem & Præjectum Cevallerium Orgevallenſem Parœcum, contra Milonis noſtri *Statuta* ſeu *præcepta Synodalia*, coram Officiali Carnotenſi objecta ſunt: alterum, non fuiſſe executioni demandata: alterum autem non exſtare illa: Quæ duo perperam aſſeverantur.

Primò enim, ætatis noſtræ homines, de his quæ exeunte quinto-decimo Eccleſiæ ſæculo conſtituta ſunt, & lapſu temporum ad nos uſque propagata, quomodo ferre poſſunt teſtimonium? Unde habent ejuſmodi *præcepta* minimè fuiſſe executioni tradita, minimè fuiſſe uſu recepta? Si quos nacti ſunt iſtius rei Auctores, quare tacent, quare diſſimulant, quare non indicant, ut eorum dictis habeatur fides? At hoc inconſultè ab iis jactatum hinc colligitur, quòd multa Præceptis illis conſentanea omninò in Epiſcoporum Carnotenſium Milonis Iſſerenſis ſucceſſorum, Ludovici Guillardi & Caroli Guillardi *Conſtitutionibus Synodalibus*, ac Nicolai Thuani *Norma piè vivendi præſcripta Parochis Carnotenſibus*, *an.* 1575. & *Statutis ſacræ Synodi Carnotenſis, an.* 1587. reperiantur. Exemplum ſit illud propoſito noſtro maximè congruens. Stolatos Synodis intereſſe Parœcos ſancivit Milo: Idipſum quoque Carolus Guillardus ſtatuit in articu-

o ultimo Statutorum Synodalium, an. 1559. ut poſtea referemus.

Secundò, qua confidentia non exſtare aiunt ejuſmodi *Præcepta Synodalia?* An quia non viderunt, non exſtare opinantur? Sed numquid viderunt omnia quæ exſtant, homines rerum uſu non adeo periti? Illuſtriſſimi Carnotenſis Epiſcopi χαρτοφυλάκιον evolvant, ſi licet, & *Synodalium* de quibus agitur *Præceptorum* codicem, ſpero, invenient. Quòd ſi non vacat, ſciant illa an. 1489. Pariſiis fuiſſe edita, eorúmque exemplar unum in Bibliotheca Abbatiæ B. Mariæ Joſaphatenſis, Ordinis S. Benedicti, prope Carnotum aſſervari, ex quo exemplari quæ modò recenſuimus petita ſunt, ſicut & integra *De feſtorum ſolemnizatione* Rubrica, quam in cap. 23. noſtri *De feſtorum dierum imminutione* Libri an. 1668. *Lugduni apud Petrum Guilliminum in vico Bellæ-corderiæ*, editi, retulimus. Sciant hæc *Statuta* novem Rubricis concludi; hoc eſſe ipſorum initium: *In nomine & ad decus & honorem Summæ, ſanctiſſimæque Trinitatis divinæ, &c.* hunc eſſe finem: *Impreſſa & exarata finiunt feliciter, anno ſalutis milleſimo cccc. octuageſimo nono, die autem quindecima Martii:* Et poſtmodo qua ratione Carnotenſis diœceſis Parœcos Stolam in Synodis nunquam geſtaſſe profeſſi ſint, nobis exponant.

V. Ex ſtatutis Synodalibus diœceſis Pariſienſis, Stephani Poncherii ex Cancellario

Mediolanenſi & Galliarum Pro-Cancellario Pariſienſis Epiſcopi, ac demum Senonenſis Archiepiſcopi, an. 1515. propoſitis. Rubrica 1. *In primis ſtatuimus & ordinamus ut accedant & perſonaliter compareant ad noſtram Synodum ſanctam bis in anno, Abbates, Decani, Curati & alii Eccleſiarum parochialium Rectores, quarum Eccleſiarum & dignitatum nomina in regiſtris noſtris ſcripta ſunt: videlicet Iovis poſt Dominicam* de Miſericordia, *& Iovis poſt Lucam. Et veniant jejuni inter ſeptimam & octavam de mane in Eccleſia Pariſienſi ſponſa noſtra, in qua devote & reverenter audiant Miſſam de* S. Spiritu, *qua ad horam octavam celebrabitur in choro, & in navi Antiphonam* Ave Regina; *& immediatè poſt aſſiſtant in aula ſuperiori domus noſtra Epiſcopalis Pariſienſis, Curati cum ſuperliciis & Stolis, veſte talari, camaliis aut almutiis.* Tum in Rubrica 2. *Omnes qui ad hanc Synodum venire tenentur, & non venerint in decenti & honeſto habitu, videlicet ſuperliciis & Stolis, niſi ſint legitimè excuſati, contumaces reputamus.*

VI. Ex ſtatutis Synodalibus diœceſis Aurelianenſis, Germani Ganaii primùm Senatoris Pariſienſis, poſtea Epiſcopi Cadurcenſis, ac deinde Aurelianenſis Eccleſiæ Pontificis, an. 1516. die 14. Maii, Tit. 1. *Item quod* Curati *intrent Synodum qua celebratur tempore æſtivali, induti albis & Stolis: illam verò qua celebratur*

lebratur hiemali tempore in menſe Octobri, intrent induti ſuperliciis & Stolis dumtaxat.

VII. Ex Satutis Synodalibus diœceſis Pariſienſis Euſtachii Bellaii Pariſienſis Epiſcopi, an. 1557. can. 1. *Qui jure huic Synodo intereſſe tenentur, decenti habitu, ſuperliciis & Stolis, tonſura & barba raſi conveniant.*

VIII. Ex ſtatutis Synodalibus *per Reverendum in Chriſto Patrem & Dominum Epiſcopũ Carnotenſem editis an. Dom.* 1559. *die Synodi* 25. *Novembris,* articulo ultimo: *Omnibus & ſingulis Curatis nobis ſubditis mandamus & injungimus ut in habitu decenti cum ſuperliciis & Stola compareant perſonaliter coram nobis aut Vicariis noſtris generalibus ſingulis annis in noſtra Synodo feria 4. poſt feſtum* S. *Lucæ in Eccleſia Carnotenſi hora octava de mane, ac dictæ Synodi celebrationi reverenter interſint,* &c. Synodi illius (quæ à Carolo Guillardo Epiſcopo Carnotenſi habita eſt) ſtatuta typis edita non novi. Eorum tantùm exemplar MS. nactus ſum in Bibliotheca C. V. Blaſii Feronii Doctoris ac Socii Sorbonici & Carnotenſis Eccleſiæ Canonici.

IX. Ex ſtatutis Synodalibus Germani Valentis Guellii, Epiſcopi Aurelianenſis an. 1587. Tit. 1. *Statuimus & ſub gravi pœna præcipimus ut ſinguli compareant veſte honeſta & nigro colore induti, coma raſi & barba, tonſura apparente in capitis vertice, ſuperpellicio mundo &*

Stola, qui modeſtè ac reverenter in omnibus ſe gerere curent. Et poſtea : *In Synodo quæ die Mercurii poſt feſtum Pentecoſtes celebratur immediatè, qui præſentes fuerint Eccleſiam ingreſſuri, alba induti eſſe debent & Stola. In hyemali verò, ſuppellicio & Stola.*

X. Ex Statutis Synodalibus Eminentiſſimi Cardinalis Petri Gondij Pariſienſis Epiſcopi, quæ an. 1596. Commentariis illuſtrata publici juris fecit Johannes Broüetus in Pariſienſi Senatu Advocatus & Epiſcopalis Curiæ Pariſienſis Promotor, ſtat. 1. *Clerici Synodo adeſſe debent induti ſuppelliceis, Stolis, tonſura, barbaque raſa, ſub pœna excommunicationis.*

XI. Ex Codice Statutorum Synodalium Alphonſi Delbennei Aurelianenſis Epiſcopi, an. 1664. Tit. 1. num. 5. *Statuimus ut die Synodi hora ſeptima matutina, ſolitis campanæ ictibus evocati omnes in loco conſtituto conveniant, coma & barba decenti; tonſura in vertice capitis apparente, veſte talari & honeſta, cum ſuperpelliceo mundo, Stola & bireto Clericali.*

XII. Ex Mandato Franciſci Harlæi Campo-valonij Archiepiſcopi Pariſienſis, *De convocatione Synodi*, dato Pariſiis an. 1673. die Junij 16.[a] *Præcipimus vobis, ut die Iovis 6.*

[a] Nous vous ordonnons de vous trouver en noſtre Palais Archiepiſcopal le Jeudy 6. jour du mois de Juillet prochain, à 7

Iulij proximè ſequenti, hora ipſa ſeptima matutina, in Palatio noſtro Archiepiſcopali conveniatis, veſtes induti decentes, modeſtas & hujus actionis ſanctitati conſentaneas: nimirum Decani, Abbates, Priores, cum iis veſtibus quas vulgò geſtant in choro, & Parœci cum ſuperpelliceo & bireto; iiſdem Parœcis mandantes Stolam rubram induant, ut eo veſtitu nos ad Eccleſiam noſtram Metropolitanam proficiſcentes, Officium, ac conſuetas preces ibi facturos, comitentur. Hoc veſtitu Pariſienſes Parœci propemodum omnes celeberrimæ Synodo interfuerunt quam die Jovis 6. Julii anni 1673. præfatus Archiepiſcopus Pariſienſis Lutetiæ inſtituit, ut toti ferè Galliarum regno compertum eſt. Quod quidem tum ipſimet, cùm eorum deceſſores in præcedentibus Synodis Pariſienſibus obſervarunt; & in ea maximè quam Harduinus Perefixeus paucis ab hinc annis celebravit, quemadmodum luculenter oſtendi poſſet, ſi ejus Synodi Acta typis eſſent evulgata.

XIII. Denique ex *Ordine Cæremoniarum in Synodo Pariſienſi obſervandarum*, qui ad

heures preciſes du matin, veſtus d'habits decents, modeſtes & conformes à la ſainteté de cette action; c'eſt à ſçavoir les Doyens, Abbez, Prieurs, avec les habits qu'ils portent ordinairement au Chœur, & les Curez en ſurplis & bonnet carré: ordonnant auſdits Curez de prendre l'Eſtole rouge, pour nous accompagner en cét habit, lorſque nous irons en noſtre Egliſe Metropolitaine pour y faire l'Office & Prieres accoûtumées.

calcem ſtatutorum ultimæ Synodi Pariſienſis modò laudatæ Pariſiis editus eſt eodem anno 1673. [a] *Die Synodi hora ſeptima matutina quicumque convocantur, in majori aula Archiepiſcopali ſiſtent ſe ſuperpelliceis induti Parœci Stola rubra & Canonici almutia.*

a Le jour du Synode au matin à 7. heures, tous ceux qui ſont convoquez ſe trouveront dans la grande Sale de l'Archevêché en ſurplis; les Curez avec l'Eſtole rouge, & les Chanoines avec l'aumuſſe.

CAPUT XXV.

Quæ in capitibus 23. & 24. modò dicta ſunt evidenter probant. I. Parœcis licere ſtolam in Synodis geſtare vel coram Cardinalibus, S. A. Legatis, Archiepiſcopis & Epiſcopis. II. hunc eſſe plerarumque Gallicanæ Eccleſiæ Provinciarum uſum, & maximè Pariſienſis, cui ab an. 1622. diœceſis Carnotenſis Suffraganea eſt. III. Archidiaconos Stolam in Synodis non induere. IV. Parœcorum juriſdictionem coram Archidiaconis viſitantibus non extingui. V. Stolatos Synodis intereſſe Parœcos ut Stola tanquam ſingulari ſigno ab aliis ſecernantur. VI. denique Parœcos in Archidiaconorum viſitationibus Stola exui ullo jure non poſſe, cùm ea in Synodis ab Eccleſiæ Pontificibus ſummis non exuantur.

POST recenſita duobus ſupremis capitibus abſque ulla propemodum obſervatione variarum diœceſeon Statuta Synodalia, Rituales libros, ac Epiſcopalia mandata quædam, quibus Parœci Stolam in Synodis geſtare præcipiuntur, jam quæ ex iis ad rem noſtram confici poſſunt obſervemus.

Primum eſt, alicubi à Preſbyteris ſeu ſacerdotibus quibuſlibet deferri Stolam in Sy-

nodis coram Pontificibus. Sic enim à Simone & Galone Apoſtolicis Legatis, à Mauritio Cœnomanenſi Epiſcopo, à Philippo Firmano Epiſcopo & S. A. Legato, Odone de Soliaco Pariſienſi Pontifice, à Milone Tallio Epiſcopo Aurelianenſi, à Milone Iſlerenſi Carnotenſium Præſule, à Iacobo Syllio & Petro Valla Epiſcopis Sagienſibus, à Roberto Croyio Cameracenſi Epiſcopo, à Raymundo Marthonienſi & Franciſco Fayetano, Lemovicenſibus Epiſcopis, à Nicolao Grilliæo Uceticenſi Pontifice, & à Gabriele Bellovello Epiſcopo Nannetenſi, decretum legimus. Niſi fortè eorum aliqui *Sacerdotum* ac *Presbyterorum* nomine Parœcos κατ' ἐξοχὴν intelligant, qui ita apud veteres Eccleſiaſticarum rerum Scriptores ſæpiùs appellantur, quemadmodum antea notavimus. Si vero Preſbyteris & Sacerdotibus omnibus universè & abſque ullo diſcrimine, Stolæ uſus in Synodis conceditur, Parœcis in Archidiaconorum viſitationibus cur non concedetur?

Secundum, non tantùm coram Epiſcopis Stolam in Synodis geſtari à Parœcis, ſed etiam (ut ex Galonis & Simonis, Franciſci Firmani Epiſcopi, Antonii Barrei, Caroli Borbonij, Ludovici Lotharingi, Petri Gondij, & utriuſque Franciſci Harlæi Campo-valonij, conſtitutionibus conſtat) coram Cardinalibus, ſedis Apoſtolicæ Legatis, & Archiepiſcopis, qui nullam inde dignitati auctoritati-

que ſuæ injuriam irrogari putant. Quod contra fit ab Archidiaconis, quibus vehementer dolet, ſi quando Parœcos ſuis in viſitationibus Stolatos deprehendant.

Tertium, hunc eſſe plerarumque Gallicanæ Eccleſiæ provinciarum uſum, ut Stolas induti Synodis ſe ſiſtant Parœci. Cujus ſanè rei fidem faciunt haud dubiam, in *ſecunda Lugdunenſi*, antiquus Rotomagenſis Eccleſiæ Ritualis liber, Synodus Bajocenſis an. circiter 1300. Synodus provincialis Rotomagenſis, an. 1581. Synodus diœceſana Rotomagenſis, an. 1631. Liber Synodalis Epiſcopatus Sagienſis, an. 1532. & 1547. Statuta Synodalia Epiſcopatus Lexovienſis, an. 1651. & *Parochiale* ſeu *Sacerdotale* Eccleſiæ Rotomagenſis eodem, an. 1651. editum. In *tertia Lugdunenſi*, Synodus Turonenſis, an. 1537. Cœnomanenſis circa an. 1231. liber Synodalis Epiſcopatus Cœnomanenſis an. 1489. & Statuta Synodalia diœceſis Nannetenſis, an. 1642. In *quarta Lugdunenſi*, Statuta Synodalia Odonis de Soliaco, Stephani Poncherij & Euſtachij Bellaii ac Petri Gondij, Pariſienſium Epiſcoporum, *Mandatum* Franciſci Harlæi Pariſienſis Archiepiſcopi, & *Ordo Cæremoniarum in Synodo Pariſienſi obſervandarum*; Conſtitutiones Synodales Milonis Iſſerenſis & Caroli Guillardi Carnotenſium Pontificum, Milonis Tallij; Germani Ganaij, Germani Valentis Guellij, & Alphonſi Delbennci, Aurelia-

nenſium Præſulum. In *Secunda Belgica*, Synodus provincialis Remenſis an. 1583. Et Synodalia Statuta Caroli Rucyenſis Epiſcopi Sueſſionenſis. In *tertia Belgica*, Statuta Synodalia Cameracenſis diœceſis an. 1550. Acta Concilij provincialis Cameracenſis an. 1565. Statuta Synodalia Atrebatenſis diœceſis, an. 1569. In *Aquitanica prima*, Ordinationes Raymondi Marthonienſis & Franciſci Fayetani Epiſcoporum Lemovicenſium, Statuta Synodalia Alani Solminiacenſis Cardurcorum Epiſcopi. In *Aquitanica ſecunda*, Statuta Synodalia Aymerici de Montibus & Simonis de Cramaudo Pictavienſium Epiſcoporum. Denique In *Narbonenſi prima*, ſive *ſecunda Viennenſi*, Nicolai Grilliæi Epiſcopi Uceticenſis conſtitutiones Synodales.

Budenſis ac Neapolitanæ proviciarum conſuetudines, quibus teſtimonium præſtant Concilium Budenſe an. 1279.& Bartholomeus Gavantus, heic omitto, ut in unis Galliis hæream, quarum in omnibus provinciis haud difficiliter probare poſſem Stolatos Synodis adeſſe Parœcos, ſi ſingularum diœceſeon Synodi ac Satuta Synodalia meas ad manus devenissent. Sed his tantùm immoror quæ produxi, & quorum non debet eſſe levis auctoritas. *Univerſa* enim *pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri, niſi ſua Canonibus reverentia intemerata ſervetur*, quemadmodum ait S. Leo in Epiſt. 62. ad Maximum Antiochenſem

Antiochenſem Epiſcopum, cap. 4.

Quartum, Carnotenſis diœceſis Parœcos jam à multis annis Stolam in Synodis geſtaſſe, ſicut ex Milonis Iſſerenſis & Caroli Guillardi Carnotenſium Pontificum *præceptis ſtatutiſque Synodalibus* evincitur; idque Pariſienſis diœceſis mori congruenter, non ſolùm quo tempore Senonenſi Metropolitano parebat (ut Odonis de Soliaco, Stephani Poncherij, Euſtachij Bellaij & Petri Gondij Synodalia Statuta commonſtrant: verùm etiam ab anno 1622. quo Lutetia totius Gallicani regni Princeps & caput in Metropolim evaſit ſub Gregorio XIII. velut in Franciſci Harlæi Campo-valonij *Mandato* & *Ordine Cæremoniarum in Synodo Pariſienſi obſervandarum*, videre licet. Idcirco Carnotenſibus in Synodis, ſi quando haberentur, indui poſſet Carnotenſibus Parœcis Stola, non modò quòd veteribus Carnotenſis diœceſeos conſtitutionibus ita ſanciatur: ſed etiam quòd ea ſit Pariſienſis Archiepiſcopatus conſuetudo, à qua Suffraganeis in Epiſcopatibus temerè recedendum non videtur.

Quintum, Archidiaconis non præcipi, ut Stola veſtiti in Synodis compareant, ſed *cappis ſericis*, ſecundùm Statuta Synodalia Ludovici de Barro Cardinalis & Epiſcopi Lingonenſis, & antiquum Rotomagenſis Eccleſiæ Ritualem librum. Præterea in *Ordine Cæremoniarum in Pariſienſi Synodo obſervan-*

Bb

darum, Canonicis ſola aſſignatur almutia in Synodis ferenda, Archidiacono autem Pariſienſi *cappa rubra.* [a] Atqui ſi Stolam juriſdictionis argumentum eſſe profiteantur Archidiaconi, nulla ipſos in Synodis quibus Stolati non interſunt, juriſdictione potiri liquet, Parœcos autem aliqua potiri. Contrà verò ſi ſtolam juriſdictionis ſignum non eſſe conceſſerint, cur pro ea Parœcis in viſitationibus ſuis detrahenda, tamquam pro aris & focis depugnant?

Sextum, quantumvis Stola juriſdictionem deſignaret, quid aliud inde colligeretur, niſi inferioris juriſdictionis inſigne, cum ſuperioris juriſdictionis nota ſtare poſſe, quòd in Synodis à Parœcis æquè ac Pontificibus deferatur? Atque ideo Parœcorum juriſdictionem, etſi ejuſdem eſſet cum Archidiaconali ordinis & generis (quod tamen falſum eſſe antea probavimus) coram viſitantibus Archidiaconis non extingui, cùm in Synodis coram Epiſcopis, Archiepiſcopis, Cardinalibus & ſedis Apoſtolicæ Legatis extingui non credatur.

Septimum, Stolatos adeſſe Synodis Parœcos pluribus ex cauſis: ſed maximè ut hoc exteriori ſigno ab aliis ſecernantur. Quemadmodum enim in Synodis Pontifices Pontificalibus, Abbates Abbatialibus indumentis, &

[a] Tous ceux qui ſont convoquez ſe trouveront en ſurplis, les Curez avec l'Eſtole rouge, & les Chanoines avec l'aumuſſe, Monſieur l'Archidiacre de Paris en chappe rouge.

Canonici almutia : ſic Parœci Stola internoſcuntur. Unde cùm in Archidiaconorum viſitationibus Parœci ut plurimùm ab aliis, putà à Vicariis ſuis, ceteriſque ſibi ſubjectis Sacerdotibus, diſtingui neceſſe habeant : quo jure, quóve titulo in ejuſmodi viſitationibus Stola ſpoliantur, quandoquidem id neque ullo Conciliorum Canone, neque ullo Canonici Juris decreto, neque ulla Epiſcopali conſtitutione ſancitur? Archiepiſcopus aliquis ſi Suffraganeos ſibi viſitaret Epiſcopos, an eos Pontificalibus veſtibus exueret? Epiſcopus Cathedralis Eccleſiæ ſuæ Canonicos viſitans, eos ſi deponere juberet almutiam, quam S. Carolus Borromæus in Concilio provinciali Mediolanenſi 5. part. 3. ſcribit eſſe *Inſigne honoris Canonici* : bone Deus! quas rixas non moverent? Quas turbas non excitarent? In qua rerum confuſione non verſarentur? Numquam profectò illam in Epiſcoporum viſitationibus abjicerent, cujus ita non ſolùm amici, ſed etiam amatores ſunt, ut inter concionandum, vel in externis Eccleſiis, ferant, quamvis almutiam divini verbi præconum veſtem eſſe nemo dixerit umquam, ac ne ſomniaverit quidem. Cur itaque Parœcis in Archidiaconorum viſitationibus ſignum illud detrahetur, quo illorum notatur dignitas?

Longè ſecus Concilium provinciale Aquenſe an. 1581. ſub Alexandro Canigiano Aquenſi Archiepiſcopo, dum in Tit. *De Parochis*

& animarum Curatoribus, ita ſtatuit: *Parochi in urbe, & in oppidis ſaltem inſignioribus conſtitui, ut à reliquis ſacerdotibus animarum curam non gerentibus internoſcantur, ſignum aliquod, quod proprium illorum inſigne ſit, ab Epiſcopis in diœceſana Synodo eis præſcribendum, ferant cùm domo exeunt ſuper exteriorem veſtem, & ſupra ſuperpelliceum cùm in Eccleſia ſunt, aut proceſſiones, aliáſque ejuſmodi publicas actiones obeunt.* Et in Tit. *De Synodo diœceſana*, ait: *Qui Synodo intereſſe debent, ne interſint ſine ſuperpelliceo integro & mundo. Curati prætereà deferant ſignum illud quod Epiſcopus eis præſcribet, ut ſupra ſtatutum eſt, ſub duorum aureorum pœna, arbitrio Epiſcopi locis piis applicanda.* Longè ſecus etiam Concilium provinciale Toloſanum an. 1590. ſub Franciſco Joyoſano Cardinali & Archiepiſcopo Toloſano, part. 1. cap. 3. num. 13. ubi dicit *Parœcos æquum eſſe ab aliis ſacerdotibus, quibus nulla incumbit animarum cura, dignoſci*; decernitque ut *quoties proceſſionibus publiciſque aliis actibus intererunt, ſacraſve actiones exercebunt, ſuperpelliceo, caputioque (quod proprium illorum inſigne eſt) conſpicui incedant.*

Sapienter nimirum præcipiunt duo illa provincialia Concilia Parœcos tum in Synodo, cûm extra domũ, atque etiam in Eccleſia, ſigno aliquo *à reliquis ſacerdotibus animarũ curam*

non gerentibus, diſtingui. Signũ illud in Synodis ſtolam eſſe declarant varia variarum Gallicanæ Eccleſiæ diœceſeon Statuta Synodalia, Rituales libri, & Epiſcopalia aliquot Mandata. Declarat & Bartholomæus Gavantus in *Praxi exactiſſima Synodi diœceſanæ*, part. 1. cap. 13. *de habitu Cleri*, num. 5. ubi Stolam Neapoli in Synodis à Rectoribus Eccleſiarum portari teſtatur, *ut dignoſcantur ab aliis*. Stolam in ſuis viſitationibus ſignum illud eſſe negant Archidiaconi; Stola fugantur, Stola terrentur, Stola à viſitationibus deterrentur, Stola ad iracundiam, ad tumultus, ad ſeditiones, ad lites incitantur. Nec animadvertunt interea, Stolam ſuis in viſitationibus geſtari à Parœcis dum queruntur, & ſeipſos, & Parœcos afficere ignominia. Parœcos quidem, quos ſuæ dignitatis inſigne ac ornamentum ſingulare volunt abiicere; Seipſos verò, quod non ita à Parœcis Stola exutis, quàm Stolatis honorentur: & multò glorioſiùs Archidiaconis ſit, Stolatos quàm non Stolatos Parœcos viſitare.

Quare numquam mihi benè perſpecta fuit Archidiaconorum hac in re agendi ratio. *Vbi Reges* (inquit Clariſſimus Talæus actione forenſi in cauſa Ambianenſis Epiſcopi & Royenſis Decani) [a] *in juſtitiæ tribunali ſe-*

[a] Lorſque les Roys tiennent leur lit de Juſtice, les Magiſtrats ſe dépoüillent-ils des ornemens de leur Magiſtrature? Lorſque le Prince fait la reveuë de ſes ſoldats, les ſoldats ont-ils

dent, an dignitatis ſuæ inſignia Magiſtra'us exuunt? Vbi Princeps luſtrat exercitum, an milites balteum, militaris profeſſionis ſignum diſcingunt? Sed etſi ſecus eveniret, ipſos in eo imitari non deberent Archidiaconi: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic. Liceat mihi hoc in loco S. Johannis Chryſoſtomi verba ex homilia 26. in cap. 11. 1. ad Corinth. ad propoſitum accommodare: *Principem* (inquit os illud aureum) *qui ad Regem accedit, oportet habere ſignum imperii ac principatus:* Τὸ τῆς ἀρχῆς σύμβολον ἔχειν δεῖ. *Quando ergo nullus ex Principibus abſque zona & læna audebit apparere coram eo qui eſt redimitus diademate: ita nec tu abſque ſignis imperii & principatus. Effice ut ſit tuus principatus & imperium ſplendidum. Erit autem ſplendidum, quando eum qui tuo regitur imperio ignominia non affeceris. Et quomodo qui fungitur munere regio, eo apparebit præclarior & magnificentior, quo præclariorem & magnificentiorem ſuum effecerit Vicarium,* τὸν ὕπαρχον: *Sin autem deſpicatui habuerit & contumelia affecerit dignitatis illius magnitudinem, ſuæ quoque gloriæ non parvam amputabit partem. Tu quoque ſi eum qui poſt te imperat probro & dedecore affeceris, non levi damno afficies*

accoutumé de deſceindre leur baudrier, qui eſt la marque de leur profeſſion militaire. Et quand ils en uſeroient autrement les *Archidiacres* ne devroient pas les imiter en ce rencontre; *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non ſic.*

honorem tui principatus. Quæ cum ita ſint, quid Archidiaconis incommodant Parœci dum ipſis in eorum viſitationibus occurſant cum Stola, quæ Parœcialis dignitatis, imperii & principatus (ſi fas ita loqui) honor eſt propè ſingularis, certiſſimúmque σύμβολο.

Octavum denique, Parœcos, etſi dignitate inferiores eſſent (quod non conceſſerim) ab Archidiaconis viſitantibus Stola exui ulla ratione non poſſe; cùm nequidem hanc à Parœcis abiici in Synodis ſtatuant Eccleſiæ Pontifices, Archidiaconis longè ſuperiores, multiſque titulis illuſtriores.

CAPUT XXVI.

Quod diſcrimen Synodos inter ac viſitationes ſtatuunt Archidiaconi, futile eſt ac frivolum. In Synodis Parœcos æquè ac Epiſcopos argui poſſe & judicari, variis Conciliorum Canonibus oſtenditur. Parœci olim habuere ſedem in Conciliis, etiam præſente Romano Pontifice. Idcirco celebrantur Concilia, ut vel firmetur Catholica fides, vel Chriſtianorum mores corrigantur. Licèt in Archidiaconorum viſitationibus Parœci poſſint argui judicarique, ubi leviores cauſæ aguntur, non tamen in iis ſunt Stola ſpoliandi: cùm eam in Synodis, in quibus argui judicarique de gravioribus controverſiis poſſunt, coram Eccleſiæ Pontificibus induant.

AT alia eſt (inquiunt Archidiaconi quidam in Eccleſiaſtica ſcientia parum exercitati) Synodorum, alia Viſitationum Archidiaconalium ratio. Synodis enim interſunt Parœci, ut Epiſcopis conſilium dent, & cum eo judicent; Archidiaconalibus autem viſitationibus, ut arguendi, & judicandi ab Archidiaconis. In illis juriſdictione aliqua gaudent: in his nulla, cùm tunc temporis tota eorum juriſdictio ad Archidiaconos transferatur. Ac

proinde licèt in Synodis geſtandæ Stolæ facultatem habeant, in Archidiaconalibus viſitationibus non habent.

Mirum profectò tam futile, tam frivolum, támque miſerabile ratiocinationis genus ab ejuſmodi Archidiaconis adduci. Si enim (quemadmodum opinantur, latiſſimum eſt Synodos inter & Archidiaconales viſitationes diſcrimen, unde illud, ad Stolæ geſtationem quod attinet, in Pariſienſi Archiepiſcopatu aliiſque bene multis, deprehenſum non fuit, ubi Parœci & Synodis, & Archidiaconorum viſitationibus Stolatos ſe ſiſtunt? Unde eruditiſſimus juxta ac perſpicaciſſimus Talæus Stolam idcirco in viſitationibus ferendam probat, quia fertur in Synodis? [a] Unde Royenſis Eccleſiæ Decanum Ambianenſi Epiſcopo cum Stola occurrentem, id obſervaſſe pronunciat quod Concilio provinciali Remenſi an. 1583. cautum eſt, ut nimirum Stolati Synodis interſint Parœci?

Sed quantumvis aliam Synodorum, aliam verò viſitationum Archidiaconalium rationem eſſe fateamur: num ideo Parœci Stola, quam coram Epiſcopis portant in Synodis, in quibus ab Epiſcopis argui ac judicari poſſunt,

[a] On peut dire que le Doyen de Roye a obſervé le Concile de Reims tenu en 1583 Ce Concile provincial, qui doit ſervir de regle à tous ceux du Dioceſe d'Amiens dans les choſes douteuſes, a expreſſement ordonné aux Curez d'aſſiſter aux Synodes avec leurs Eſtoles. *Plaidoyer de Monſieur Talon dans la cauſe de Monſieur l'Eveſque d'Amiens contre Monſieur le Doyen de Roye.*

in Archidiaconalibus viſitationibus ſpoliandi ſunt, quia in eis arguuntur & judicantur ab Archidiaconis? An non etiam aliquando in Synodis arguuntur & judicantur Parœci, ſi arguendi ſunt & judicandi? Numquid in eo erunt conditione vel deteriores, vel potiores Epiſcopis? At Epiſcopos in Synodis argutos judicatóſque qui neſcit, hoſpitem ſe & peregrinum omnino in hiſtoria Eccleſiaſtica profitetur. Quis enim neſcit & Marcellinum Romanum Pontificem in Concilio Sinueſſano, & Potamium Bracarenſem Epiſcopum in Concilio Toletano 10. Et Macharium Antiochenſem Pontificem unâ cum ejus diſcipulis aliquot, in Concilio generali ſexto, & Baſilium Ancyranum Præſulem, & Theodorum Cyrum Epiſcopum Myron, & Theodoſium Epiſcopum Amorii, in Concilio Nicæno 2. & Photium Conſtantinopolitanum Patriarcham in Concilio Conſtantinopolitano 8. & Hincmarum Laudunenſem in Concilio Duziacenzi 1. & ſexcentos alios aliis in Conciliis argutos & judicatos eſſe, ut Conciliorum acta repræſentant? Nonne idem quoque ex Conciliorum Canonibus patet, præſertimque ex Concilii Arelatenſis 2. can. 31. ex Concilii Antiocheni 1. can. 4. 12. 14. 15. 18. 22. & 25. Ex Concilii Sardicenſis can. 4. ex Concilii Carthaginenſis 4. can. 25. 28. ac 29. & ex Concilii Chalcedonenſis can. 9. *Siquis Epiſcopu* (inquit Concilium Antiochenum can.

15.) *de certis criminibus accuſatus condemnetur ab omnibus Epiſcopis ejuſdem provinciæ, cunctique conſonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullomodo judicari, ſed firmam concordantium Epiſcoporum provinciæ manere ſententiam. Si Clericus* (verba ſunt Concilii Chalcedonenſis in can. 9.) *adverſus ſuum vel alium Epiſcopum, habeat cauſam, apud audientiam Synodi provinciæ ejus conquera:ur.*

Quod ſi ſecundùm veteres Eccleſiæ Canones Epiſcopi in Synodis corripiendi ſunt & judicandi: quidni eodem modo cum Parœcis & Preſbyteris agetur, quos olim ſedem habuiſſe in Conciliis, vel ipſo Romano Pontifice præſente & præſidente, patet ex Conciliis Romanis ſub S. Leone, an. 444. ſub Hilaro, an. 467. ſub Gelaſio, an. 495. aliiſque Pontificibus; Et ex *Ordine celebrandi Concilii, deſumpto ab Iſidoro Mercatore ex 4. Concilio Toletano cap. 4. & Garſiæ Loaïſæ Hiſpanicorum Conciliorum editoris diligentia emendato*. Probantque luculentiſſimè Johannes Fileſacus Pariſienſis Theologus in libro *de Parœcia*, ſive *de Parœciarum & Parœcorum origine, nec non de miſſa Parœciali*; cap. 4. ac Petrus Moreſtellus Doctor Theologus, & Eccleſiæ Parœcialis S. Nicolai *de Tallia* in diœceſi Rotomagenſi Rector, 2. part. *Vexilli Prælatorum & Clypei Paſtorum*, cap. 10. num. 1.

Et verò Preſbyteros in Synodis judicatos nonne apertè oſtendunt iſta vocabula, è lib. 5. Capitularium Karoli Magni & Ludovici Pij, art. 218. repetita? *Preſbyteros criminoſos Canonicè ad Synodum venientes jubemus juxta decreta Papæ Innocentii cap. 33. in medio collocari. Diſcuſſiſque objectionibus quæ ipſis Preſbyteris impinguntur, ſi convinci potuerint, à ſacerdotali removeantur officio, quia qui ſancti non ſunt, ſancta tractare non poſſunt, atque alieni efficiantur à miniſterio, quod vivendo illicitè polluerunt. Et ſi convinci non potuerint, ſecundum anterius capitulum conſultu Leonis Papæ & multorum Epiſcoporum ſtatutum cum aliis Preſbyteris & fidelibus juſtiſque hominibus ſatisfaciant Epiſcopo ſuo & populo.* Id ipſum quoque innuit Martinus Bracarenſis Epiſcopus in cap. *Propter*, Diſt. 18. *Propter Eccleſiaſticas cauſas* (inquit) *& altercationum ſolutiones, bene placuit per ſingulas provincias bis in anno Concilium fieri, convocante Metropolitano Epiſcopo omnes provinciales Epiſcopos, itaut ad Concilium veniant omnes Preſbyteri & Diaconi, vel ſi qui ſe læſos exiſtimant, ut in Concilio cauſa examinata ad juſtum judicium perducantur. Et ſi qui manifeſtè Epiſcopi, vel Preſbyteri, vel Diaconi, inventi fuerint in offenſa, ſecundum rationem excommunicentur, quamdiu communi conſenſu de his placuerit dare ſententiam.*

Atque hoc ita veritati conſentaneum eſſe exiſtimavit Concilium Hiſpalenſe 2. an. 619. ut in canone 6. decreverit Preſbyteros ac Diaconos de ſuo gradu ab unis Epiſcopis pelli non poſſe, ſed à Synodo tantùm. *Sexta actione comperimus* (inquit) *Fragitanum Cordubenſis Eccleſiæ Preſbyterum à Pontifice ſuo injuſtè olim dejectum & innocentem exilio condemnatum. Quem rurſus ordini ſuo reſtituentes id denuo adverſus præſumptionem novam, decrevimus, ut, juxta priſcorum Patrum Synodalem ſententiam, nullus noſtrum ſine Concilii examine, deiiciendum quemlibet Presbyterum vel Diaconum audeat. Nam multi ſunt qui indiſcuſſos poteſtate tyrannica, non auctoritate Canonica damnant: & ſicut nonnullos gratiæ favore ſublimant, ita quoſdam odio, invidiaque permoti humiliant, & ad levem opinionis auram condemnant, quorum crimen non approbant. Epiſcopus enim ſacerdotibus ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt: auferre ſolus non poteſt. Si enim hi qui in ſæculo à Dominis ſuis honorem libertatis adepti ſunt, in ſervitutis nexum non revolvuntur, niſi publicè apud Prætores ac Præſides tribunali foro fuerint accuſati, quanto magis hi qui divinis altaribus conſecrati, honore Eccleſiaſtico decorantur? Qui profectò nec ab uno damnari, nec uno judicante poterunt honoris ſui privilegiis exui: ſed præſentati Synodali judicio, quod canon*

de illis præceperit, definiri. Quæ conformia ſunt Concilii Carthaginenſis quarti canoni 23. ubi legas: *Vt Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia Clericorum ſuorum: Alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentia confirmetur.*

Nunc ſi quo fine Concilia celebrentur, diſcutere lubeat, duplici inter alios celebrata reperiemus; Nempe ut Catholica fides ſtabiliatur, & maximè ut Clericorum, ceterorumque fidelium populorum mores emendentur. Probat hoc ex condicto & propoſito Cardinalis Bellarminus in lib. 1. *De Conciliis & Eccleſia*, cap. 9. & dilucidè poteſt variis ex Conciliis confirmari.

Laodiceno, canon. 40. *Quod non oportet Epiſcopos qui vocantur ad Synodum negligere ſed abire, & docere vel doceri, ad correctionem Eccleſiæ & reliquorum.*

Antiocheno 1. an. 341. can. 20. *Propter utilitates Eccleſiaſticas & abſolutiones earum rerum, quæ dubitationem controverſiamque recipiunt, optimè placuit ut per ſingulas quaſque provincias bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur..... Ipſis autem Conciliis adſint Presbyteri & Diaconi & omnes qui ſe læſos exiſtimant, & Synodi experiantur examen.*

Carthaginenſi 3. an. 397. can. 2. *Similiter placuit ut propter cauſas Eccleſiaſticas, quæ ad perniciem plebis ſæpe veteraſcunt, ſingu-*

lis quibuſque annis Concilium convocetur.

Chalcedonenſi, an. 451. can. 19. *Pervenit ad aures noſtras quòd in provinciis ſtatuta Epiſcoporum Concilia minimè celebrentur, & quod inde multa, qua correctione opus habent, Eccleſiaſtica res negligantur. Statuit igitur hac ſancta Synodus ſecundùm Patrum regulas bis in anno in unum convenire per ſingulas provincias Epiſcopos, ubi ſingula quot emerſerint corrigantur.*

Arvernenſi, an. 535. can. 1. *Imprimis placuit ut quoties ſecundùm ſtatuta Patrum, ſancta Synodus congregatur, nullus Epiſcoporum aliquam priùs cauſam ſuggerere audeat, quàm ea qua ad emendationem vita, ad ſeveritatem regula, ad anima remedia pertinent, finiantur.*

Aurelianenſi 3. an. 538. can. 20. *Si quis Clericorum circa ſe aut diſtrictionem aut tractationem Epiſcopi ſui putat injuſtam, juxta antiquas conſtitutiones recurrat ad Synodum.*

Aurelianenſi 5. an. 549. can. 23. *His itaque (Deo propitio) conſtitutis, quod pracipuè in omnibus Patrum Conciliis habetur ſcriptum, congrua definitione ſancimus, ut intra anni circulum unuſquiſque Metropolitanus Epiſcopus junctis in unum locum comprovincialibus ſuis, intra provinciam ſuam ſtudeat habere Concilium, ut ſi qua acceſſerint, caritatis emendentur ſtudio.*

Toletano 4. an. 633. can. 3. *Nulla penè res*

diſciplina mores ab Eccleſia Chriſti depulit, quàm Sacerdotum negligentia, qui contemptis canonibus ad corrigendos Eccleſiaſticos mores Synodum facere negligunt. Ob hoc à nobis univerſaliter definitum eſt, ut quia juxta antiqua Patrum decreta bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non ſinit, ſaltem vel ſemel à nobis celebretur. Ita tamen ut ſi cauſa fidei eſt, aut qualibet alia Eccleſiæ communis generalis totius Hiſpaniæ & Galliciæ Synodus convocetur: ſi verò nec de fide, nec de communi Eccleſiæ utilitate tractabitur, ſpeciale erit Concilium uniuſcujuſque provinciæ, ubi Metropolitanus elegerit peragendum.

Legionenſi an. 1012. tempore Alphonſi 5. Regis Legionenſis, can. 1. *In primis cenſuimus, ut in omnibus Conciliis, quæ deinceps celebrabuntur, cauſæ Eccleſiæ priùs judicentur, judiciumque rectum abſque falſitate conſequantur.*

Lateranenſi 4. ſub Innocentio III. an. 1215. can. 6. *Sicut olim à SS. Patribus noſcitur inſtitutum, Metropolitani ſingulis annis cum ſuis Suffraganeis provincialia non omittant Concilia celebrare, in quibus de corrigendis exceſſibus & moribus reformandis, præſertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum.*

Ravennati 2. an. 1311. rubric. 18. *Cùm decreverint SS. Patres Synodos per ſingulas civitates*

vitates fieri pro reformatione ſtatus Eccleſiarum, Eccleſiaſticarum & ſæcularium perſonarum, quod eſt permaximè neceſſarium, ut paſtores gregis Dominici de ipſius gregis paſcuis evellant, & ædificent & plantent in eis, hoc conſiderantes ſaluberrimum & juri non diſſonum, quod in qualibet civitate vel diœceſi, ubi diœceſanus commodiùs & utilius viderit expedire, ſemel convocet Synodum & faciat annuatim, hoc præſenti Concilio provinciali fieri declaramus, & cathedraticum ſolvatur.

Et Tridentino Seſſ. 24. Decreto *De Reformatione*, cap. 2. *Provincialia Concilia, ſic ubi omiſſa ſunt pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris canonibus permiſſis renoventur.*

His non multùm diſſimilia legere eſt in can. 36. Apoſtolorum, in cap. 7. Epiſtolæ 84. S. Leonis ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem, in Juſtiniani Novella 123. *De ſanctiſſimis Epiſcopis & Deo amabilibus & reverendiſſimis Clericis & Monachis*, cap. 10. In Epiſtola 21. Pelagii Papæ, in lib. 7. Capitularium Karoli Magni & Ludovici Pii art. 91. & 241. atq; in *additione* 4. ad ejuſmodi Capitularia, art. 8. *Vt autem* (inquit Juſtinianus Imperator) *omnis Eccleſiaſticus ſtatus & ſacræ regulæ diligenter cuſtodiantur, jubemus unumquemque beatum Archiepiſcopum & Patriarcham & Metropolitam, ſanctos Epiſ-*

copos ab ſe conſtitutos in eadem provincia, ſemel aut ſecundò per ſingulos annos, ad ſe convocare, & omnes cauſas ſubtiliter examinare quas Epiſcopi aut Clerici, aut Monachi ad invicem habent, eaſque diſponere, & ſuper hoc quidquid extra regulas à quacumque perſona delinquitur emendare. Eumdem ad ſenſum loquitur S. Gregorius Magnus in lib. 1. Epiſt. 1. ad univerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos in qua ſcribit: *Illud quoque fieri debere perſpeximus, ut ſemel per annum ad Syracuſanam ſive Catanenſium civitatem univerſaliter honore, quo dignum eſt, ſicut eidem juſſimus, fraternitas veſtra conveniat, quatenus quæ ad utilitatem ipſius provinciæ, Eccleſiarúmque pertinent, ſive ad neceſſitatem pauperum oppreſſorúmque ſublevandam, ſive ad monitionem omnium & correctionem eorum, quorum exceſſus contigerit demonſtrari, congrua cum eodem Petro Subdiacono Sedis noſtræ debeatis moderatione diſponere.*

Ex quibus omnibus manifeſtè dignoſcitur tum Epiſcoporum, cùm Preſbyterorum ſeu Parœcorum cauſas fuiſſe ſemper in Synodis, non diſcuſſas tantummodo, ſed etiam judicatas: ipſóſque ſive Epiſcopos, ſive Preſbyteros ac Parœcos judiciariæ Synodorum poteſtati numquam non fuiſſe obnoxios. Atque ideo falsè ab Archidiaconis quibuſdam dici, in eo Synodos à Viſitationibus ſuis diſcriminari,

quòd in his Parœci arguantur judicentúrque: in illis non item; quoniam in utriſque & argui poſſunt & judicari. Quare cùm argui & judicari poſſint in Synodis, & tamen in Synodis Stolam induant Parœci: quid impedit quominus eam quoque in Archidiaconalibus Viſitationibus induant, etiamſi in illis argui ac judicari ex levioribus controverſiis, ab Archidiaconis poſſint?

His adde Parœcos ab Archidiaconis viſitari non quaſi capitalium rerum Judicibus qui in criminoſos revera homines, aut de criminibus ſuſpectos inquirunt. Idcirco enim viſitant Archidiaconi ut rerum Statum cognoſcant, ut benefacta laudent aut confirment, ut malefacta reprehendant aut corrigant pro ſua virili. Nam cùm in Viſitationibus ſuis Epiſcoporum poteſtatis auctoritatiſque quodammodo conſortes in levioribus exiſtant: & Epiſcopi non tanquam civiles Magiſtratus, ſed tanquam Patres, ac Paſtores viſitent; ſuas Patrum inſtar ac Paſtorum Viſitationes debent inſtituere. Quis verò pater filios, quis Paſtor greges perluſtrans, ſuis eos, ubi præſertim nihil tale promeriti ſunt, ornamentis ſpoliat? Cùm ergo *per Stolam* (ut ait Nicolaus I. in Concilio Romano 7. Epiſt. ad univerſos Epiſcopos Galliæ) nihil *aliud quàm Sacerdotii declarentur inſignia*: & Parœci viſitantibus Archidiaconis Sacerdotii ſui rationem reddere teneantur, quid eſt cur *Stolam Sacerdotii* ſui *inſignia* ab-

jiciant, quibus, niſi contrariè probetur manifeſtò, digni ſunt exiſtimandi?

CAPUT XXVII.

Quæ in Archidiaconorum viſitationibus à Parœcis præſtanda ſunt, non videntur niſi à Stolatis ritè præſtari poſſe. Archidiaconis ad Eccleſiarum fores occurſant Parœci publicæ ſupplicationis in modum. Sed qui ſupplicationibus publicis præſunt, Stolam geſtare convenit. Archidiaconorum viſitantium juriſdictio cùm externi fori ſit tantùm, multa agunt à quibus ipſos abſtinere par eſſet. Promotores & Notarios ſuos ſuperpelliceis cur induant? Germana Archidiaconorum munia breviter enarrantur. Variis ex Conciliis ac Senatus-Conſulto Pariſienſi tenentur Acta viſitationum ſuarum vel ſtatim ab iis expletis, vel uno ad ſummum poſt eas expletas menſe apud Epiſcopos deponere. Archidiaconis viſitantibus Crux adoranda, Evangeliorúmque liber deoſculandus proponitur à Parœcis, quos ideo Solatos eſſe expedit.

SANE autem ſi quæ in Archidiaconorum viſitationibus fieri convenit, attenta animi cogitatione perpendamus, immeritò Parœcos ab Archidiaconis Stola ſpoliari comperietur.

Quæ porrò in Archidiaconorum viſitationibus fieri convenit?

I. Quidem Parœci unâ cum ſibi ſubjectis, ſi quos habent, Presbyteris aliiſque Clericis, Archidiaconis pro Eccleſiæ foribus, aut in ipſo Eccleſiarum limine exſpectantibus & in genua prolapſis, obviam procedunt eodem ordine, eodémque apparatu, atque ad ſtatas ac ſolemnes ſupplicationes proficiſcuntur. Illa enim honorifica occurſatio, quæ vexillis, crucibus, aqua benedicta & thuribulo præeuntibus fit, ſtatæ ſolemniſque ſupplicationis ordini & apparatui parum videtur abſimilis. Unde in Pontificali Romano aliiſque multis Cæremonialibus libris leguntur *Ordines ad recipiendum proceſsionaliter Prælatum, vel Legatum, Imperatorem, Regem, Principem magnæ potentiæ, Imperatricem vel Reginam, & Principiſſam magnæ potentiæ*; ibique dicitur, *proceſsionem Cleri ex more ordinatam procedere illis obviam.* Quem ad ſenſum Johannes Franciſcus de Pavinis I. V. & ſacræ Theologiæ Doctor, ac cauſarum ſacri Palatii Apoſtolici Auditor, in 2. parte *Baculi Paſtoralis ad dirigendos in viam pacis pedes viſitantium & viſitatorum*, quæſt. 1. ait *Secundùm Ordinem qui in Pontificali continetur Prælatum venientem ad viſitandum, proceſsionaliter eſſe recipiendum.* Eodem loquuntur modo quotquot viſitationum ritus deſcripſere.

Quis autem neget ab eo Sacerdote qui

ſupplicationibus præeſt, vulgò Stolam portari? Præſcribunt hoc Rituales proceſſionalesque libri complures.

Liber Ritualis pro recta Sacramentorum & Sacramentalium adminiſtratione ad Parochos diœceſis Peruſinæ, Vincentii Herculani & Neapolionis Comitoli, Epiſcoporum Peruſinorum juſſu editus, recognitus & auctus, an. 1597. Peruſii editus, Tit. *Ordo proceſſionum*, ubi de feſto S. Marci; *Poſt conventualem Miſſam decantatam, & Clero ac populo in Eccleſia Congregatis, Sacerdos ſupra cottam indutus Stola & pluviali*, &c. Idem obſervandum tradit *in tribus diebus Rogationum*; *In tempore tribulationum*; *Ad petendam pluviam*; *Pro ſerenitate poſtulanda*; *Pro gratiarum actione*; *& in feſto SS. Corporis Chriſti.*

Ordinarium ſive Cæremoniale Eremitarum S. Auguſtini *Provinciæ communitatis Bituricenſis, aliàs S. Guillelmi*, an. 1631. Pariſiis editum *ex decreto Capituli provincialis Andegavi celebrati*, cap. 20. *De proceſſionibus quomodo & quando faciendis*, num. 6. *Cùm proceſſiones fient in Conventu poſt Veſperas ..... primus omnium incedet frater aliquis amictu & ſuperpelliceo indutus ferens Crucem, ſequentur ceteri fratres, poſtea Officiarius cum amictu, ſuperpelliceo, Stola & pluviali convenientis coloris ſubſequetur.*

Cæremoniale Eccleſiaſticum *juxta ritum Eccleſiæ Romanæ ad uſum Congregationis*

Gallicanæ fratrum Pœnitentium tertii Ordinis S. Franciſci, part. 1. Tit. *Ritus proceſſionum in genere: Si ante meridiem fiat proceſſio, regulariter poſt Tertiam fiet, celebrante alba & Stola coloris officio convenientis parato. In omni proceſſione* (inquit Rituale Fulicntinum lib. 2. cap. 27. num. 3.) *quæ fit ante Miſſam* (*quamvis ſit de SS. Sacramento & celebrans illud ferat in manibus*) *Celebrans ſit indutus amictu, alba, cingulo, Stola tranſverſa in modum crucis ante pectus, & pluviali coloris congruentis officio, non autem caſula. Quæ verò fit extra Miſſam, pro petenda pluvia, &c. vel tempore Iubilæi, aut alio tempore pro Eccleſiæ neceſſitatibus, colorem violaceum requirit.* Eadem ſtatuit Cæremoniale Eccleſiaſticum ad uſum FF. Minorum, 3. part. cap. 28. num. 1. his vocibus: *Si, ex conſuetudine, in feſtis ſolemnioribus habendæ ſint ſacræ ſupplicationes ſeu proceſſiones ..... hic ritus ſervabitur .... Præparatis à Sacriſta omnibus neceſſariis .... Celebrans indutus alba, Stola & pluuiali coloris convenientis, & Miniſtri ſacris ſuis paramentis ſine manipulis ... procedet ad Altare:* Atque is uſus eſt univerſæ propemodum Eccleſiæ, non in urbibus tantùm, ſed & in pagis ac vicis receptiſſimus, niſi fortè quòd aliqui pluviale induunt pro Stola. At Stolam pluviale contractum eſſe, ſicut & pluviale dilatatam eſſe Stolam inferiùs in cap. 30. probabimus.

Viſitationum quidem Archidiaconalium ſupplicationibus Parœci præeſſe non cenſentur ubi ad Archidiaconos devenere; ſicque Stolâ opus non habere ampliùs, exiſtimaverit fortaſſe aliquis. Sed cùm ea initio fuerint exornati, quid neceſſe eſt abjicere præſentibus Archidiaconis? Nam præterquàm quòd multi Pontifices, Abbates, Preſbyteri Stolati, nihil obſtat quominus uni & eidem ſupplicationi publicæ interſint, ut conficitur ex art. 11. *Moniti* nomine Cleri Gallicani an. 1626. editi, & a nobis in cap. 22. recenſiti, atque etiam ex ſupplicatione Magnæ (ut vocant) Confraternitatis, Lutetiæ Pariſiorum inſtitutæ ad S. Mariæ Magdalenæ; Præterquàm quòd Remenſis urbis Parœci generalibus ſupplicationibus quæ Remis celebrantur, ſuperpelliceis & Stolis exornati adſunt, vel præſente Remenſi Archiepiſcopo: & Andegavenſis diœceſis Parœci Stolati Stolatos Archidiaconos ubique in viſitationibus comitantur, ut cap. 30. inferiùs ex *Proceſſionali Andegavenſi* oſtendemus: quo tempore Archidiaconi Parœcialem aliquam Eccleſiam quaſi ſupplicabundi ingrediuntur, ſi ſepulturæ mandandum alicujus Chriſtiani hominis corpus, ſi ſacris Baptiſmi fontibus abluendus infans, ſi cui ſano conferenda, aut ad infirmum aliquem deferenda Euchariſtia, ſi matrimonium, ſi ſponſalia celebranda, ſi peragendæ benedictiones aliquæ, nonne Stolâ veſtitos etiam inſpectantibus Archidia-

chidia-

chidiaconis, eſſe oporteret Parœcos qui ſacras illas functiones obirent? An coram Archidiaconis ſua officia fungendi jure privantur Parœci? Jam falſum illud eſſe ſuprà demonſtravimus. Archidiaconi ſiquidem eo nomine, etſi jus viſitationis & procurationis habeant in ſubjectas ſibi Eccleſias, non habent tamen Sacramenta miniſtrandi, aliáque Parœcialia munia exercendi: quòd eorum juriſdictio volatica non interioris fori ſit, ſed exterioris ſolùm, quæ idcirco ad Sacramentorum, parœcialiúmve munerum adminiſtrationem nullatenus pertinet.

Cur itaque in ipſorum viſitationibus eo ornamento Parœci exuentur, quo ab aliis Eccleſiarum ſuarum Sacerdotibus internoſcuntur, quo ipſos in Officio eſſe innoteſcit, quódque in publicis omnibus Eccleſiæ orationibus & functionibus geſtare debent ex Guillelmo Durando in lib. 3. *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. 5. num. 6. Nicolao Thuano Epiſcopo Carnotenſi tum in vernaculo diœceſis ſuæ Rituali, an. 1580. pag. 109. Cum in *Brevi explicatione Miſſæ*, pag. 13. qui ideo Stolam *Orarium* appellatam conteſtantur? Et Gilberto Grimaldo Burdigalenſis Eccleſiæ Theologo, in ſacræ Liturgiæ parte 1. cap. 6. parag. 5. num. 4. Et *Stola* cùm *utatur Sacerdos in omni Oratione ſolemni* (inquit Silveſter Prieras in Summa V. *Diaconus*, num. 6.) numquid *ſolemnium Orationum* titulo indigi-

Dd

tari meritiſſimè non poſſunt, *Reſponſorium* (quod ajunt) *verſus* & *oratio* de Patrono ſeu Titulari Eccleſiæ, quæ in ipſo Archidiaconalium viſitationum exorſu ab omni Clero decantantur, ſicut & illæ publicæ preces, quæ coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento & pro fidelibus defunctis funduntur?

II. Ubi ad Eccleſiarum limina, quo mox dicebamus ordine & apparatu, proceſſerunt Parœci, ſalutato ibidem Archidiacono, Stolam ipſius collo imponunt ad genua, Preſbyterorum more, pendentem. At quid viſitanti Archidiacono neceſſaria eſt Stola, niſi fortè Diaconalis? Archidiaconi enim Diaconorum ſucceſſores ſunt, neque alius in ipſis à ſacris canonibus ordo requiritur, quàm Diaconatus? Ad luſtrandum (inquies) SS. Sacramenti tabernaculum, Baptiſterii fontes, in iiſque concluſa chriſmatis & olei Catechumenorum vaſa, ac (ſi adſint) ſanctorum Reliquias. Sed numquid hæc omnia Parœcis aperientibus, oſtendentibus, Chriſmatis & olei Catechumenorum vaſa, ſacram pyxidem ſeu *ciborium*, ſacra linteamina, ſacráſque Reliquias exhibentibus, luſtrare poſſunt? Quid Archidiaconos opus eſt divinum Chriſti corpus nuda manu contrectare? Quid apertum ac patens adſtanti populo adorandum proponere? Quid Epiſcoporum inſtar, ſolemnem cum eo benedictionem, ter efformata cruce, impertiri, hac formula: *Adjuto-*

rium noſtrum &c. *Sit nomen Domini* &c. ac *Benedicat vos* &c? Non ſunt iſta omnia viſitantium Archidiaconorum munia. Hæc ſibi non ita pridem ſumpſerunt, ut magis honorarentur ab hominibus, majorémque ſibi in Parœcos auctoritatem arrogarent.

Eodem animo Promotores ſibi adjunxere, quos, ſicut & Notarios ſuos, ſuperpelliceis induunt, & vel ante Parœcos, vel ſtantibus Parœcis nudo capite, ſedere jubent capite operto. Atqui cùm Promotorum Notariorúmque opera in exercenda exterioris fori juriſdictione, qua, ubi de cauſis levioribus agitur, Archidiaconi gaudent in viſitationis curſu, ſolummodo requiratur: quid opus eſt utroſque ſic veſtitos Archidiaconis adeſſe, quæ exterioris fori juriſdictionis non ſunt pertractantibus? Sed in eo etiam Epiſcopos agunt, quibus vulgò in ſolemnibus ritibus (cujus generis ſunt Eccleſiarum viſitationes) duo Presbyteri ad neceſſaria miniſtranda aſſiſtunt. Et Concilium Tridentinum tamen unicum *Archidiaconis*, *Decanis & aliis inferioribus* Notarium, eúmque *de conſenſu Epiſcopi* deligendum aſſignat, in ſeſſ. 24. Decret. *De reformatione*, cap. 3. his vocibus: *Archidiaconi autem, Decani, & alii inferiores, in iis Eccleſiis ubi hactenus viſitationem exercere legitimè conſueverunt, debeant quidem* ASSUMPTO NOTARIO DE CONSENSU EPISCOPI *deinceps per ſe ipſos*

tantùm ibidem viſitare. Idem quoque ſtatuit Concilium Provinciale Toloſanum an. 1590. part. 4. cap. 8. num. 20. ut poſtea referemus. Quod ſi facerent non ita eſſent Parœcis oneri eorum plerique, & Epiſcopis magis obſecundantes, ſacrorúmque Canonum obſervantiores ſe probarent.

Quæ porro ſint ipſorum munia, paucis accipe. Ipſorum eſt tantummodo ſubjectas ſibi Eccleſias viſitare; quæ in iis mutari poſſunt in melius, mutanda ſuadere; minores controverſias cognoſcere: majores autem ad Epiſcopos revocare; ac viſitationum ſuarum Acta in commentarios referre, quos vel ſtatim ab iis expletis, vel uno póſt menſe, iiſdem tradant Epiſcopis, ut variis Conciliis, & ſupremæ Pariſienſis Curiæ Decreto præſtituitur. Si quid præterea moliantur & attentent, falcem in alienam meſſem miiciunt, quemadmodum trito fertur adagio, hoc eſt in Epiſcoporum aut Parœcorum jura involant; nec ab iis qui impedire poſſunt & debent ex officio, videntur ferendi.

Concilia autem & ſupremæ Pariſienſis Curiæ Decretum, quæ Archidiaconos ſanciunt vel ſtatim ab expletis viſitationibus, vel uno póſt menſe, earum acta in Epiſcoporum fide ac manibus deponere, iſta meam ad notitiam venerunt.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. in Decreto *de reformatione*, cap. 3. mox laudato:

Cui Epiſcopo *ipſi Archidiaconi, vel alii inferiores viſitationis facta infra menſem rationem reddere & depoſitiones teſtium ac integra acta ei exhibere teneantur; non obſtantibus quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, atque exceptionibus & privilegiis quibuſcumque.* Quid ad hæc & cetera omnia contra ſe pugnantia Concilii Tridentini teſtimonia dicturi ſint Archidiaconi, nobis non latet: nimirum illius decreta minimè fuiſſe in Galliis promulgata. Sed hoc quàm & à veritate, & ab honeſtate Eccleſiaſtica alienum ſit, jam antea in cap. 8. demonſtravimus.

Concilium Provinciale Remenſe an. 1564. ſub Carolo Cardinali Lotharingo Archiepiſcopo Remenſi, Statut. 8. *Archidiaconi viſitationem ſuam ſtatuto tempore exequantur diligentiſſimè per ſeipſos .... deque ipſa viſitatione poſt menſem Epiſcopis rationem reddant, & depoſitiones teſtium, ac integra omnia acta eis exhibeant.*

Conventus Melodunenſis an. 1579. Tit. *De Eccleſiarum viſitatione: Archidiaconi viſitationis ſuæ rationem ſcriptis commiſſam quamprimùm Ordinario reddant.*

Concilium Provinciale Rotomagenſe an. 1581. ſub Carolo Cardinali Borbonio & Archiepiſcopo Rotomagenſi, Tit. *De Epiſcopis & Capitulis*, num. 27. *Archidiaconi quotannis per ſe viſitent, & diarium ſuæ vi-*

ſitationis ad Epiſcopum referant Et Tit. *De Epiſcoporum officiis*, num. 28. ubi modò citata Concilii Tridentini verba ſic replicat: *Archidiaconi & Decani & alii inferiores, in his Eccleſiis ubi hactenus Viſitationem exercere conſueverunt, Viſitationis à ſe factæ infra menſem rationem in ſcriptis reddent Epiſcopo, & depoſitiones teſtium ac integra acta ei exhibere tenebuntur.*

Concilium Provinciale Turonenſe an. 1583. ſub Simone Mallæo Archiepiſcopo Turonenſi in Seſſionis apud Andes Tit. *De juriſdictione & viſitatione: Archidiaconis annis ſingulis per ſe ſuas Eccleſias viſitare diſtrictè præcipimus ..... Ipſi viſitatores ſciant ſe intra menſem poſt peractam viſitationem ad rationem omnium quæ in ſuis viſitationibus geſſerint, Epiſcopo reddendam ex antiquis Conciliis obligari, idque ſcriptis; ut juxta caſuum exigentiam aut neceſſitatem per eundem Epiſcopum iiſdem provideatur. Quod ſi præſtare neglexerint, ad id per Epiſcopos viis juris compellendos eſſe ordinamus.*

Concilium Provinciale Bituricenſe an. 1584. ſub Reginaldo Belnenſi Patriarcha Bituricenſi; tit. 33. can. 5. *Archidiaconi & alii inferiores, qui jus viſitandi habent, Acta viſitationis ſuæ per ſcribam idoneum excipiant, eáque intra menſem ad Epiſcopum perferant.*

Concilium Provinciale Toloſanum an.

1590. ſub Franciſco Joyoſano Cardinali & Toloſano Archiepiſcopo, part. 4. cap. 8. num. 20. *Qui jus viſitandi habent Archidiaconi aliique inferiores, ii viſitationis ſuæ acta per notarium idoneum, de conſenſu Epiſcopi aſſumendum excipiant, & ad Epiſcopum intra menſem deferant.*

Synodus diœceſana Rotomagenſis an. 1631. die 6. Novembris, ſub Franciſco Harlæo Campo-Valonio, Archiepiſcopo Rotomagenſi, art. 2. *Præcipitur Archidiaconis ut Eccleſias Parochiales ſuorum Archidiaconatuum perſonaliter viſitent, & viſitationis ſuæ diaria, ſeu proceſſus verbales infra menſem ad Illuſtriſſimum Dominum aut Venerabiles ejus Vicarios generales referant.*

Et Senatus Pariſienſis Decretum an. 1619. die Januarii 19. datum inter Cardinalem Retzium Henricum Gondium Epiſcopum Pariſienſem, pro Antonio Furnio Officiali ſuo litigantem, ac Ludovicum Druſium, Jacobum Garnerium, Claudium Coquelaïum eorúmque ſucceſſores Pariſienſis Eccleſiæ Archidiaconos; quo prædictis Archidiaconis præcipitur ùt *poſt abſolutas viſitationes, earum acta in Officiàlis Pariſienſis tablinum referant.* [a]

Hoc ipſum Archipreſbyteris præcipit Sy-

[a] Enjoint auſdits Archidiacres à l'iſſuë deſdites viſitations raporter leurs procez verbaux au Greffe de l'Officialité de Paris, charges & informations, ſi aucunes ont faites, audit cours des viſitations.

nodus Mechlinienſis an. 1609. ſub Matthia Hovio Archiepiſcopo Mechlinienſi, Tit. 16. cap. 6. *Tempeſtivè quoque ſinguli* Archipreſbyteri *viſitationes ſuas abſolvent & acta earumdem nitidè deſcripta & à ſe ſubſignata quotannis ante Kalendas Iulii ad Nos vel Vicarium noſtrum generalem tranſmittent.*

III. Statim atque Stolam induit Archidiaconus, crucem ipſi porrigit adorandam Parœcus: cui tractando muneri neceſſaria quoque eſt Stola. Stolatum enim eſſe Sacerdotem oportet (exempli gratia) qui ægrotis crucem oſculandam præbet dum ipſis Unctionis extremæ ſacramentum miniſtrat. Ita quippe tradunt in *Ordine miniſtrandi ſacramentum Extremæ-unctionis* Ritualia ferè omnia, ſed præſertim Romanum Pauli 5. *Depoſito oleo ſuper menſam, ſuperpelliceo ſtolaque violacea indutus, ægroto crucem piè deoſculandam porrigit.* Ebroicenſe Cardinalis Perronii: *Parochus cum Clerico accepta cotta & ſtola coloris violacei, ... ſumens in manibus crucem eam oſtendit infirmo dicens,* Ecce crucem &c. *tum demum ipſam infirmo oſculandam præbebit.* Carnotenſe Leonorii Stampenſis, & Alectenſe Nicolai Pavillonii, in quibus idem præſcribitur quod Romano. His ſimilia habent Æduenſe an. 1503. Carnotenſe Ludovici Guillardi Epiſcopi Carnotenſis; omnium Eccleſiarum Pro-

vinciæ Remenſis, Ludovici Cardinalis Guiſiani Remenſis Archiepiſcopi, anno 1585. Mechlinienſe Johannis Hauchini & Matthiæ Hovii Archiepiſcoporum Mechlinienſium, an. 1598. & Carnotenſia Nicolai Thuaiti Carnotenſis Epiſcopi, an. 1580. & 1581.

Stolatum præterea ſacerdotem eſſe convenit qui feria 6. *in Paraſceve* crucem ante aliud altare quàm majus defert, ut ibi adoretur à frequentiori populo. *Si multus adeſt populus* (inquit Bartholomæus Gavantus *Commentariis in Rubricas Miſſalis Romani*, part. 4. tit. 9. num. 13.) *poterit collocari alia crux à Sacerdote cum ſtola nigra ante aliud altare: ad quam adorandam accedant tum mares, tum feminæ, ne proceſſio nimis differatur & officium ſequens.* Gavanto concinit Michael Baldricus in Manuali ſacrarum Cæremoniarum part. 4. cap. 10 art. 3. num. 19. *Si ſit populi concurſus magnus, ſecundùm morem locorum, duo Acolythi, unus in parte virorum alter in parte mulierum.... extendunt tapetia in utroque loco, & deſuper collocant pulvinum cum velo, illúcque per Sacerdotes cum ſtolis nigris de collo pendentibus alia crux, vel aliæ cruces devotè deferuntur, eo modo quo per celebrantem..... lancéſque collocantur ad pecuniam offerentium recipiendam. Caſtaldus lib. 7. Sect. 7. cap. 3. num. 5.* Et in num. 30. *Si aliæ ſint cruces expoſitæ, ut ſupra, finita adoratione*

à Sacerdotibus prædictis ſtolis paratis reportantur in Sacriſtiam quibus omnes genufleſtunt. Cæremoniale Fulientinum lib. 4. cap. 13. parag. 3. num. 11. *Pro mulieribus & populo extendatur loco idoneo tapes ſeu pannus cum pulvino & velo; & illuc alteram crucem deferat Sacriſta, vel alius Sacerdos ſtola nigra ſuper albam, vel ſuperpelliceum aut cucullam paratus, Acolytho præcedente ..... Idipſum fiat ſi aliæ cruces aliis in locis ſint adorandæ ob populi frequentium.* Et Cæremoniale Eccleſiaſticum ad uſum fratrum Minorum, 3. part. cap. 8. parag. 3. num. 11. *Pro mulieribus & populo extendetur in loco apto tapetium cum cuſſino & velo, tum aliquis Sacerdos paratus Stola nigra illuc deferet aliam crucem.*

Niſi ergo Stolatus ſit Parœcus Archidiacono viſitanti crucem in Eccleſiæ limine adorandam dum proponit, quî ex Eccleſiaſticorum rituum præſcripto ſe geret?

IV. Adorata Cruce ab Archidiacono, Parœcus ipſi Evangeliorum librum oſculandum offert illis additis: *Hæc ſunt verba Sancta*, quemadmodum auctor eſt Claudius à Cruce Preſbyter in *Perfecto Clerico*, part. 4. cap. 2. tit. 11. *de Viſitatione Archidiaconi*, num. 3. Qui verò Evangeliorum librum oſculandum aliis exhibet, vulgò Stolatus eſt, ut reipſa Stolatum videmus qui in ſupplicationibus quas quadrageſimali tempore ad

Carnotenſes quaſdam Eccleſias inſtituit Capitulum Carnotenſe, Carnotenſibus Decano, aliiſque dignitatibus & Canonicis ipſum præbet oſculandum, uti jam antea in cap. 21. notavimus.

CAPUT XXVIII.

Archidiaconi SS. Euchariſtiæ tabernaculum luſtrantes malunt Eccleſiaſticos ritus in hujus Sacramenti expoſitione ac circumgeſtatione ſervandos non ſervare, quàm Parœcis Stolam permittere. SS. Euchariſtia dum educitur è loco in quo vel aſſervatur, vel quieſcit, ut poſtea detur in manus Pontificum vel Sacerdotum qui eam geſtent, aut adorandam fideli populo proponant, id fieri à Stolatis Miniſtris ipſis aſſiſtentibus debere, ex Ritualibus, Miſſalibúſque variarum Eccleſiarum libris oſtenditur. Quare immeritò Archidiaconi ſacrum ciborium è tabernaculo educentes Stolatos Parœcos ſibi ſuis in viſitationibus adeſſe nolunt.

V. INGRESSI Parœciales Eccleſias Archidiaconi Tabernaculũ luſtrant in quo ſanctiſſima Euchariſtia reſervatur, obſervántque quàm diligenter poſſunt omnia quæ ad tanti Sacramenti decorem, munditiem, hono-

rem ac majeſtatem attinent. In ea verò luſtratione quoniam extrahitur è tabernaculo pyxis ſacra recondendo Chriſti corpori inſerviens, publicæque adorationi Divinum illud corpus exponitur, qui ritus niſi à Stolato Sacerdote, aut ſaltem Diacono, ritè peragi non poteſt: id muneris ſoli præſtare malunt Archidiaconi, quàm præſtandum Parœcis relinquere, propterea quòd illos tunc Stola exornatos eſſe oporteret. Qua quidem in re ſervandos tum in Euchariſtiæ expoſitione, (ut loquuntur) & circumgeſtatione, cùm in ipſius viſitatione, communes ritus negligunt, ut Parœcos debitis ornamentis ſpolient. Quando enim Euchariſtia palàm & in aperto ſpectanda, vel in ſolemnibus ſupplicationibus circumgeſtanda objicitur, vel ab uno loco in alium transferenda datur; qui Cæremoniis ejuſmodi præſunt Stolatis Pontificibus ſeu Sacerdotibus, alios quoque Stolatos Sacerdotes ſeu Diaconos adeſſe par eſt, qui auguſtiſſimum Sacramentum educant è tabernaculo, vel ſuſpenſum demittant, idque officia Eccleſiaſtica celebrantibus dent in manus, priuſquam circumgeſtent, aut fideli populo proponant adorandum, aut in alium locum transferendum præbeant. Conſtat illud

Ex Chriſtophoro Marcello Corcyrenſi Archiepiſcopo in lib. 2. *Rituum Eccleſiaſticorum*, cap. 15. ubi de feſto Corporis Chriſti Papa præſente, hæc ait: *Imponitur collo Pontificis*

mappa ſericea, per Cardinalem aſſiſtentem: Dein 'e porrigitur Sacramentum ipſum Pontifici per Diaconum à dextris aſſiſtentem Pontifici adhuc genuflexo (& Stolatum, cùm ſacro in ſupplicationis fine celebrando miniſtrare debeat) *qui accepto Sacramento ſurgit & ſine mitra illud portat aliquantulum.* Tum in cap. 44. ejuſdem libri: *Feria 5. in Cœna Domini facta communione per celebrantem de utraque ſpecie, antequam ſe purificet, reponit reverenter Corpus Domini reſervandum in Calicem ultimo para um, quem Diaconus cum palla, patena, deſuper poſita, ac velo ſericeo cooperit, & in medio altaris collocat reverenter .... Papa calicem ipſum, cum Sacramento facta reverentia devotè accipit, illumque detecto capite portat ſub baldachino .....cùm Papa fuerit in loco ubi Sacramentum reponi debet, Cardinalis qui celebravit, vel Diaconus à dextris Papæ aſſiſtens, illud de manibus Papæ recipit & in locellum reponit.* Et in cap. 56. feria 6. in Paraſceve, *cùm Celebrans pervenerit ad locum, in quo Corpus Domini repoſitum eſt, deponit mitram & procedit ante locum & genuflectit; tum Diaconus aperit capſulam, & Cardinalis ſurgens incenſat Sacramentum, & illud in Calice conditum à Diacono devotè accipit & defert ad capellam.*

Ex Cæremonialis Epiſcoporum lib. 2. cap. 23. *De Officio & Miſſa feria 5. in Cœna Do-*

mini : Epiſcopus incenſat Sacramentum triplici ductu : tum imponitur ſuper ejus humeros velum & firmatur ſpinulis: & Diaconus aſsiſtens, & non alius, cum debitis reverentiis capit Sacramentum de altari, & illud ſtans offert Epiſcopo genuflexo .... .. Cùm Epiſcopus erit ante ſupremum gradum altaris, Diaconus accipit de manu ipſius ſtantis Sacramentum genuflexus ſine oſculo manus; quòd deponit ſuper altari in loco præparato, cooperiens velo undique Calicem. Item cap. 25. *De Officio feriæ 6. in Paraſceve Epiſcopo celebrante : Cùm Epiſcopus pervenerit ante fores ſacelli ubi eſt repoſitum Sacramentum .....genuflectit .....tum primus Diaconus aſsiſtens accipit* SS. *Sacramentum de capſula illudque in manibus Epiſcopi reverenter collocat & ſtatim genuflectit ..... Diaconus Evangelii genuflexus ante gradus altaris, accipit Sacramentum de manu Epiſcopi ſtantis, illudque reverenter collocat ſuper altari.* Deinde cap. 33. *De feſto Corporis Chriſti & proceſsione: Diaconus aſsiſtens à dextris accedet ad altare, & eum debitis reverentiis accipiet tabernaculum cum* SS. *Sacramento de altari & illud in manibus Epiſcopi genuflexi collocabit..... Poſtquam Epiſcopus pervenerit ad ſupremum altaris gradum, Diaconus à dextris ...accipiet de manu ipſius Epiſcopi ſtantis* SS. *Sacramentum*, & illud ſuper altare collocabit..... *Diaconus debet in fine* proceſ-

ſioni, SS. Sacramentum *includere & reponere in tabernaculo ubi ſolet continuò aſſervari.*

Ex Rituali Romano Pauli V. Tit. *De proceſſione in feſto* SS. *Corporis Chriſti: Peracto ſacrificio & proceſſione jam inchoata .... Sacerdos pluviali albo indutus ter incenſat Sacramentum genuflexus. Deinde Diaconus oblongum ac decens velum circumponit ſcapulis Sacerdotis, qui parte veli ante pectus pendente utraque manu cooperta oſtenſorium ſeu tabernaculum à Diacono ſibi porrectum reverenter ſuſcipit*, &c.

Ex Rituali Romano ad uſum Alectenſis diœceſis, in *Ordine ad ſupplicationem* SS. *Sacramenti* [a], ubi eadem ferè, ſed fuſiùs, præſcribuntur quæ modò ex Rituali Romano Pauli V. relata ſunt.

Ex Johanne Baptiſta de Conſtantio Coſentino in Calabria citeriore Archiepiſcopo, libro Italico cui titulus, *Monita ad Rectores, Curatos, Presbyteros, & Vicarios*, part. 2. Tit. 2. cap. 4. ubi ritus in ſupplicatione ſolemni feſti Corporis Chriſti exponens, ita ſcribit: *Thu-*

[a] Le Diacre découvrira le Soleil, le dreſſera & le mettra au milieu des corporaux, & le prenant il le mettra entre les mains du Celebrant ... Le Diacre ayant receu à genoux le S. Sacrement des mains du Celebrant, il le poſera deſſus l'Autel .... Le Celebrant ayant receu du Diacre le S. Sacrement, il ſe levera ... Le Diacre ſe mettra à genoux pour recevoir du Celebrant le S. Sacrement, qu'il mettra ſur l'Autel ... Le Diacre mettra le S. Sacrement en un lieu élevé & environné de cierges allumez ... Si on ne laiſſe pas le S. Sacrement expoſé apres l'Office, le Diacre l'enfermera dans le Tabernacle apres la Benediction.

rificatione facta: Preſbyter celebrans genuflexus tabernaculum portatile accipit de manu ſtantis Diaconi. Et poſtea: *Al Eccleſiam reverſus* Preſbyter celebrans, *tabernaculum Diacono ſtans dabit, qui illud genuflexus accipiet.*

Ex Manualis ſacrarum Cæremoniarum Michaëlis Baldrici, part. 4. cap. 16. *De feſto Corporis Chriſti*, art. 3. num. 9. *Diaconus aſcendit ad altare .... tradit oſtenſorium celebranti*, num. 23. *Diaconus genuflectit, accipit SS. Sacramentum, illud ponit ſuper corporale*, num. 29. *Celebrans .... deponit SS. Sacramentum ſtans in manus Diaconi genuflexi. . .,. & reverenter illud collocat ſuper medium corporalis extenſi ſuper altare.* Num. 30. *Poſtquam Celebrans dederit SS. Sacramentum Diacono, ſtatim genuflectit, & illo depoſito ſuper altare ab eodem Diacono, ibidem ſtans ponit thus in thuribulum.* Num. 37. Diaconus *aſcendit ad altare, ubi facta genuflexione reponit SS. Sacramentum in majori tabernaculo vel in loco eminenti.* Et num. 39. *Diaconus poſtquam repoſuerit SS. Sacramentum facta genuflexione deſcendit ad dexteram Celebrantis.* Tum in art. 5. num. 6. *Facta proceſſione de more SS. Sacramentum ponitur in loco ſuo, miniſterio Diaconi.*

Ex *Praxi Cæremoniarum ſeu ſacrorum Romanæ Eccleſiæ rituum accurata tractatione* Andreæ Piſcara Caſtaldi Neapolitani, Congrega-

gregationis Clericorum Regularium Preſbyteri, lib. 1. ſect. 7. cap. 7. *De officio Diaconi in proceſſionibus SS. Sacramenti*, num.3. *Paraturus SS. Sacramentum Celebranti antequam ex altari illud accipiat utroque genu flectit, & poſtquam Celebranti tradiderit, genuflexus rurſus reverenter illud adorat*. Num. 5. *Ad locum ubi reponendum eſt Sacramentum perveniens, tabernaculum à Celebrante accepturus genuflectat.... mox ſuper altare repoſito tabernaculo iterum genuflectens Miniſtrat incenſum*. Num.6. *Si danda eſt benedictio, accepto Sacramento cum debitis reverentiis, ipſum porrigit celebranti*. Et num. 8. *Sacram Hoſtiam juxta tabernaculum conſuetis reverentiis reponit, clavibuſque obſerat oſtiolum.*

Ex Cæremonialis Monaſtici Congregationis S. Mauri, lib. 4. cap. 14. *De feſto Corporis Chriſti*, parag. 2. num. 13. *Diaconus aſcendet ad altare .... tabernaculum geſtatorium utraque manu accipiet .... tum ad Celebrantem converſus eidem tradet in manibus*. Num. 21. *Cùm Celebrans ad altare pervenerit .... Diaconus ... tabernaculum SS. Sacramenti mox ut reverenter acceperit ..... illud deponet in medio ſuper altare*. Num. 23. *Celebrans .... recipit SS. Sacramentum de manu Diaconi, ſicut initio proceſſionis*, Num. 26. *Celebrans ... ponet tabernaculum in manus Diaconi, genuflexi in ſuppedaneo .... Diaconus*

ſurgens SS. Sacramentum collocabit in medio altaris ſuper corporale. Et n. 29. *Celebrãs deponet SS. Sacramentũ ſuper altare ... Diaconus ... SS. Sacramentum in eminentiori loco ſuper altare præparato collocabit*. Tum in parag. 3. num. 3. *Diaconus .... aſcendet ad altare, tabernaculum majus aperiet, ac tabernaculum oſtenſorium, cum SS. Sacramento deponet in medio altaris ſuper corporale*. Eadem fermè repetuntur vocabula, parag. 4. num. 1. & ritus idem præſcribitur, parag. 5. 6. & 7. pluribus in locis.

Ex Cæremonialis Romani ad uſum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, parte 4. cap. 16. num. 7. *Diaconus ..... reverenter capit ambabus manibus tabernaculum, illudque ſtans tradit Celebranti adhuc genuflexo*, num. 10. *Ad locum præparatum cùm acceſſerit Celebrans, Diaconus genuflexus ſuſcipit tabernaculum & deponit ſuper altare.... Diaconus tradit Sacramentum Celebranti, ut ſupra & continuatur proceſſio*. N. 12. *Diaconus ... accipiet de manu ipſius Celebrantis ſtantis SS. Sacramentum & illud ſuper altare collocabit*. Et num. 13. *Celebrans iterum deponet SS. Sacramentum ſuper altare, & genuflectet: Diaconus verò factâ priùs genuflexione reponit illud in locum altiorem præparatum.*

Ex Cæremonialis Fulientini lib. 4. cap. 20. *De feſto corporis Chriſti*, parag. 2. num. 5. *Diaconus reverſus ad dexteram Celebrantis ta-*

bernaculum detegit, aperit, & ſuper corporale collocat. Celebrans verò ....hoſtiam conſecratam reverenter accipit & intra lunulam argenteam collocat, Diacono à dextris tabernaculum tenente ..... Diaconus tabernaculum claudit & in medio ſuper corporale collocat. Num. 6. *Deinde Diaconus extracta pyxide ſacra ....recedit ad latus Epiſtolæ.* Num. 11. *Diaconus tabernaculum oſtenſorium accipiens utraque manu .... convertit ſe ad Celebrantem & ſtans ... tabernaculum collocat in manibus Celebrantis, qui....tabernaculũ reverenter ſuſcipit.* N. 18. *Celebrans ſtans tabernaculum tradit Diacono.* N. 19. *Tũ Diaconus ſurgens Sacramentum in medio altaris ſuppoſito corporali vel parva palla collocat.* Et n. 22. *Diaconus aſcendit ad altare, genuflectit & Sacramentum reponit in tabernaculo altaris, vel ſi ſit conſuetudo ob magnum populi concurſum, decenter collocat in altiori loco ad id præparato.* Idem ferè præſtituitur, parag. 3. ſeq.

Ex *Perfecto Clerico* Claudii à Cruce Presbyteri, part. 3. cap. 17. *De officio Diaconi*, Tit. *De proceſſionibus ſanctiſſimi Sacramenti*, num. 4. [a] *Oſtium tabernaculi aperit*

[a] Il ouvre la porte du Tabernacle, fait une genuflexion, & tire le Tabernacle portatif, qu'il met ſur l'Autel ou ſous le petit Dais, ſur un corporal. Il ſe releve, fait genuflexiõ, prend le S. Sacrement & le met entre les mains du Celebrant, à genoux. Eſtant arrivé à l'Autel ou autre lieu, il reçoit eſtant à genoux le S. Sacrement, & le met ou ſur l'Autel, ou ſous le Dais. Le Celebrant ayant mis le S. Sacrement ſur l'Autel, le Diacre le remet dans le Tabernacle, fait genuflexion, & ferme la porte avec la clef.

converſus eidem adhuc genuflexo tradet in manibus. Num. 12. *Diaconus accipiet utraque manu tabernaculum SS. Sacramenti.... ac illud deponet in medio ſuper altare.* Num. 13. *Celebrans.... recipiet* SS. *Sacramentum de manu Diaconi, ſicut initio proceſſionis.* Num. 15. *Diaconus.... accipiet de manu ipſius celebrantis ſtantis* SS. *Sacramentum, & illud ſuper altare collocabit.* Et num. 15. *Celebrans deponet* SS. *Sacramentum ſuper altare & genuflectet, Diaconus verò facta priùs genuflexione reponet illud in loco eminentiori ſuper altare præparato.*

Ex Cæremonialis Eccleſiaſtici Fratrum Pœnitentium parte 3. Tit. *Feſtum Corporis Chriſti cum proceſſione & publica ejuſdem expoſitione: Qui Miſſam principalem celebrat alteram conſecrat hoſtiam.... eámque aptat in lunula tabernaculi portabilis juvante Diacono qui tabernaculum aperit & poſtea claudit, velo tegit & in medio corporalis collocat.... Ea ſtatione finita Diaconus tabernaculum cum Sacramento celebranti, ut priùs, porrigit.... Cùm pervenerit celebrans ad altare, genuflectit Diaconus, Sacramentum accipit, & ſuper altari ſuppoſito Corporali collocat... Diaconus ſacramentum in loco eminenti ad totam diem collocat, ut ab accedentibus in Eccleſiam adoretur.*

Ex Miſſali Romanò Pij V. Clementis VIII. & Urbani VIII. auctoritate edito, in Rubri-

ſive Pœnitentium. Sed eorum verba brevitatis ergo prætermiſimus. Facile eſſet innumera penè alia teſtimonia ex Cæremonialibus Miſſalibuſque libris aliis producere, quibus evinceretur SS. Euchariſtiæ Sacramentum, ex uno in alium locum quando traducitur, ut à Pontificibus ſeu Sacerdotibus vel circumgeſtetur poſtea, vel adorandum fideli populo præbeatur, Stolatos illis ſive Preſbyteros, ſive Diaconos aſſiſtere. Verùm quid in re tam perſpicua tot argumentationibus opus eſt? Idem etiam obſervari in expoſitione Euchariſtiæ, ubi è ſummo altari ſuſpenſa demittitur, tradit Cæremoniale Pariſienſe à Martino Soneto editum in 3. part. cap. 21. num. 5. & 23. Ac in 4. part. cap. 9. num. 21. Ejus verba retulimus ſupra in cap. 21. quæ idcirco non videntur heic replicanda.

Huc accedit, quod oppidò facit ad propoſitum, Epiſcopis aliiſque Eccleſiarum præfectis, SS. Euchariſtiæ tabernaculum luſtrantibus, Stolatos aſſiſtere Parœcos ſeu Preſbyteros, in Eccleſiis Monachalibus, Cathedralibus & Parœcialibus.

De Monachalibus Eccleſiis teſtatur hoc Cæremoniale Monaſticum Congregationis S. Mauri, lib. 4. cap. 15. *De ritibus quotannis in Viſitatione SS. Sacramenti faciendis* num. 1. *Cùm ſingulis annis viſitandum eſt ſanctiſſimum Sacramentum, Sacriſta præparabit ſuper credentiam velum oblongum hu-*

meris R. P. Viſitatoris imponendum, & in Sacriſtia diſponet Albas pro ipſomet Viſitatore & Socio illius & pro Ceroferariis ac Thuriferario: Stolam & pluviale pro ipſo Viſitatore, & Stolam Diaconalem pro Socio ſibi aſſiſtente. Tum num. 2. *Viſitator cum Socio, præmiſſa brevi oratione & lotis manibus in Sacriſtia, accipiet paramenta, ſcilicet Albam, Stolam & pluviale album: Socius autem Viſitatoris induet ſe Alba & Stola Diaconali.* Et num. 3. *Socius Viſitatoris aſcendet ad altare, aperiet tabernaculum & ad dexteram Viſitatoris ſe recipiet.... Oratione finita Viſitator genua flectet, Aſſiſtens autem ſtatim aſcendet ad altare, genuflectet, ſacram pyxidem extrahet è tabernaculo & ponet ſuper corporale...... Viſitator ſurget cum Aſſiſtente, qui Aſſiſtens accepta pyxide removebit ejus operculum, & cum eodem Viſitatore attentè SS. Sacramentum & ejus vas.. inſpiciet... Aſſiſtens recludet pyxidem juxta tabernaculum ... & clauſo oſtio deſcendet ad dexteram celebrantis.*

De Cathedralibus Eccleſiis id oſtendit Lucas Antonius Reſta, Epiſcopus Andrienſis, & Apoſtolicus Viſitator in *Directorio Viſitatorum*, part. 1. cap. 4. *De Viſitatione SS. Sacramenti in Cathedrali Eccleſia*, in quo ait: *Accenſis in oſtitiis ad id prius præparatis, & Archipreſbytero, ſeu alio cuſtodiæ SS. Sacramenti præfecto ſuperpellicio & Stola*

la induto ibi præſente cum cæteris Clericis.... Epiſcopus pluviali ac mitra pretioſis ſuper rochetum cum amictu, cruce pectorali ac Stola indutus.... tabernaculum reſerare imperabit &c.

De Parœcialibus denique Eccleſiis conſtat illud ex *Perfecto Clerico* Claudii à Cruce Presbyteri, part. 4. cap. 1. tit. 8. *de viſitatione SS. Sacramenti*, num. 3. cujus hæc vocabula ſunt: [a] *Epiſcopus in meditullio altaris ſuper ſuppedaneo genuflectit, Parœcus aut qui ei primus aſſiſtit, corporale ſuper altari explicat, poſtea tabernaculum aperit (niſi Epiſcopus ipſe SS. Ciborium è tabernaculo velit extrahere) ſtolam quoque albam induit & genuflectit: deinde pyxidem ſacram educit, genuflectit iterum, & ad dextram Epiſcopi ſe recipit.* Et num. 5. *Benedictione data, ſacrum Ciborium in Corporali reponit, quod Ciborium Preſbyter aſſiſtens poſtquam genuflexit, tabernaculo infert ſuper corporali, denuo genuflectit, tabernaculum claudit & diſcedit.*

Conſtat etiam ex 2. parte Ritualis Romani ad uſum diœceſis Alectenſis, Inſtitut. 6. Tit.

[a] L'Evêque ſe met à genoux au milieu de l'Autel ſur le marchepied, le Curé ou le premier des aſſiſtans eſtend un corporal ſur l'Autel, puis il ouvre le Tabernacle (ſi l'Eveſque ne veut tirer le S. Ciboire du Tabernacle) il prend auſſi une Eſtole blanche & fait genuflexion, puis tire le S. Ciboire & apres fait une autre genuflexion & ſe retire au coſté droit de l'Eveſque *&c.* La benediction eſtant donnée il remet le S. Ciboire ſur le Corporal, l'aſſiſtant faiſant genuflexion le remet dans le Tabernacle ſur le Corporal, fait encore genuflexion, le referme & ſe retire.

De ordine ad Epiſcopi viſitationem in diœceſis ſuæ Eccleſiis, n. 39. ubi dicit:[b] *Parœcus aſſumptâ ſtolâ albâ corporale extendet ſuper altari, ac poſtea tabernaculum aperiet; Deinde genuflexione facta, in ſecundo altaris gradu conſiſtet, quo cùm pervenerit, ſurget Epiſcopus.* Tum num. 43. *Interea Parœcus Ciborium claudet, & pyxidem (ſi qua ſit,) ac poſtmodo in ſecundo altaris gradu genuflectet.*

Apertiora ſunt iſta quàm ut aliqua expoſitione indigeant. Idcirco Parœci ſtolam in SS. Euchariſtiæ tabernaculi viſitatione coram Epiſcopis ſi geſtent, cur in ejuſdem viſitatione coram Archidiaconis non geſtabunt? Si autem in SS. Euchariſtiæ tabernaculi viſitatione ipſis eſſe licet ſtolatis, quare etiam toto alio viſitationis tempore non licebit?

[b] Le Curé ayant pris une Eſtole blanche étendra un Corporal ſur l'Autel, puis ouvrira le Tabernacle, & ayant fait une genuflexion il ſe viendra mettre ſur le 2. degré de l'Autel, ou eſtant arrivé l'Eveſque ſe levera. Cependant le Curé refermera le Ciboire & la boëte, s'il y en a, & ſe viendra enſuitte mettre à genoux ſur le 2. degré.

CAPUT XXIX.

Archidiaconi Sanctorum Reliquias, Baptiſterium, oleique Catechumenorum & ſacri chriſmatis vaſa ac cœmeterium luſtrare debent in viſitationibus ſuis At ejuſmodi ritibus ſtolatos adeſſe Preſbyteros jubent Miſſales ac Rituales libri plerique. Confutantur Archidiaconi quidam duplici Stola in viſitationibus opus non eſſe aſſeverantes, altera quam ipſi, altera quam Parœci induant. Alius in Archidiaconis ordo non exigitur à Diaconatu. Cùm ad Preſbyteratum promoventur, eorum honos quodammodo minuitur.

VI. LUSTRATO SS. Euchariſtiæ tabernaculo, ſunt qui ſacras Reliquias inviſant, ſi quæ in Eccleſiis viſitationi obnoxiis aſſerventur. Eas autem quomodo rite & ſecundùm Eccleſiaſtica inſtituta inviſent Archidiaconi, niſi oſtendant, exhibeant, aut etiam aliquando dent in manus, Parœci ſive alii eorum nomine Preſbyteri vel Diaconi? Qui enim Sanctorum reliquias in Eccleſiis exponunt, vel oſtentant, vel circumgeſtant, vel ab uno loco transferunt ad alium, vel denique contrectant nuda manu, Stolatos eſſe par eſt, & ita vulgò obſervari conſtat, tum apud San-

dionyſianum in Francia Monaſterium, cùm apud alias Eccleſias in quibus frequens viſitur ſacrarum Reliquiarum multitudo.

Certè quidem de Reliquiis in ſupplicationibus publicè geſtandis illud præfinivit S. Carolus Borromæus in Concilio provinciali Mediolanenſi 4. Tit. *De ſacris Reliquiis & miraculis & imaginibus*, hunc in modum: *Sacræ Reliquiæ, cùm in altari exponuntur, hæc ſerventur. Primò in illis exponendis proceſſio per Eccleſiam, ubi illæ ſunt, ab ejuſdem Clero agatur; certo luminum numero adhibito. Rurſus idem præſtetur cùm reconduntur. A ſacerdote, qui poſt Epiſcopum in illa Eccleſia digniorem ſacerdotalem locum obtinet (niſi aliquando Epiſcopus ipſe id munus ſibi obeundum cenſuerit) exponantur & recondantur, iſque ſuperpelliceo & Stola, vel pluviali etiam, pro Reliquiarum Eccleſiave ratione, indutus ſit.*

Johannes Baptiſta de Conſtantio Coſentinus Archiepiſcopus in *Monitis ad Rectores, Curatos, Preſbyteros & Vicarios*, part. 2. Tit.4.c.8. ſcribit: *Reliquias geſtari poſſe in Rogationum ſupplicationibus, aliiſque cum debito honore, hoc eſt cereis accenſis; Et qui eas geſtabit Presbyterum pluviali induendum, vel ſaltem ſuperpelliceo & Stola.* Et Antonius Godellus Vencienſis Epiſcopus in *Conſtitutionibus & Inſtitutionibus Synodlibus*,

Tit. 14. num. 6. ſtatuit[a] ut *Qui Sanctorum Reliquias portat ſuperpelliceo & Stola veſtiatur*. Quo reſpicit illa Claudii à Cruce Sacerdotis obſervatio in *Perfecto Clerico*, part. 3. cap. 1. Tit. De miſſis aliiſque multis ritibus, num. 30.[b] *Qui Sanctorum Reliquias in ſupplicationibus ferunt Presbyteri, ſuperpelliceis, Stolis, aut pluvialibus induantur.*

De Reliquiarum expoſitione id quoque præſcribitur in Cæremonialis Monaſtici Congregationis S. Mauri lib. 2. cap. 14. parag. 3. num. 1. *Quoties Reliquiæ ſacræ ſunt exponendæ, Sacriſta indutus Stola, ſi fuerit ſacerdos, aperit armarium in quo recluduntur.* Et in Cæremonialis Fulientini lib. 2. cap. 26. num. 1. *Sacræ Sanctorum Reliquiæ in altari exponantur hoc ritu. Sacriſta, ſi fuerit in ordine ſacerdotali, alioquin alius ſacerdos ſuperpelliceo vel alba paratus cum Stola deſuper, aperto armario in quo Reliquiarum capſulæ reconduntur..... Reliquias defert ad altare.* Num. 3. *Cum ſacræ Reliquiæ recondendæ ſunt in armario Sacriſta eadem ferè præſtabit quæ ſupra numero primo.* Et num. 4. *Quoties alicui privatim oſtendendæ ſunt Sanctorum Reliquiæ..... Sacriſta, ſeu qui eas oſtendit, genufle-xus aliquantulùm oret. Quòd ſi eas contrectaturus ſit, ſuperpelliceo vel alba cum Stola an-*

a Celuy qui portera les Reliques, ſera reveſtu de ſurplis & d'Eſtole.

b Quand on porte les ſaintes Reliques en proceſſion, les Preſtres ſont reveſtus d'Eſtoles ou de Chappes.

te induatur. Ac denique in Cæremonialis Eccleſiaſtici ad uſum FF. Minorum, parte 2. cap. 31. paragr. 2. num. 1. *Quoties Reliquiæ ſacræ ſunt exponendæ Sacriſta indutus Stola, ſi fuerit Sacerdos, aperiet armarium in quo recluduntur ... deferet eas ad altare aliumve locum ad id præparatum.* Num. 3. *Cum recondendæ erunt, Sacriſta eadem præſtabit quæ in expoſitione.* Num. 4. *Si ſint valdè inſignes Reliquiæ quibus maximus honor deferatur, & potiſſimum ſi exponantur in feſto Sancti, cujus eæ ſunt, Sacriſtam ut ſupra præparatum duo ceroferarii præcedent..... Et cùm finita ſolemnitate erunt recludendæ, idem ritus ſervabitur.* Ac num. 5. *Quando privatim oſtenduntur, prius debet accendi cereus vel duo, & Sacriſta vel alius parari ut ſupra, qui aperto armario, genibus flexis orabit aliquantulum; quæ quidem obſervanda ſunt potiſſimum quando ſunt contrectandæ.*

Cùm autem Archidiaconis viſitantibus privatim oſtendantur Sanctorum Reliquiæ à Parœcis, & vix ac ne vix quidem fieri poſſit ut inter oſtendendum non contrectent; unde illis ad id muneris obeundum Stola negatur, quæ in Cæremonialibus libris conceditur?

VII. Poſt ſacrarum Reliquiarum viſitationem ad baptiſterium deſcenditur, quò cùm perventum eſt Archidiaconis baptiſmi fontes recludunt Parœci, reſerataque Olei Cathechumenorum ac ſacri Chriſmatis vaſa ipſo-

rum ponunt in conſpectu. Sed hoc à Parœcis ſtolam indutis fieri debere inde manifeſtò conficitur, quòd alio tempore quàm in Paſchatis ac Pentecoſtes pervigiliis, novum Catechumenorum oleum, novúmque Chriſma, veteribus ſublatis, qui infundunt Sacerdotes, Stolatos eſſe præcipiant Miſſales Ritualeſque Carnotenſis Eccleſiæ libri, ubi *De fontium baptiſmalium benedictionibus* agunt, quæ in Sabbatis Paſchæ & Pentecoſtes uſurpantur. *Notandum* (inquit Miſſale an. 1669.) *quòd ſi oleum & Chriſma novum, ideſt eo anno in Cœna Domini ab Epiſcopo conſecratum, in tempore haberi non poſſint ad fœcundationem & ſanctificationem fontis, non adhibebitur vetus, ſed omittetur infuſio & triplex illa forma*, Sanctificetur, Infuſio, *&* Commixtio. *Et ſtatim atque habita fuerint novum oleum & Chriſma, Sacerdos alba vel ſuperpelliceo & Stola indutus, adhibitis duobus Clericis, altero cum cruce, & altero cum cereo accenſo, faciet de ipſis Sanctificationem aquæ fontis, modo quo ſupra.* Idem præſcribunt Miſſale an. 1625. & Rituale an. 1640. Leonorii Stampenſis Carnutum Epiſcopi.

VIII. Ætatis noſtræ Archidiaconi plerique Eccleſiarum Parœcialium cœmeteria in viſitationibus ſuis intrare non ſolent, ut pro fidelibus defunctis ibi quieſcentibus preces ad Deum fundant. Hic autem ritus cùm Pontificibus viſitantibus in Romano Pontificali

præſtituatur,ibidemq; viſitari dicantur Parœciæ *primò ad abſolvandas animas defunctorum*: mirum profectò quî omittatur ab Archidiaconis, niſi fortaſſe quia tunc ſtolatum ſacerdotem conveniret ipſis aſſiſtere. Sic enim teſtatur in *Baculi Paſtoralis* parte 2. quæſt. 1. Johannes Franciſcus de Pavinis *Iuris utriuſque & ſacræ Theologiæ Doctor ac cauſarum ſacri Palatii Apoſtolici auditor*, his verbis; *Poſthæc* Pontifex viſitans *aſſumpto pluviali nigri coloris exeat in cœmeterium Cruce, aqua benedicta, & Clero præcedentibus, cantando Reſponſorium*. Qui Lazarum reſuſcitaſti..... *Mox Epiſcopus Mitra depoſita recipiens hyſſopum cum aqua benedicta de manu alicujus oſculantis manum ejus, dicit*, Pater noſter, *aſpergens cœmeterium coram ſe & mox tradit hyſſopum alicui Sacerdoti ſuperpellicium & ſtolam habenti; manum ejus oſculanti, ut aſpergat totum cœmeterium. Ipſe autem proſequitur* &c.

Jam verò ſi in cœmeterii benedictione Presbyter coram Epiſcopo viſitante ſtolam geſtat, quid eſt cur eam coram Archidiaconis viſitantibus & in cœmeterio& in Eccleſia Parœci non geſtent?

At cui bono (inquiunt Archidiaconi quidam) duæ illæ Stolæ quas unâ deferent in cœmeterii benedictione, in SS. Euchariſtiæ tabernaculi, in ſacrarum Reliquiarum, ac fontium baptiſmalium viſitatione, Archidiaconus

& Parœcus? Sic nos Parœci reponimus. Cui bono multiplices illæ Stolæ quas Sacerdotes & Diaconi Eucharistiam in Miſſa Cœnæ Dominicæ percipientes geſtant? Cui bono duæ illæ Stolæ quas Epiſcopus & Archidiaconus in publicè pœnitentium reconciliatione ferunt? Cui bono tres illæ Stolæ quibus in Abbatis benedictione Epiſcopus duóque Aſſiſtentes Abbates exornantur? Cui bono quatuor aut etiam plures illæ Stolæ quas in Ordinatione Preſbyteri Epiſcopus & tres aut plures ſacerdotes habent è collo pendentes? Cui bono viginti illæ Stolæ quas in ſacri Chriſmatis confectione Epiſcopus, duodecim Preſbyteri & ſeptem Diaconi induunt? Cui bono ingens illa ſtolarum multitudo quibus Archipresbyteri, ſeu Decani rurales & Parœci in Synodis veſtiuntur? Cui bono denique duæ illæ Stolæ quas in pleriſque diœceſibus, ut Pariſienſi, Rotomagenſi, Catalaunenſi, Andegavenſi & aliis, unâ geſtant Archidiaconus ſeu Pontifex viſitans, & viſitatus Parœcus? Huic utique bono fertur ab Epiſcopis, Parœcis, ceteris Sacerdotibus ac Diaconis Stola, vel ut externo ejuſmodi ſigno ſecernantur ab aliis, vel quia aliquo Eccleſiaſtico munere detinentur, cui obeundo Stola eſt neceſſariò adhibenda. Quandoquidem ergo in Archidiaconorum viſitationibus Parœci & ſuum officium tractant, & à ſibi ſubjectis Presbyteris aliqua nota diſcriminari

opus habent, cui bono à ferenda in hiſce viſitationibus Stola impediuntur?

Si duplex Archidiaconis Stola diſplicet, ſuam Parœcis relinquant, & ſuam ipſorum abiiciant. Quod ſi nolint ſuam abiicere, Diaconorum inſtar geſtent, quò facilius à Parœcis diſcernatur, qui eam Presbyterorum inſtar geſtabunt. Diaconi enim ex primaria inſtitutione ſunt Archidiaconi, ut jam ſemel & iterum obſervavimus, neque alius in illis exigitur ordo quàm Diaconatus, ex cap. *Vt Abbates*, Tit. *De ætate, & qualitate & ordine præficiendorum*, & ex cap. *Cùm in cunctis*, parag. *Inferiora*, Tit. *De electione, & electi poteſtate*. Unde Petrus Bleſenſis Bathonienſis Archidiaconus in Epiſt. 123. ad Richardum Londonenſem Epiſcopum teſtatur, *Sicut Epiſcopatui Presbyteratus annexus eſt, ſic & Archidiaconis Diaconatus ordinem quadam conſequentia inſeparabili counire. Ea propter* (inquit poſtea) *Archidiaconum in Presbyterum promoveri, non eſt honorem ejus augeri, ſed minui. Licèt enim in adeptione potioris gradus poſſit in quibuſdam locum habere coactio, tamen quod quis à ſuperiori ſtatu deſcendere compellatur, expreſſo ſcimus contraire decreto ..... Quomodo ergo deſtituetur quis à gradu quem Canonicè adeptus eſt, maximè cùm ex ipſa deſtitutione decreſcat? Nam in Cabilonenſi Concilio jure communi ſancitum eſt, ne quod aliquis legitimè obtinuit, niſi*

gravi culpa interveniente, amittat. Heic verò quædam honoris amiſſio eſt. Nam, ſi diligentius attendatur, Archidiaconorum præminentia & depreſſio ſimplicium Sacerdotum, quædam degradationis ſpecies eſt in Archidiaconis iſta promotio.

Sed ſeu Stolam in viſitationibus ſuis ferant Archidiaconi Diaconorum inſtar aut Presbyterorum, ſeu non ferant omnino, ullo jure impedire non poſſunt quominus illam Parœci geſtent. Nam (uti ſuprà annotatum eſt) ſi ipſo viſitationis tempore Parœcialia quædam munia obeunda ſunt, an non in conſpectu & ante oculos Archidiaconorum illa exercere Parœcorum erit, & quidem Stolatorum, cùm ſine Stola, ex communi totius Eccleſiæ uſu libriſque Ritualibus omnibus, non ſint ab iis exercenda? Quod ſi in obeundis hujuſmodi muneribus, quæ in Eccleſia Dei magna ſunt ac illuſtria, & quorum pleriſque tractandis ex ſuæ inſtitutionis dignitatiſque ratione oppidò inepti ſunt Archidiaconi, Parœcos ſtolam induere neceſſe eſt: cur ea ſpoliabuntur in Archidiaconorum viſitationibus, quæ *etiam non Sacerdoti competunt*, ſicuti ſæpius ex Bartholino Jureconſulto probavimus, & ordinis ſunt ut longè inferioris, ſic nec ita Eccleſiæ neceſſarij?

CAPUT XXX.

Multis in locis Parœci Archidiaconorum viſitationibus Stolati interſunt, Rotomagenſes, Belliſmenſes & circa Belliſmum commorantes in diœceſi Sagienſi, Catalaunenſes, Royenſi Decano & Capitulo obnoxij, Andegavenſes, & Pariſienſes. Idipſum Monachi quidam uſurpant in ſolemnibus Legatorum Apoſtolicorum, Epiſcoporum, aliorumque inſignium virorum occurſationibus, atque etiam in Pontificum viſitationibus. Quibus Pariſienſe Senatusconſultum adverſus Epiſcopum Ambianenſem datum nititur rationes quinque, Stolæ in Epiſcoporum & Archidiaconorum viſitationibus ferendæ jus Parœcis omnibus tribuunt. Carnotenſes Parœcos, Pariſienſium inſtar, Stolatos Archidiaconorum ſuorum viſitationibus intereſſe convenit. Romani libri Rituales in Pontificum viſitationibus geſtandum pluviale præſcribentes, idem ferè agunt ac ſi Stolam geſtandam præſcriberent. Pluviale enim, quod veteris Stolæ ſimilitudinem præ ſe fert, Stola dilatata, & Stola Pluviale contractum eſt.

NEc verò cogitandum eſt aliquid inſolens à Parœcis ſuſcipi dum Stolas in

Archidiaconorum viſitationibus induunt. Ut enim hocce loco non replicem Stolatos illos Synodis intereſſe coram Sedis Apoſtolicæ Legatis, Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitis & Epiſcopis; Stoláſque in omnibus ferè Eccleſiaſticis Officiis & functionibus ſuis geſtare ſolitos: Eccleſiæ quoque Præſulum & Archidiaconorum viſitationibus Stola exornatos ſe ſiſtere, certiſſimo multarum Gallicanæ Eccleſiæ diœceſeon uſu receptum videmus.

De Parœcis universè teſtatur hoc Bartholomæus Gavantus in *Praxi compendiaria viſitandæ civitatis & diœceſis ab Epiſcopo*, parag. 5. Ubi *Indicem* texens *præparandarum à viſitandis*, memorat num. 10. *Pluviale & Stolam coloris albi pro Rectore Eccleſiæ.* Quare ſi ex illius Scriptoris ſententia qui Eccleſiaſticos ritus habebat in numerato, qui de illis varios tractatus & accuratiſſimos edidit commentarios, qui denique *ſanctæ Romanæ Rituum Congregationis Conſultor* fuit, *Rector Eccleſiæ* viſitatæ debet coram Epiſcopo viſitante *pluviale & Stolam* geſtare, cur Stolam in Archidiaconorum viſitationibus ipſi ferre non licebit?

De Parœcis Rotomagenſibus id patet tum vulgato Rotomagenſis diœceſis more, cùm Senatus Rotomagenſis Placito, die 13. Januarii an. 1626. lato adverſus Adrianum Behottum Rotomagenſis Eccleſiæ Archidiaconum

majorem, inſanabili contra Parœcos juriſdictioni ſuæ obnoxios litigandi cacoëthe famoſiſſimum. Ipſa ejuſce Placiti vocabula ad paginæ oram refero [a], quibus liquido intelligitur debere Parœcos Stolam in viſitationibus geſtare, *Ex ſanctis Decretis Conciliorumque Canonibus*, & hanc eſſe conſtantiſſimam Rotomagenſis diœceſis conſuetudinem.

Huic egregium præſtat teſtimonium Petrus Moreſtellus Doctor Theologus & Eccleſiæ Parœcialis S. Nicolai *de Tallia* in diœceſi Rotomagenſi Paſtor, 1. part. *Vexilli Prælatorum & clypei Paſtorum*, cap. 9. num. 2. Ubi & multa tradit noſtram *de Stola in Archidiaconorum viſitationibus geſtanda à Parœcis* ſententiam confirmantia [b]. *Generalis illa con-*

[a] La Cour a donné & donne defaut aux Appellans à l'encontre dudit Behotte Grand-Archidiacre, en preſence dudit Berenger ſon Procureur ; & pour le profit d'iceluy, dit qu'il a eſté mal, nullement & abuſivement procedé & jugé par ledit Vice-gerant de l'Official de Roüen : bien appellé par les Appellans. A caſſé & annullé, caſſe & annulle ladite Sentence au Chef dont eſt appellé ; & faiſant droit ſur les concluſions tant du Procureur General que des parties, a maintenu & maintient les Curez en la poſſeſſion & forme accoûtumée, de porter l'Etole lors des viſites, ſuivant les ſaints Decrets & Canons des Conciles ; Et fait inhibitions & deffenſes audit Grand-Archidiacre & tous autres de les y troubler ; a condamné & condamne ledit inthimé aux dépens envers les Appellans, moderez & taxez à la ſomme de vingt-livres. *Signé* De bois-l'Eveſque.

[b] Cette coutume generale jointe à l'authorité de l'Egliſe, par l'Ordonnance des Conciles, a obligé tous les Archeveſques & Eveſques ſouffrir porter l'Eſtole en leur preſence à toutes occaſions. Entre les autres quand feu Monſeigneur le Cardinal de Bourbon fit ſa Viſite generale par tout le Dioceſe de Roüen, tous les Curez s'y preſenterent veſtus de ſurplis & Etoles, ſuivãt l'uſage la coûtume & la tradition de leurs predeceſſeurs. En la

ſuetudo (inquit) *Eccleſia auctoritati per decreta Conciliorum accedens, fecit ut Archiepiſcopi & Epiſcopi omnes geſtandæ Stolæ facultatem Presbyteris ſemper concesſerint. In primis autem cùm Cardinalis Borbonius* Rotomagenſis Archiepiſcopus *viſitationem ſuam per univerſam diœceſim Rotomagenſem inſtituit, Parœci omnes ex uſu, conſuetudine, & deceſſorum ſuorum traditione, ſuperpelliceis & Stolis induti adfuerunt. Henrico Magno Rotomagum ingredienti ſuperpelliceis quoque*

ville de Roüen lors de l'entrée d'Heury le Grãd, tous les Curez eſtoient veſtus de ſurplis & Etoles, & en ſes funerailles les Curez de Paris, j'en ſuis témoin. En celles de Monſieur de Gondy Eveſque de Paris, les Curez veſtus de meſme façon marcherent à la gauche des Archeveſques & Eveſques. Ce qui ne doit eſtre nouveau, eſtant cette forme preſcrite *In Ordine Romano*, qui a pour autheur Caſſander. Finalement à l'entrée de Monſeigneur l'Archeveſque, ils furent au devant de luy, tous veſtus de pareils ornemens, où j'eus l'honneur d'y marcher en mon rang. Ce qui fut fait encore quand apres cette année il fit ſa viſite en perſonne. En laquelle viſite il y a cela de remarquable, que le Curé de S. Eloy de Roüen s'eſtant alors preſenté ſans Etole, mondit Seigneur luy fiſt commandement de la porter, & obſerver cette coûtume generale de l'Egliſe. Si en la preſence de Monſeigneur, qui eſt le Chef de noſtre corps, nous en ſommes honorez: & ſi en la lumiere du Soleil Epiſcopal elle reluit, pourquoy la depoſer devant ceux qui de droit nous ſont inferieurs? Il ne faut oublier l'exemple des Eveſques, leſquels par le commandement du Roy ont porté le Rochet, marque d'honneur, en la preſence du Cardinal Barberin, Legat de noſtre S. Pere, lors qu'il fit ſon entrée dans Paris l'an 1625. Et Meſſieurs des Parlemens en la preſence de ſa Majeſté en ſon lit de Juſtice, ſont veſtus de leurs robbes de pourpre. Les Officiers Royaux & autres ſubalternes ſe preſentent au Parlement avec l'habit de Juſtice. *Guidon des Prelats & Bouclier des Paſteurs, 1. partie, chap. 9. nomb. 2. par Pierre Moreſtel, Docteur en Theologie & Paſteur de S. Nicolas de la Taille, au Dioceſe de Roüen, Imprimé à Paris en 1634 chez Iacques Dugaſt, rue S. Iean de Beauvais à l'Olivier de Robert Eſtienne.*

& Stolis veſtiti Parœci omnes occurſavere, quod & à Parœcis Pariſienſibus factum in ejuſdem Regis funere teſtor ego. In exequiis etiam Illuſtriſſimi Henrici Gondii Pariſienſium Epiſcopi, iiſdem veſtibus exornati Parœci, ad Archiepiſcoporum Epiſcoporumque ſiniſtram proceſſere. Id ne minùs inſuetum videri debet, cùm in Ordine Romano, *cujus auctor eſt Caſſander, ita præſcribatur. Denique ubi Reverendiſſimus Archiepiſcopus* Rotomagenſis Franciſcus Harlæus Campo-vallonius *Rotomagum intravit, obviam ipſi proceſſere* Rotomagenſes *Parœci iiſdem ornamentis inſigniti. Proceſſi & ego meo ordine. Idem quoque contigit quando uno poſt anno coram ipſe diœceſim ſuam viſitavit. Qua quidem in viſitatione illud maximè notandum, quòd cùm Eccleſiæ S. Eligii Rotomagenſis Parœcus viſitanti ſine Stola adfuiſſet, hanc illum induere juſsit præfatus Archiepiſcopus, generalemque Eccleſiæ morem obſervare. Quod ſi in oculis illuſtriſsimi Archiepiſcopi, qui corporis noſtri caput eſt, Stolam gerimus: Quod ſi illa in Epiſcopalis Solis luce emicat: quid in eorum conſpectu, qui jure nobis inferiores ſunt, illam exuere neceſſe eſt? Neque heic prætermittendum videtur Epiſcoporum exemplum qui, ita jubente Chriſtianiſsimo Rege* Ludovico XIII. *coram Cardinali Franciſco Barberino ſummi Pontific is* Urbani VIII. *Legato Lutetiam Pariſiorum an.* 1625. *intrante, cum Rochetis, honoris*

noris inſignibus præſentes ſe ſe exhibuere. Supremarum præterea Curiarū Præſides ac Senatores in conſpectu Regis juſtitiæ tribunal occupantis, veſtibus purpureis induuntur. Denique Regii aliique medii & inferiores magiſtratus, judiciali habitu Senatui ſe ſiſtunt. Eo firmius ſpectabiliúſque eſt iſtud Moreſtelli teſtimonium, quòd de illis detur quæ ipſe vidit & quorum pars fuit non ultima. Idem cum ipſo teſtatur Chriſtianus Rotomagenſis Advocatus in Actione forenſi pro Nicolao Dehorſio S. Petri Honorati apud Rotomagum Rectore, & Renato Dehorſio S. Nicolai ibidem Parœco, adverſus Adrianum Behottum, an 1626. *apud Nicolaum Courantium Rotomagi* edita.

Accedit Conventus inter Magnetium Vulcaſſini Franciæ in Eccleſia Rotomagenſi Archidiaconum, & Johannem Richardum Triellenſem Parœcum initus an. 1664. per D. Anguilenguium Rotomagenſis Archiepiſcopi apud Pontœſianos Vicarium, ea nimirum conditione ut præfato Archidiacono viſitanti unam Stolam, Parœcis alteram, aliquis Presbyter geſtandam offerret. Hunc conventum, ut eo modo feriendum D. Anguilenguio nominatim mandaverat illuſtriſſimus Rotomagenſis, nunc verò Pariſienſis Archiepiſcopus Franciſcus Harlæus, ſuo poſtea conſenſu ratum habuit.

Conſtat præterea Parœcos Belliſmenſes,

nonnullóſque alios circa Belliſmum in diœceſi Sagienſi commorantes, Stolas in Archidiaconorum ſuorum viſitationibus geſtare, quod mihi ab eorum Parœcorũ aliquibus pro comperto renunciatum eſt. Scriptum etiam mihi eſt per Senatus Redonenſis Decretum à quadraginta annis aut circiter prolatum, Parœcis licere Stolam in Archidiaconorum viſitationibus ferre. Sed illud nondum ad manus meas devenit. Denique conſtat Parœcis Catalaunenſibus ab illuſtriſſimo Felice Vialartio Epiſcopo ac Comite Catalaunenſi, Stolam in ſuis viſitationibus portandi poteſtatem fuiſſe impertitam, ex quo præſertim tempore evulgatum eſt Pariſienſe Senatus-conſultum an. 1669. 5. Kalendas Januarias, quo eadem poteſtas facta eſt Decano & Canonicis Royenſibus in Epiſcopi Ambianenſis viſitationibus; ſicut & Parœcis Decani & Canonicorum Royenſium juriſdictioni ſubjectis, in eorumdem Decani & Canonicorum viſitationibus: Atque hoc Senatus-conſultum, etſi Epiſcopo Ambianenſi, Royenſibúſque Decano, Canonicis ac Parœcis, peculiare eſſe videatur, ad omnes tamen intra Pariſienſis Curiæ juriſdictionem conſtitutos Parœcos, Archidiaconos & Epiſcopos attinere, hinc conficitur, quòd univerſæ & ſingulæ quibus innititur rationes, à Cl. V. Dionyſio Talæo enumeratæ, Parœcis omnibus, quotquot ambitu ſuo Pariſienſis Senatus, imò & Chri-

ſtiana Reſpublica, quanta quanta eſt, complectitur, non minùs quàm Royenſibus, conveniant.

Quinque autem omnino ſunt rationes illæ. Prima, [a] *Stola jurisdictionis ſignum non eſt, ſed ſingulare Diaconatus ornamentum, quod idcirco ſolùm induunt Presbyteri & Epiſcopi, quia illud, cùm Diaconi facti ſunt, recepere.* Secunda, [b] *nullum Concilium eſt, nulla Canonica conſtitutio, lex nulla, decretum nullum, nullum Senatus-conſultum, quo Stola dicatur iuriſdictionis inſigne, & quo Decanis ac Parœcis eam in Epiſcoporum conſpectu deponere præcipiatur.* Tertia, [c] *Royenſis Decanus coram Epiſcopo Ambianenſi Stolam geſtans illud obſervavit, quod Concilio Provinciali Remenſi an. 1583. ſancitum eſt, Parœcos nimirum debere Synodis Stolatos intereſſe.* Quarta, *Glorioſius eſt* [d]

a L'Eſtole eſt un ſimple ornement particulier au Diaconat, lequel n'emporte aucune juriſdiction; Et ſi le Preſtre & l'Eveſque la portent, on peut ſoûtenir que ce n'eſt qu'à cauſe qu'ils l'ont receuë lorſqu'ils ont eſté faits Diacres.

b Il n'y a pas de Concile ny de conſtitution canonique qui ordonne à un Doyen de depoſer ſon Eſtole. Enfin dans une choſe qui n'eſt point decidée par aucun Canon, ny aucune Decretale, ny aucun Reglement, il y a de la precipitation d'avoir excommunié.

c Le Doyen de Roié a obſervé le Concile de Reims tenu en 1583. ce Concile Provincial, qui doit ſervir de regle à tous ceux du dioceſe d'Amiens dans les choſes douteuſes, a expreſſement ordonné aux Curez d'aſſiſter aux Synodes avec leurs Eſtoles.

d Il y a plus davantage à un Eveſque de viſiter les Curez & les Doyens reveſtus des Symboles de leur autorité, que de les en priver.

Epiſcopo Stolatos Parœcos & Decanos viſitare, quàm non Stolatos. Quinta denique, *ubi Reges in juſtitiæ tribunali ſedent Magiſtratus poteſtatis ſuæ inſignia non abiiciunt, ubi Princeps luſtrat exercitum, balteum militiæ ſignum non diſcingunt milites.*

Atqui rationes iſtas jus ferendæ in Archidiaconorum viſitationibus Stolæ Parœcis omnibus tribuere, quid opus eſt fuſiùs probare, cùm id per ſe ſatis eniteat?

Nam 1°. Si *Stola juriſdictionis ſignum non eſt, ſed ſingulare Diaconatus ornamentum:* immeritò Archidiaconi volunt hanc eò à Parœcis exui, quòd juriſdictionem deſignet.

II. Si *nullum Concilium eſt, lex nulla, decretum nullum, nullum Senatus-conſultum, quo Stola dicatur juriſdictionis inſigne. Et quo Parœcis eam in Epiſcoporum conſpectu deponere præcipiatur:* quo jure Parœcis eam in ſuo ipſorum conſpectu deponere præcipiunt Archidiaconi?

III. Si *Royenſis Decanus coram Epiſcopo Ambianenſi Stolam geſtans illud obſervavit, quod Concilio Provinciali Remenſi an. 1583. ſancitum eſt, Parœcos nimirum debere Synodis Stolatos intereſſe:* ubinam gentium Parœcos non invenias, quibus in

ᵉ Lorſque les Rois tiennent leur lit de juſtice, les Magiſtrats ſe depoüillent-ils des ornemens de leurs Magiſtratures? Lorſque le Prince fait la reveuë de ſes Soldats, les Soldats ont-de accoûtumé de deſceindre leur baudrier, qui eſt la marque ils leur profeſſion militaire.

aliqua Provinciæ vel diœceſeos ſuæ Synodo mandatum non fuerit Stolas in Synodis geſtare? Nobis certè Carnotenſibus Parœcis, qui ſub Pariſienſi Metropoli jam ab anno 1622. vivimus, Synodalia Statuta ſunt Epiſcoporum Pariſienſium, Odonis de Soliaco, an. 1208. Stephani Poncherii, an. 1515. Euſtachii Bellaii, an. 1557. & Petri Gondii circa an. 1596. exemplum Harduini Perefixei Archiepiſcopi Pariſienſis, cujus Synodo Stolati interfuere omnes Parœci Pariſienſes, ac præterea Franciſci Harlæi Campo-Valonii Pariſienſis quoque Archiepiſcopi *Mandatum* an. 1673. die Junii 16. & *Ordo Cæremoniarum in Synodo Pariſienſi obſervandarum*; nec non & Synodalia Statuta Epiſcoporum Carnotenſium Milonis Islerenſis, an. 1489. & Caroli Guillardi, an. 1559. quæ omnia Parœcos jubent Stola exornatos Synodis adeſſe, atque ideo viſitationibus, ut ratiocinatur Talæus.

IV. Si *glorioſius eſt Epiſcopo Stolatos Parœcos viſitare, quàm non Stolatos*: Nonne idem etiam Archidiaconis eſt glorioſius?

V. Denique ſi *ubi Reges in juſtitiæ tribunali ſedent, Magiſtratus poteſtatis ſuæ inſignia non abiiciunt*; ſi *ubi Princeps luſtrat exercitum, balteum militiæ ſignum non diſcingunt milites*: Quare Parœci in Archidiaconorum viſitationibus Stolam, quæ Presbyteri ſignum eſt aliquod Eccleſiaſticum offi-

cium fungentis, deponent ac diſcingent ?

His igitur quinque rationibus, quaſi firmamento, cùm fulciatur Pariſienſe Senatusconſultum, ſin minus ad omnes Chriſtianæ Reipublicæ Parœcos pertinet (ut revera pertinere non poteſt) & illis ſaltem favet omnino, qui Pariſienſis Curiæ juriſdictioni obnoxii ſunt, cujus profectò ordinis ſumus quotquot in Carnotenſi diœceſi commoramur.

Non tantùm autem in diœceſanis Synodis, ſed etiam in Archiepiſcopi Pariſienſis, ipſius Vicariorum generalium, atque Officialis & Eccleſiæ Pariſienſis Archidiaconorum viſitationibus Stolam geſtant Pariſienſes Parœci, nemine reluctante, nemine contradicente. Ubi Pariſiacæ urbis Eccleſias ingreditur, humaniſſimus Pariſienſis Archiepiſcopus Franciſcus Harlæus Campo-valonius, obviam illi procedunt Stolati ejuſmodi Eccleſiarum Parœci, & ſedenti poſtea ſeu Stolato, ſeu non Stolato, aſſident Stolati, uti omnibus eſt compertũ. Si quando Parœcos non Stolatos ſuis in Viſitationibus deprehendit V. Cl. Hamelinus, Pariſienſis Eccleſiæ major Archidiaconus, jubet eos Stolam induere, quemadmodum mihi eſt non ſemel ab ipſomet renunciatum. Atque hæc unica ratio apud æquos rerum arbitros ſatis fuerit ut Carnotenſibus Parœcis de ferenda in Archidiaconorum ſuorum viſitationibus Stola, lis nulla intentetur: quandoqui-

dem Pariſienſi ſubſunt Metropoli, ubi ea conſuetudo viget, ubi is mos uſurpatur, & omnes ejuſdem provinciæ Eccleſias iiſdem ritibus uti convenientiſſimum, ſacriſque Canonibus maximè conſentaneum videtur.

Hinc Concilium Veneticum circa an. 465. in can. 15. ait: *Rectum quoque duximus, ut vel intra provinciam noſtram ſacrorum ordo & pſallendi una ſit conſuetudo; & ſicut unam cum Trinitatis confeſſione fidem tenemus, unam & Officiorum regulam teneamus, ne variata obſervatione, in aliquo devotio noſtra diſcrepare videatur.*

Hinc Concilium Epaonenſe an. 517. can. 27. *Ad celebranda divina Officia ordinem quem Metropolitani tenent Provinciales obſervare debebunt.*

Hinc Concilium Gerundenſe an. eodem, can. 1. ut habetur can. *Inſtitutio*, De Conſecrat. Diſt. 2. *Inſtitutio Miſſarum, ſicut in Metropolitana Eccleſia agitur, ita in Dei nomine in omnibus provinciis, tam ipſius Miſſæ ordo, quàm pſallendi vel miniſtrandi conſuetudo ſervetur.*

Hinc Concilium Bracarenſe 2. an. 563. can. 1. *Placuit omnibus communi conſenſu, ut unus atque idem pſallendi ordo in Matutinis, vel Veſpertinis officiis teneatur; & non diverſa ac privatæ neque Monaſteriorum conſuetudines cum Eccleſiaſtica regula ſint permixtæ.* can. 4. *Item placuit ut eodem ordine*

Miſſa celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſuſcepit ſcriptum. Et can. 5. *Item placuit ut nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem & antea tenuit Metropolitana Bracarenſis Eccleſia, & pro amputanda aliquorum dubietate, prædictus Profuturus Epiſcopus ſcriptum ſibi & directum à Sede beatiſſimi Apoſtoli Petri ſuſcepit.*

Hinc Concilium Toletanum 4. an. 633. can. 2. *Placuit ut unus orandi atq; pſallendi modus à nobis per omnem Hiſpaniam atque Galliciam conſervetur. Vnus modus in Miſſarum ſolemnitatibus, unus in Veſpertinis Officiis: nec diverſa ſit ultra in nobis Eccleſiaſtica conſuetudo, quia in una fide continemur & regno.*

Hinc denique Concilium Toletanum 11. an. 674. vel 676. can. 3. *De his qui contra Apoſtoli voluntatem circumferuntur omni vento doctrinæ; Placuit huic ſancto Concilio ut Metropolitanæ Sedis auctoritate coacti uniuſcujuſque provinciæ Pontifices, Rectoréſque Eccleſiarum, unum eúndemque in pſallendo teneant modum, quem in Metropolitana Sede cognoverint inſtitutum: nec aliqua diverſitate cujuſque Ordinis vel Officii à Metropolitana ſe patiantur Sede disjungi. Sic enim juſtum eſt ut inde unuſquiſque ſumat regulas magiſterii, unde honoris conſecrationem accepit: ut,*

juxta

juxta majorum decreta, Sedes quæ unicuique Sacerdotalis mater eſt dignitatis, ſit Eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Abbatibus ſanè indultis Officiis, quæ juxta voluntatem ſui Epiſcopi regulariter illis implenda ſunt, cetera officia publica., id eſt, Veſperam, Matutinum ſive Miſſam aliter quàm in principali Eccleſia celebrare non liceat. Quiſquis autem horum decretorum violator exſtiterit, ſex menſibus communione privatus, apud Metropolitanum ſub pœnitentiæ cenſura permaneat corrigendus: qualiter apud illum & præteritæ tranſgreſſionis culpam lacrymis diluat, & neceſſariam officiorum doctrinam ſtudiosè addiſcat. Sub iſta ergo regula diſciplinæ, non ſolùm Metropolitanus totius ſuæ provinciæ Pontifices vel Sacerdotes adſtringat, ſed etiam ceteri Epiſcopi ſubjectos ſibi Eccleſiarum Rectores his obtemperare inſtitutionibus cogant.

Quæ etiam ratio fuit cur Dionyſius Talæus Royenſi Decano, ex inſtituto provincialis Concilii Remenſis an. 1583. quod Parœcos in Synodis Stolatos eſſe præcipit, Stolam in Epiſcopi Ambianenſis viſitationibus ferendam eſſe collegerit: [a] *illudque Concilium provinciale* dixerit *in dubiis regulæ loco eſſe debere omnibus intra Ambianenſis diœceſis*, (quæ Remenſi Suffraganea eſt, ut Pariſienſi

[a] Ce Concile Provincial qui doit ſervir de regle à tous ceux du Dioceſe d'Amiens, dans les choſes douteuſes, a expreſſément ordonné aux Curez d'aſſiſter aux Synodes avec leurs Etoles.

Carnotenſis) *limites habitantibus*. Adeout ſi Carnotenſem Eccleſiam Pariſienſis Eccleſiæ Metropolitanæ ſuæ mores, ſaltem in dubiis uſurpare conveniat, & in Pariſienſis Archiepiſcopi, ejus Vicariorum generalium, & Officialis, ac Pariſienſis Eccleſiæ Archidiaconorum viſitationibus, Pariſienſes Parœci Stolati compareant: quid obſtare poſſit quominus etiam in Archidiaconorum Carnotenſium viſitationibus Carnotenſes Parœci Stolatos ſe exhibeant?

Non omittendum hoc loco totius Andegavenſis diœceſis Parœcos Stolam in Archidiaconorum ſuorum viſitationibus induere, quemadmodum compertum eſt ex libro Andegavi edito an. 1642. cui Titulus, *Proceſſionale Andegavenſe ad Eccleſiaſticæ inſtitutionis normam reſtitutum, & additis precibus ac rubricis neceſſariis locupletatum. Auctoritate Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi in Christo Patris & Domini D. Claudii de Rueil, Epiſcopi Andegavenſis, cum conſenſu venerabilis Capituli.* In ſecundæ enim partis hujus libri pagina CXLV. habetur *Ordo in viſitatione Archidiaconi*, ubi legas: *Mandato viſitationis debitè publicato, pulſantur campanæ. Paratur pluviale ſeu cappa decens cum Stola pro Archidiacono, & loco convenienti prope altare aqua cum pelui & manutergio, thus in navicula ac thuribulum cum candentibus carbonibus, atque inſuper corporale ſuper altari

majori. Archidiacono autem accedente ad Eccleſiam, prodit in ejus occurſum Rector Parochialis, STOLA ALTERA DE MORE INDUTUS, *alteram manu gerens plicatam praeunte vexillo, cruce, cum cereis & aqua benedicta, & omnibus Preſbyteris & Clericis Parochiae, ſuperpelliceo cum bireto quadro indutis, ordine debito cum modeſtia & ſilentio, procedentibus uſque ad ingreſſum cœmeterii ſeu veſtibuli, ubi non fuerit cœmeterium in aditu Eccleſiae conſtitutum; & ibi ſalute ab omnibus datâ ſine perturbatione ordinis, idem Rector Stolam quam manibus tenet Archidiacono cum reverentia explicatam offert, ſtatimque ejus collo circumdat, & iterum facit reverentiam. Tum regrediente proceſſione cùm in limine Eccleſiae conſtiterint, idem Rector cappam, miniſtrante Sacriſta, vel uno ex Procuratoribus fabricae, induit Archidiacono: deinde porrigit eidem aſpergillum cum aqua benedicta, qua ille ſeipſum, Rectorem, & Clerum ac populum aſpergit: Et ſtatim praintonante Rectore, incipit Reſponſorium de ſancto Patrono ipſius Eccleſiae, & proſequente Clero reſponſorium, populo ſubſequente, proceſſionaliter deducitur uſque ad Crucifixum, ubi omnibus ab utraque parte in modum Stationis conſiſtentibus, finito Reſponſorio Archidiaconus dicit Verſiculum convenientem & Orationem de eodem Sancto,* &c. Atque hic viſitantibus Archidiaconis occurſandis ritus hodie quoque in Andega-

venſi diœceſi uſurpatur.

Stolam quoque in ſolemni Sedis Apoſtolicæ Legatorum, Epiſcoporum & aliorum inſignium virorum occurſatione à Monachis quibuſdam geſtari, multa eorum monumenta fidem faciunt. Unum erit inſtar omnium *Ordinale Fratrum Ordinis Carmelitarum*, cujus in Rubrica 50. quæ eſt, *De ſolemni receptione Legatorum, ſive Epiſcoporum, ſive ſæcularium perſonarum*, ſic ſtatuitur: *Primò duo Miniſtri præcedant qui deferant aquam benedictam & thuribulum: deinde Cruciferarius cum cruce: poſtmodum Diaconus cum libro Evangeliorum, & demum Prior cum Stola ſuper cappam & libello ad officium neceſſario.*

Quòd ſi Monachos in ejuſmodi ritibus ſtolatos eſſe expedit: quidni & in Archidiaconorum viſitationibus Parœcos? Cur Parœcis non licebit coram Archidiaconis illud Eccleſiaſticum indumentum portare, quod Monachis coram Apoſtolicis Legatis & Epiſcopis portare licet? An Parœci quos *inferiores* ſeu *minores Prælatos* pleráque Concilia & Facultas Theologiæ Pariſienſis variis in Decretis & Cenſuris appellant, quique honorificum in Ordine Hierarchico locum occupant, deterioris conditionis erunt Monachis, quos eo nomine Eccleſiaſtica Hierarchia nec recipit, nec ſuorum numero accenſet. Sed hæc invidioſa diutiùs perſequi animus non eſt.

Denique Stolam in Archiepiſcoporum & eorum Vicariorum viſitationibus à nonnullarum Monialium Confeſſariis (ut aiunt) deferri liquidò probatur ex *Cæremoniali Sanctimonialium Prioratus Regii Hoſpitalis S. Nicolai Pontœſiani, Ordinis S. Auguſtini*, lib. 2. cap. 8. Tit. *Ordo ſervandus in viſitatione Illuſtriſsimi Archiepiſcopi* Rotomagenſis *aut ejus Vicariorum*, ubi legitur: [a] *Viſitatori Eccleſiam mox ingreſſuro occurrent eo ordine Sacerdotes. Confeſſarius, alba, amictu, Stola & pluviali indutus, ejuſque fratres ſuperpelliceo, proceſsionaliter è Sacriſtia exibunt. Præcedet illos Crucem portans Clericus, cui hinc & inde aderunt duo Acolythi candelabra cum cereis ardentibus tenentes*, &c. *Dum Reſponſorium cantabitur, lento gradu accedet proceſsio ad majus altare, quo cùm Viſitator pervenerit, in loco parato ſubſiſtet, Confeſſarius autem in altaris ſuppedaneo. Oratione ac*

[a] Quand le Viſiteur ſera proche d'entrer à l'Egliſe, les Preſtres l'iront recevoir en cet ordre. Le Confeſſeur eſtant reveſtu d'aube, d'amict, d'Eſtole & de chappe, & ſes Confreres de ſurplis, ſortiront proceſſionnellement de la Sacriſtie, precedez d'un Clerc portant la Croix, & à coſté de luy deux Acolythes tenans les chandeliers avec des cierges allumez, *&c.* Pendant le Reſpond la Proceſſion s'avancera pauſément vers le grand Autel, où eſtant parvenuë, le Viſiteur ſe mettra au ſiege preparé, & le Confeſſeur ſur une marche de l'autel. Apres les Verſets & l'Oraiſon, les Chantres éleveront l'Antienne *O Chriſti pietas*, durant laquelle le Sacriſtain preſentera l'Etole & la chappe au Viſiteur. Pendant que le Chœur chante, un des Chappellains otera la chappe du Pere Confeſſeur, & fera allumer les Cierges; & l'Oraiſon achevée, le Confeſſeur tirera du Tabernacle le S. Ciboire, qu'il poſera deſſus un corporau qui ſera étendu ſur l'Autel,

verſu finitis Antiphonam O Chriſti pietas *intonabunt cantores, & viſitatori ſtolam & pluviale offeret Sacriſta. Interim dum chorus cantabit, unus è Capellanis pluviale P. Confeſſario auferet, & cereos accendi imperabit, completaque oratione Confeſſarius ſanctum Ciborium è tabernaculo extrahet, quod ſuper Corporale explicato in altari collocabit* &c. Ad ea jam venio quæ mihi poſſunt Romanis ex libris Ritualibus opponi.

Nimirum Romani libri Rituales, & qui ad eorum inſtar conſcripti ſunt, Parœcis aliiſque Eccleſiarum præfectis Stolam in Epiſcoporum viſitationibus, atque in *Receptionibus Prælatorum, Regum, Principum ac Principiſſarum*, ferendam non aſſignant, ſed *cappam*, ſeu, ut vulgò vocant, *pluviale*. Ita enim legitur in Rituali Romano Pauli 5. Tit. *De viſitatione Eccleſiæ parochialis per Epiſcopum facienda*; In Pontificali Romano Clementis VIII. & Urbani VIII. tum in *Ordine ad viſitandas Parochias*; cùm in *Ordinibus ad recipiendum proceſſionaliter Prælatum vel Legatum, Imperatorem, Regem, Principem magnæ potentiæ, Imperatricem vel Reginam, & Principiſſam magnæ potentiæ*; In Ritualis Romani ad uſum Alectenſis diœceſis part. 2. Inſtit. 6. In Manualis ſacrarum Cæremoniarum à Michaële Baldrico evulgati, part. 2. cap. 19. In Cæremonialis Monaſtici Congregationis S. Mauri, libro 4. cap. 4. In Cære-

monialis Romani ad uſum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini part. 3. cap. 12. Et in Cæremonialis Eccleſiaſtici ad uſum Fratrum Minorum, part. 1. cap. 18.

Verùm iſta ſententiæ noſtræ nihil officiunt. Si enim res tota diligenter expendatur, antiqua Stola, qua etiam nunc Græci Sacerdotes & Pontifices utuntur, maximam præ ſe ferebat *pluvialis* ſeu *cappæ* ſimilitudinem, quam cappam Honorius Auguſtodunenſis Preſbyter in opere cui titulus, *Gemma animæ* ſive *De antiquo ritu miſſarum, de horis Canonicis & totius anni ſolemnitatibus*, lib. 1. cap. 227. ait *pro tunica hyacinthina Legis mutuatam videri, in ſupremo habere caputium, uſque ad pedes pertingere, & in ante apertam manere*. Adeout dum pluviale in Epiſcoporum viſitationibus, aliiſque ejuſmodi celebribus occurſationibus præſcribitur, idem fere ſit ac ſi geſtanda vetus Stola decerneretur, cùm hæc ab illo vel parum, vel nihil diſcreparet. Unde quam Theodoretus in lib. 2. Eccleſ. Hiſtor. cap. 27. narrat Machario Epiſcopo Hieroſolymitano datam fuiſſe à Conſtantino Magno *Stolam*, (στολὴν) eam ipſam Nicolaus Thuanus Epiſcopus Carnotenſis in *Brevi Collectione & Explicatione Miſſæ*, fol. 11.[a] & Gilbertus Grimaldus in *Liturgia ſacra* part. 1.

[a] L'Hiſtoire Eccleſiaſtique remarque que le Grand Conſtantin donna une tres-précieuſe *Chappe* à Machaire Patriarche de Jeruſalem, pour ſervir en ſon égliſe à l'uſage des Bapteſmes.

cap. 6. parag. 5. [b] num. 3. vocant *cappam*, quòd nempè *Stola* vetus *cappæ* noſtræ ſimilis foret. Stola autem vetus, an nova, in Cæremoniis id genus portanda præſtituatur, quid refert? Portanda enim eſt, quæcumque tandem illa ſit.

Quòd verò ad talos uſque protenſa fuerit vetus *Stola*, declarat è Græcis Scriptoribus S. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha in *Theoria rerum Eccleſiaſticarum*, his verbis: *Stola ſacerdotalis eſt ad exemplũ talaris Aaron, ideſt veſtimentum quod ſacerdotale eſt indumentum, ad pedes uſque honorabiliſſimum.* E Latinis autem Guillelmus Durandus Mimatenſis Pontifex in lib. 3. *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. 5. idem teſtatur. *Antiquitus* (inquit) *Stola erat veſtis candida pertingens uſque ad veſtigia...... Sed poſtquam alba cœpit portari, mutata eſt in torquem.* Adſtipulantur Adrianus Turnebus in lib. 29. *Adverſariorum*, cap. 31. Lazarus Baïfius lib. *De re veſtiaria* cap. 17. Octavius Ferrarius lib. 3. de re eadem cap. 17. ac Ludovicus Richeomus è Societate Jeſu Presbyter in tomo 2. *de Miſſa*, lib. 4. cap. 26. ubi Stolam noſtram *veteris Stolæ ſeu togæ extremitatem tantum eſſe* coniicit. [a]

b Je penſe que ce mot d'Etole en ce lieu-la *de Theodoret*, n'eſt pas pris pour cette forme d'Etole dont nous parlons, mais pour une chappe ou autre grand veſtement.

a Je prens ma conjecture de *l'Eſtole*, qui eſt le quatriéme habillement du Sacrificateur, qui n'eſt autre choſe que les extremitez de devant de l'ancienne Eſtole & robbe longue qu'elle

Sed etſi talaris fuerit antiqua *Stola*, à *caſula* tamen ſeu *planeta* diverſam fuiſſe liquet. Olim namque *caſula* omnino rotunda erat, ſive ut verbis utar Ruperti in lib. 1. *de divinis officiis*, cap. 2. & Gabrielis Biel, Lect. 11. in Canonem Miſſæ litera *F* *integra & undique clauſa*; totum hominem à collo ad pedes ambibat; vnde *dicta per diminutionem à* caſa (inquit S. Iſidorus in lib. 19. *Originum*, cap. 24.) *quòd totum hominem tegat, quaſi minor caſa*; Et ad immittendum caput supernè patebat in medio, ut ipſam in brachia revolvere ac complicare neceſſe haberet Sacerdos, quo liberiùs ſacris operaretur. *Sic indutos Pontifices & Sacerdotes* (eruditiſſimi Cardinalis Bona in lib. 1. *Rerum Liturgicarum*, cap. 24. num. 8. verba ſunt) *in priſcis Eccleſiarum parietibus cernimus: ſúntque etiam hodie*

repreſente. Car ſi l'on couppe une bande de demy pan ſur le devant d'une robbe longue au collet rabattu, on aura la forme de nos Eſtoles. De meſme ſi on couppe l'extremité d'une manche large, telle qu'eſtoit celle des tuniques, on aura le *Manipule* qui la repreſente. Or l'on a fait ce racourciſſement tant de la tunique, que de l'Eſtole, afin de ne multiplier tant d'habits, les mettant tous entiers, & pouvant ſuffire d'en mettre les extremitez pour marques à repreſenter les myſteres. L'Eſtole donc (du mot Grec ϛολὴ & en Latin quelquefois *Orarium*, Oraire, venant du mot Latin *Orare*, prier, parce qu'elle eſtoit des Preſtres & Orateurs de l'Egliſe) eſtoit anciennement une robbe longue, plus propre des femmes parmy les Payens, que des hommes: toutefois robbe d'honneur à tous, & entre toutes les Nations, quoyque diverſe en étoffe. Les Roys en uſoient, comme on voit en Xenophon. Ils la donnoient auſſi pour prix de vertu... .. de tout cet habit Sacerdotal on n'en a que la bande, que le Sacrificateur met au col en façon de cornette, & que les Preſtres portoient anciennement toûjours, meſme en preſchant, ou adminiſtrant les Sacremens.

Græcorum caſulæ ejuſdem formæ. Latini verò ad vitandum incommodum ex amplitudine & protenſione totum corpus cum brachiis circumcludente proveniens, eas paulatim à lateribus ſcindere & decurtare cœperunt, donec ad formam, qua hodie utimur, redactæ ſunt. Teſtatur Morinus lib. de ſacris ordinationibus *part.* 2. *in* Notis ad Græcorum Ordinationes, *antiquæ formæ caſulas, ducentos circiter annos præ ſe ferentes, in multis Eccleſiis aſſervari.* Unam iſtius figuræ mihi ſæpiùs videre contigit in Eccleſia B. Mariæ Carnotenſis: quam neſcio cur ejus Eccleſiæ Canonici quidam, antiquitatis ſacræ non ita ſtudioſi, velint inter rejectanea amandare.

Pluviale verò, quamvis totum ambiat hominem, quemadmodum & vetus caſula, antè tamen apertum eſt, noſtriſque togis ſeu palliis talaribus haud multùm abſimile. Itaut *ex antiqua Stola ſeu toga ſi laciniam ante ſecueris, qua hodie utimur Stolam facies*, inquit in citato mox loco Richeomus. Quo fit ut hodierna *Stola* nihil aliud ſit quàm *pluviale contractum, pluviale* verò *Stola dilatata.*

Cùm itaque Parœcis aliiſque Eccleſiarum Rectoribus per Romanorum rituum Scriptores liceat in Pontificum viſitationibus atque in ſolemnibus Imperatorum, Regum & Principum occurſationibus *pluviale* ferre, quod *dilatata Stola* eſt: cur iiſdem nefas fuerit in Archidiaconorum viſitationibus geſtare *Sto-*

lam, quæ *contractum* eſt *pluviale?* Cur Romano more viventibus *Stola* vetus in hujuſmodi cæremoniis relinquetur : nobis autem patrios ritus ſervantibus nova *Stola* auferetur?

CAPUT XXXI.

Stola ſecundùm Eccleſiaſticos Scriptores μυστικῶς ſignificat, I. Eccleſiam. II. Iugum Chriſti. III. Ejus obedientiam ac ſervitutem. IV. Evangelii obedientiam. V. Caſtitatem. VI. Exhortationem ad divinam legem. VII. virtutum ornamentum. VIII. Chriſti χαρακτῆρα. IX. Immortalitatem. X. Innocentiam. XI. Arma Sacerdotis ac Diaconi. XII. manſuetudinem, humilitatem, patientiam, perſeverantiam, prudentiam & temperantiam. XIII. Ligaturam Chriſti ad columnam. XIV. Ejus Crucem. XV. denique poteſtatem diſpenſandi ſacramenta. Vnde conficitur non mediocri injuria affici ab Archidiaconis Parœcos, Stolam in eorum viſitationibus geſtare dum prohibentur.

PAROECIS aſſerto hactenus ex Stola ſecundùm ſe conſiderata, illius geſtandæ in Archidiaconorum viſitationibus jure, ſupereſt nunc ut ex variis ejus ſignificationibus,

quas Eccleſiaſtici Scriptores paſſim afferunt, idem vindicemus.

I. Itaque Stolâ Chriſti, quam Sacerdotalis exhibet, ſignificari Eccleſiam Origenes ita tradit Homilia ultima in Geneſim: *Stola Chriſti, quæ lavatur in vino, ejus intelligitur Eccleſia, quam ipſe mundavit ſibi ſanguine ſuo non habentem maculam aut rugam.* Non enim (*inquit Apoſtolus*) argento vel auro redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine unigeniti à Deo. *In hujus enim ſanguinis vino, ideſt lavacro regenerationis, à Chriſto lavatur Eccleſia. Conſepelimur enim ei per baptiſmum in mortem: & in ſanguine ipſius, id eſt in morte ipſius, baptizamur.* Quid ergo cauſæ fuerit Archidiaconis cur Stolâ Parœcos exuant, cùm maximè (ut in viſitationibus evenit) curationis & adminiſtrationis Eccleſiæ, Eccleſiaſticarúmque rerum rationem ſint ipſis reddituri?

II. Stolâ ſuave Chriſti jugum innui declarant Eccleſiaſtici Scriptores; Albinus Alcuinus in lib. *De divinis officiis*, Tit. *Quid ſignificent veſtimenta*, his vocibus: *Orarium, ideſt Stola dicitur, eo quòd Oratoribus, ideſt Prædicatoribus concedatur. Admonet illum qui illo induitur, ut memor ſit ſub jugo Chriſti, quod leve & ſuave eſt, eſſe ſe conſtitutum.*

Amalarius Fortunatus Trevirenſis Epiſcopus in lib. 2. *De Eccleſiaſticis officiis* cap. 20.

Per Stolam deſignatur onus leve ac ſuave de quo Dominus dicit: Tollite jugum meum ſuper vos, jugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve.

Stephanus Eduenſis Epiſcopus in Tractatu *De ſacramento altaris*, cap. 10. *Qui Stolam humeris ſupponit, ſciat jugum Domini eſſe ſuave & onus ejus leve, quod ſe portaturum promiſit.*

Ivo Carnotenſis Epiſcopus in Sermone *De ſignificationibus indumentorum ſacerdotalium: Stola, quæ alio nomine* Orarium *vocatur tamquam jugum bobus arantibus vel triturantibus collo juxta humeros ſuperponitur, ut illud Evangelicum ab eis impleatur:* Tollite jugum meum ſuper vos *&c.*

Rupertus Abbas Tuitienſis in lib. 1. *De divinis Officiis*, cap. 21. *Cùm Sacerdos Stolam accipit, meminiſſe debet & ſcire, quia grande jugum, licèt ſuave, grande licèt leve, ſuper ſe tollit.*

Hugo Victorinus in Speculo *de myſteriis Eccleſiæ*, cap. 6. *Zona autem nunc omnes utuntur Sacerdotes & Stola, ut illud impleant Evangelicum:* Tollite jugum meum *&c.*

Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus in lib. 4. Sententiarum diſt. 24. lit. H. *Epiſcopus ponit eis* orarium, *ideſt* Stolam *ſuper humerum lævum, ut per hoc intelligant ſe accepiſſe jugum Domini ſuave, quo ad ſiniſtram perti-*

nentia divino timori ſubiiciant.

Johannes Sareſberienſis, Epiſcopus Carnotenſis in Vita MS. S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi : *Stolam , jugum Chriſti ſuave, circa collum diebus ac noctibus habebat.*

Innocentius III. Romanus Pontifex in lib. 1. *De officio Miſſa & Sacramento altaris* cap. 42. *Stolam quæ alio nomine vocatur* Orarium *ſuper collum ſibi ſacerdos imponit, ut jugum Domini ſe ſuſcepiſſe ſignificet.*

Honorius Auguſtodunenſis Preſbyter in *Gemma anima*, cap. 204. *Quaſi ergo Sacerdos ad jugum Chriſti loris ligatur, dum collum eius Stola circumdatur.*

Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus in lib. 3. *Rationalis divin. Offic.* cap. 5. num. 1. *Sacerdos Orarium, ſive Stolam quæ leve Domini jugum ſignificat, 23. Diſt.* Eccleſiaſtica ; *ſive quæ eſt jugum præceptorum Domini ſuper collum ſibi imponit, ut jugum Domini ſe ſuſcepiſſe demonſtret.*

Gabriel Biel in Canonem Miſſæ ſect. 12. litera F. *Stola ſuper collum imponitur, ut jugum Domini Sacerdos ſuſcepiſſe demonſtretur.*

Dominicus Sotus Karolo 5. Imperatori à ſacris Confeſſionibus, in lib. 4. *Sententiarum*, diſt. 13. quæſt. 2. art. 4. *Stola, quæ &* Orarium *dicitur, vinculum tertium repræſentat quo Chriſtus crucem bajulans fuit collo*

ligatus. In moribus verò noſtris obedientiam & jugum Domini cui collum, quaſi loro ligati, ſubmittimus, ad portandum Crucem Domini, ejus veſtigia ſequuti.

Et Michael Suffraganeus Moguntinus in *Canonis Miſſæ paraphraſtica expoſitione: Stola nos admonet ut jugo Domini libenter cervicem ſupponamus.*

Eodem ſenſu intelligendum eſt Romanum Clementis VIII. & Urbani VIII. Pontificale in Tit. *De ordinatione Preſbyteri*; dum Pontificem tradit Stolam Ordinando cuilibet imponere, his additis: *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus ſuave eſt & onus ejus leve.* Et Miſſale Laudunenſe apud Antonium Bellottum Laudunenſis Eccleſiæ Decanum in *Notis & Obſervationibus ad ritus Eccleſiæ Laudunenſis redivivos*, ubi Sacerdos ſacra facturus hæc verba profert quando Stolam induit: *Iugum Chriſti in corde meo ſit mihi ſuave & onus ejus leve.*

Unde igitur Archidiaconi in viſitationibus ſuis Parœcos nolunt Chriſti jugo ſe ſubjectos demonſtrare, quod non Parœcis tantummodo, ſed & Chriſtianis populis omnibus tollendum Chriſtus Matth. cap. 11. præcepit?

III. Stola obedientiam ac ſervitutem Chriſti denotat apud Stephanum Eduenſem Epiſcopum in libr. *de Sacramento altaris*, cap. 10. *Stola circumdata collo ad interiora deſcendens, ſignificat obedientiam filij Dei & ju-*

gum ſervitutis quod pro ſalute hominum portavit, obedivit Patri uſque ad mortem crucis, & ſubjecit ſe ſervituti. Quæ enim major ſervitus ea quæ opprobria, irriſiones & flagella ſuſtinuit?

Apud Rupertum in lib. 1. *de divinis officiis*, cap. 21. *Stola obedientiam ſignificat filii Dei, & ſervitutem quam Dominus omnium propter ſæculorum ſalutem ſubiit.*

Apud Innocentium III. in lib. 1. *De officio Miſſæ & Sacramento altaris*, cap. 26. *Stola obedientiam & ſervitutem ſignificat, quam Dominus omnium propter ſervorum ſalutem ſubiit.*

Apud Guillelmum Durandum in lib. 3. *Rational. divin. offic.* cap. 5. num. 7. *Porrò ſecundùm quòd capiti convenit Stola, obedientiam & ſervitutem ſignificat, quam Dominus omnium propter ſuorum ſalutem ſubiit.*

Apud Gabrielem Biel Lect. 11. in Canonem Miſſæ, lit. *e*: *Stola obedientiam & ſervitutem ſignificat, quam propter ſervorum ſalutem omnium Dominus ſubiit.* Et Lect. 12. lit. *f*. *Stola formam crucis in pectore ſua cancellatione prætendit, ut ſummæ obedientiæ exemplum quod in cruce Dominus prætulit, factus obediens patri uſque ad mortem, mortem autem crucis, ſemper in corde teneat.*

Apud Michaëlem Suffraganeum Moguntinum in *Canonis Miſſæ paraphraſtica expoſitione*: *Stola quæ à collo pendens in pectore crucis*

crucis imaginem effigiat, voluntariam Chriſti obedientiam inſinuat, qua pro ſalute noſtra Patri obedire voluit uſque ad mortem, mortem autem crucis.

Et apud Franciſcum Titelmanum ex Ordine FF. Minorum Theologum in *Expoſitionis myſterii Miſſæ*, cap. 5. *Stola obedientiam ſignificat filii Dei & ſervitutem, quam propter ſalutem mundi voluntariè ſuſtinuit.*

Aliquam ergo videntur Archidiaconi Chriſto omnium Domino injuriam irrogare, ubi Parœcos vetant ſuis in viſitationibus obedientiam ac ſervitutem ejus profiteri.

IV. Stola Evangelii Obedientiam exhibet ex Hugone Victorino in lib. 1. *De caremoniis, Sacramentis, Officiis & obſervationibus Eccleſiaſticis*, cap. 48. *Per Stolam Evangelii obedientia ſignificatur*; Ex Honorio Auguſtodunenſi in *Gemma animæ*, lib. 1. cap. 204. *Deinde circumdat collum ſuum Stola, per quam obedientia Evangelii intelligitur. Evangelium quippe eſt ſuave Domini jugum, obedientia verò lorum.* Ex Guillelmo Durando num. 6. *Per Stolam, qua nunc utimur, obedientiam accipimus Evangelii crucifixi.* Et ex Eminentiſſimi Cardinalis Bona tractatu Aſcetico *De ſacrificio Miſſæ* cap. 5. parag. 2. *Stola collo ſuperpoſita, & in modum crucis per medium pectoris ducta demonſtrat ſacerdotem teneri ſe Deo unire & quodammodò colligare, ſuamque crucem Dei cauſa patien-*

ter ferre, divinæ legi cum omni obedientia ſe ſubiicere, ejuſque jugum alacriter portare, ac ſemper memorem eſſe mandatorum Dei ad faciendum ea. Qua igitur ratione Archidiaconi Parœcos eo ornamento ſpoliare volunt in viſitationibus ſuis, quo ſe Chriſti Evangelium amplexari, eique ultro ſubmitti oſtendunt?

V. Stola caſtitatis ſignum eſt ex art. 169. lib. 6. Capitularium Karoli Magni & Ludovici Pii: *Vt Sacerdotes Stolas portent propter ſignum caſtitatis, ſicut decretum eſt*; & ex Honorii Auguſtodunenſis *Gemma animæ*, lib. 1. cap. 180. *Diaconis ordinandis Epiſcopus Stolam dat, ut ſe lege Dei conſtrictos cognoſcant, ac ſe caſtitati in ſervitio Dei omnimodis ſubdant.* Cur itaque Parœcos nolunt ſuis in viſitationibus Archidiaconi caſtitatem præ ſe ferre?

VI. Stola Chriſtianam plebem ad divinæ legis meditationem impellit Rabano Mauro Archiepiſcopo Moguntino teſte in lib. 1. *De inſtitutione Clericorum*, cap. 19. *Bene oratoribus Chriſti Orarium habere convenit, quia cùm indumentum eorum officio proprio concinat, & ipſi ſedulò ad verbi miniſterium cohortentur, & plebs ipſis commiſſa indicium ſalutare conſpiciens, ad meditationem Legis concurrere ferventiùs admonetur.* Quare igitur Archidiaconis dolet ſi eorum in viſitationibus Parœci fideles populos ad divinæ Legis

contemplationem inducant, quæ virum beatum efficit, ex Pſal. 1. *Beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte?*

VII. Stola virtutum ornamentum deſignat, cap. *Eccleſiaſtica*, Diſt. 23. *Eccleſiaſtica & antiqua inſtitutione præfixum novimus, ut omnis ſacerdos, cùm ordinatur, orario utroque humero ambiatur: ſcilicet ut qui imperturbatus præcipitur conſiſtere inter proſpera & adverſa, virtutum ſemper ornamento utroque circumſeptus appareat humero.* An ergo æquum eſt Parœcos Archidiaconorum viſitationibus, quaſi virtute omni deſtitutos intereſſe?

VIII. Stola ſignum Domini exprimit, ut patet ex formula *degradationis* (quod aiunt) Preſbyteri, quam in Romano Pontificali legimus: *Signum Domini per hanc Stolam turpiter abjeciſti*, &c. Ut quid ergo Parœcis non licebit coram Archidiaconis viſitantibus Dominico ſigno illuſtrari?

IX. Stolâ immortalitatem notari demonſtrant illa Sacerdotis Stolam induentis vocabula, quæ in omnibus propemodum Miſſalibus libris reperiuntur: *Redde mihi Domine Stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis* &c. Cur itaque immortalitati reſtitutos ſe non probabunt in Archidiaconorum viſitationibus Parœci?

X. Stola innocentiæ indicium eſt apud Guillelmum Durandum, num. 2. *à quibuſ-*

dam Pontificibus cùm Sacerdos in ordinatione Stolam accipit, additur: Stola innocentiæ induat te Dominus: *quod ſtolam reſpicit primitivam, quæ fuit innocentiæ ſignificativa.* Unde igitur nefas fuerit Parœcis ſuam in Archidiaconorum viſitationibus innocentiam patefacere?

X I. *Cùm Sacerdos Stola collum circumdat* (inquit Johannes Belethus Pariſienſis Theologus in *Brevi expoſitione divinorum officiorum*, cap. 32.) *quaſi haſtam contra renitentem vibrat. Stola circumdat collum* (ait Nicolaus de Ploüe Decretorum Doctor & Eccleſiæ Poſnanienſis Capellanus in Tractatu *de expoſitione Miſſæ*, Tit. 1.) *quaſi haſtam contra hoſtem vibrat.* Quare ergo prohibentur Parœci in Archidiaconorum viſitationibus paratos ſeſe oſtendere ad Chriſtiani nominis hoſtes quoſcumque *juſtitiæ armis à dextris & à ſiniſtris*, ut loquitur Apoſtolus 2. Cor. cap. 6. debellandos?

X I I. *Stola* (inquit Innocentius III. in lib. 1. *De Officiis Miſſæ & Sacramento altaris*, cap. 42.) *ſignificat patientiam de qua ſcriptum eſt*, Patientia vobis neceſſaria eſt ut reporteris promiſſiones: *Et iterum:* In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Quæ verba Guillelmus Durandus replicat in num. 2. ubi ait præterea: *Stola uſque ad genua, quæ curvantur, protenditur, ut nos mites corde & humiles inſinuet.* Et num. 3. ſi b-

jungit : *Longitudo Stolæ perſeverantiam ſignificat : Duo brachia Stolæ dependentia ſignificant prudentiam & temperantiam.* Similia habent in laudatis ſuperiùs locis Ivo Carnotenſis Epiſcopus, Gabriel Biel, & Nicolaus de Ploüe. Quid itaque Parœcos non ſuſtinent in ſuis viſitationibus Archidiaconi, manſuetudinis, humilitatis, patientiæ, perſeverantiæ, prudentiæ & temperantiæ, quæ virtutes divino eorum muneri ita neceſſariæ ſunt, præbere argumenta ?

XIII. *Stola* (eorumdem Durandi & de Ploüe verba ſunt) *ſignat ligaturam qua Ieſus ligatus fuit ad columnam*; ac proinde Chriſti dolores ac mortem ipſam nobis quodammodo repræſentat. Unde igitur Archidiaconis grave eſt Parœcos in eorum viſitationibus videri quaſi columnæ Chriſti affixos, ejuſque dolorum ac mortis quamdam ſimilitudinem referre ?

XIV. *Stola impoſita collo* (ait Gabriel Biel Lect. 11. in Canonem Miſſæ lit. *c. ſignificare poterit crucis patibulum Chriſti humeris impoſitum, & ad locum Calvariæ bajulatum.* Unde Cardinalis Bona in modò laudati Tractatus Aſcetici *De ſacrificio Miſſæ* cap. 5. paragr. 2. ait, *Stolâ* ſignificari *funes collo* Chriſti *injectos, ſive crucis patibulum humeris ejus impoſitum & in quo pro nobis pependit.* Cui verò convenientiſſimum juſtiſſimumque non videbitur ut Parœci in Archi-

diaconorum viſitationibus demonſtrent ſe *Chriſti crucem humeris impoſitam ad locum Calvariæ bajulare*, in qua cruce ſuam omnem gloriam reponit Apoſtolus dum ait Galat. 6. cap. *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti?*

XV. Denique ex Guillelmo Pariſienſi ſeu potius alio Scriptore paulò recentiori, in lib. *de 7. Sacramentis* cap. 8. & S. Thoma in *Supplementi* quæſt. 40. art. 7. *Sacerdoti in utroque humero ponitur Stola, ut oſtendatur quòd ei plena poteſtas diſpenſandi Sacramenta datur, non ut miniſtro alterius: & ideo Stola deſcendit uſque ad inferiora.* Cùm ergo Parœcis in Archidiaconorum viſitationibus non auferatur *plena poteſtas diſpenſandi Sacramenta*, Stolam quæ in eis eſt hujuſce poteſtatis indicium, non debent abiicere.

Quocumque igitur modo Stolam accipiamus, hanc in Archidiaconorum viſitationibus geſtandam Parœcis, prolatæ hactenus à nobis rationes luculenter evincunt. Poterant illæ multò pluribus Eccleſiaſticorum Scriptorum teſtimoniis confirmari, ſed quæ dedimus niſi ſatis ſint, quid in ea materia ſatis eſſe valeat, non plenè intelligo. Utcumque res habeat tam æquos & ſapientes Archidiaconos reor, ut cùm ſuam nullo vendibili, tolerabilive rationum momento cauſam innixam videant, tandem aliquando manus dent, ſtolæque ſuis in viſitationibus ferendæ facultatem

Parœcis ultro impertiant. Hoc eos etiam atque etiam rogo, ut ſic de lana caprina (quemadmodum proverbio dicitur) non rixantes, quæ ſuarum partium ſunt, ſtrenuè ac impigrè exequantur; vanos & indebitos honores non ambiant; pecuniæ non inhient; Parœcos injuriis non afficiant; Eccleſiis non incommodent viſitatis; poteſtatis ſuæ cancellos non prætergrediantur, quæ à quibuſdam noſtrorum temporum Archidiaconis facta, graviter dolemus. Eorum denique memores illos ſemper volo quæ Concilium Tridentinum in Seſſ. 24. Decreto *de reformatione* cap. 3. Sancivit: *Viſitationum omnium præcipuum eſſe* debere *ſcopum, ſanam, orthodoxamque doctrinam expulſis hæreſibus inducere; bonos mores tueri; pravos corrigere; populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cetera prout locus, tempus, & occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere.*

FINIS.

STATVTA SYNODALIA R. in Chriſto Patris. CAROLI GUILLARD, *Epiſcopi Carnotenſis, anno Domini 1559. die Synodi 25. Novemb.*

IN noſtræ Synodi Congregatione debitus honor humiliſque & devotus ingreſſus obſervandi ſunt, abſque ſtrepitu, conclamationibus, tumultu, deambulatione in Eccleſia : nec liceat exire ante perfectam Synodum. Et ſuper hac re Decani Rurales vigilent, & quos tranſgreſſores invenerint, adhibitis teſtibus Officiali noſtro referant puniendos.

Suſpendimus à Divinis Officiis & deinde excommunicabimus Decanos Rurales atque Curatos qui celaverint & retinuerint denarios nobis ad cauſam noſtræ dignitatis Epiſcopalis debitos pro jure circadarum aliiſque Epiſcopalibus, niſi infra menſem poſt hanc noſtram Synodum eos tradiderint & ſolverint receptoribus noſtris.

Quoniam ratio de grege Paſtoribus Eccleſiarum Parochialium commiſſo reddenda erit in extremi Judicii examine, his injungimus diſtrictè quatinus ſuos Parochianos ſincero affectu verbiſque ſalutaribus admoneant, ut

firmi in fide Catholica maneant & ſtabiles, ac errantes ad gremium ſanctæ matris Eccleſiæ revertantur.

Curam animarum habentes Religionem Chriſtianam ad ſanguinem uſque tueri debent & tenentur, nec non curare ut eorum Parochiani ab omni labe hæreſeos ſint immunes; hi enim qui labanti fidei peſſumque euntibus animabus non pro viribus ſuccurrunt, vel ſicut deſides aut conniventes aut blandientes, vel nutantes aut (quod abſit) erroribus hærentes, iram Dei non effugient & contra ipſos graviter viâ juris & juſtitiæ procedetur.

Inhibemus prædictis Rectoribus Eccleſiarum ne dum pronum faciunt aliquid incautè aut ſtultè proferant, neque notent aliquem nominatim vel iudiciis, & deſcriptionibus nominationi æquipolentibus, aut ſcandaliſent, ſed utantur modeſtis diſcretiſque verbis per quæ auditores à malo retrahantur, & boni meliores fiant.

Hiſque injungimus ut diligenter inquirant ſi in ipſorum Parochiis ſint quædam perſonæ de hæreſi ſuſpectæ, & à communi fidelium converſatione, vita, & moribus diſſidentes, ut adverſus culpabiles informationem fideliter confectam, ad Nos vel Officialem noſtrum tranſmittere habeant, quatenus ſuper hoc negotio provideri & remedio opportuno valeat,

Denuncient quoque per ſingulos dies Dominicos in pronis ſuis excommunicatos omnes hæreticos eorumque ſequaces, juriſdictionis etiam Eccleſiaſticæ ac libertatis & immunitatis Eccleſiæ infractores & violatores, nec non decimas ſibi non debitas uſurpantes, ac illarum prædatores.

Prohibemus memoratis Curatis ipſorumque Vicariis & aliis Sacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio, admittere ac recipere in ſacro Baptiſmi fonte nomina paganorum & infidelium vel alia turpia & ludibrioſa per patrinos & matrinas infantibus impoſita vel imponenda in contemptum Dei & Sanctorum ac Eccleſiæ ludibrium vel irriſionem.

Sæpe contingit quod aliqui juris ignari clam aut publicè inceſtuoſas contrahant nuptias in gradu ab Eccleſia prohibito. Quocirca Rectores Parochialium Eccleſiarum denuncient & declarent in ſuis pronis Matrimonia eſſe prohibita & illicita inter parentes vel affines uſque ad quartum conſanguinitatis ac t affinitatis gradum incluſivè, ſine diſpenſatione legitima.

Mandamus & præcipimus dictis Curatis & eorum Vicariis ſub mulcta arbitraria, quod de receptione litterarum quærimonialium in forma malefactorum, à Curia noſtra emanatarum per eos receptione facta papyrum ſeu Regiſtrum faciant & habeant, in qua vel

quo ſummariè ac ſecundum ordinem temporis contineantur nomen & cognomen impetrantis,cum adnotatione anni &diei hujuſmodi acceptionis,ut ſi ſuper ea oriatur quæſtio ut ſæpe accidit ,ad prædictum Regiſtrum haber recurſus poſſit.

Volumus quoque & ordinamus quòd in ſupradicto Regiſtro brevis fiat deſcriptio de domeſticis capitibus, ſecundum vulgi appellationem *Chefs de ménage*, dictis, qui ſingulis diebus Dominicis ac feſtivis Miſſam Parochialem in ſuis Eccleſiis audiunt , vel deficiunt, & ſi frequenter nec ne.

Annuntient Curati ſuis Parrochianis graviſſimum eſſe peccatum mortale conſulere Divinos & maleficos & his credere, nec non ad infirmitatum curationes & pro revelatione furtorum ſortilegis & ſuperſtitoribus atque conſilio Sorceriarum uti.

Inhibemus ſub pœna excommunicationis immundicias & ſordes projici, ac corria, pelles,ac lanas animalium intra Cœmeteria, & lingium extendi & ſiccari, & ordinamus hujuſmodi Statutum in pronis Parochialibus publicani.

Omnibus & ſingulis Curatis nobis ſubditis mandamus & injungimus ut in habitu decenti cum ſuperliciis & Stolis compareant perſonaliter coram nobis aut Vicariis noſtris generalibus,ſingulis annis in noſtra Synodo feria quarta poſt feſtum ſancti Lucæ,in Eccleſia

Carnotenſi hora octava de mane: ac dictæ Synodi celebrationi reverenter interſint nec non ea quæ ibidem legentur, agentur, præcipientur, & ordinabuntur, diligenter & attentè percipiant, audiant, & intelligant, & hoc prædictis Curatis & eorum cuilibet per hanc Conſtitutionem abſque alia evocatione intimamus & inſinuamus ſub pœna ſuſpenſionis & aliis pœnis Canonicis.

Nec excuſabuntur dicti Curati à cætero ſub pretextu comparendi infra menſem.

INDEX CAPITULORUM.

CAPUT I.

CONCERTATIO *de Stola in Archidiaconorum Viſitationibus ferenda à Parœcis, cùm jam ferè ab annis quinque in gratiam Parœcorum dirempta ſit Senatusconſulto Pariſienſi, mirum ſanè cur ab Archidiaconis quibuſdam Pariſienſi Senatuî ſubjectis non ita pridem fuerit inſtaurata. Quam illi Archidiaconi poſſeſſionem opponunt, pacificam non eſſe oſtenditur.* pag. 1.

CAP. II. *Quam Archidiaconi proferunt conſuetudinem, nullo numero habuit Pariſienſis Senatus, fruſtra longævam illam tradunt, & eo nomine in cauſæ ſuæ patrocinium opponunt, cùm neque* pacifica *ſit neque rationabilis, ſed* corruptela *potiùs &* abuſus, *ideóque penitus abroganda.* 9

CAP. III. *Eandem præterea conſuetudinem* rationabilem *non eſſe oſtenditur, neque* legi-

timè præſcriptam, *atque idcirco antiquandam. Quod quidem minùs mirum videri debet Archidiaconis, cùm multa eorum dignitati acceſſerint contra receptum morem, multa præter uſum veterem ſint detracta.* 19

CAP. IV. *Archidiaconi quidam eorum ue Officiales nonnullas conjugiales controverſias & criminoſas ex conſuetudine cognoſcunt. Sed utroque ipſis eſt pluribus Conciliis ac Senatus-conſultis interdictum.* 27

CAP. V. *Nonnulli Archidiaconi & eorum Officiales majora diſceptant negotia, cùm tamen hoc ipſis Canonico iure illiúſque interpretibus, Santonenſi & Exonienſi Synodis, Illuſtriſſimi Carnutum Epiſcopi Statuto, & Senatus Pariſienſis decreto prohibitum fuerit, ſintque dumtaxat* judices pedanei, *quorum eſt de levioribus tantummodo judicare. Cùm neque conjugiales, neque criminoſas, neque majores cauſas judicare poſſint Archidiaconi, opus non habent Officialibus.* 35

CAP. VI. *Carnotenſes Archidiaconi, ad Officiales cauſarúmque conjugialium, criminoſarum & graviorum civilium cognitionem quod attinet, Convento quodam cum Epiſcopo Carnotenſi inito, ac duplici Magni Concili decreto ſe tuentur. Verùm id firmamenti non multum habere virium evincitur. Conventum enim illud Simoniæ labe conſpurcatum eſſe oſtenditur.* 48

CAP. VII. *Idem Conventum ex alio capite Simoniacum videtur, multiſque Conciliorum canonibus, ac Pontificum Romanorum Decretis contrarium.* 60

CAP. VIII. *Eidem convento multiplicem abuſum eſſe probatur; atque ideo quibus confirmatur magni Conſilii decreta duo ſubreptitia eſſe. Tridentini Concilii autoritas adverſus Archidiaconos Carnotenſes vindicatur.* 69

CAP. IX. *Archidiaconi quidam Archipreſbyteros ſeu Decanos rurales ſoli inſtituunt & abdicant ſoli; ſed hoc ipſis niſi ex Epiſcoporum conſenſu non licet, ſine quorum præterea auctoritate nihil eos agere oportet. Carnotenſes Archidiaconi ſacerdotiorum quorumdam proventus* jure caduci *ſeu* deportus, *percipiunt, nulla æquitatis ſpecie.* 80

CAP. X. *Synodos, ſeu potiùs ſupplicationes ſolemnes, diebus feſtis indicunt per conſuetudinem Archidiaconi quidam, ac præ ceteris Carnotenſis Archidiaconus major. Vnde duo maxima conſequuntur incommoda.* 88

CAP. XI. *Archidiaconi Parœcos ex conſuetudine ſuis in Viſitationibus ſtare jubent aperto capite, operto capite ſedentes ipſi. Sed conſuetudinem illam variis Conciliis adverſam eſſe probatur, & in Sacerdotalem ordinem injurioſam. Vnde orta apud*

Latinos Archidiaconorum in Presbyteros juriſdictio, quæ apud Græcos nulla eſt. 9

CAP. XII. *Archidiaconi quidam ſubjectas ſibi Parœcias viſitare conſueverunt, nulla adventus ſui admonitione prævia. Quod & contra Viſitationum finem præcipuum, & contra Conciliorum decreta, & contra Autorum qui de Viſitationibus ſcripſere ſententiam eſſe demonſtratur.* 109

CAP. XIII. *Nonnulli Archidiaconi Eccleſias ſibi ſubjectas, aliis luſtrandas committere ſolent, qui & procurationem exigunt: cùm eas per ſe ipſi viſitare teneantur, nec niſi per ſe viſitantibus debeatur procuratio, ut [illegible] Solis F[illegible] viſitare con[illegible]* 119

CAP. X[illegible]. *Ita ſordidi & deſides ſunt Archidiaconi quidam, ut equo inſidentes ad viſitandas Eccleſias non deſcendant, & tamen procurationem efflagitent. Quamvis Eccleſias non perluſtrent, exigunt procurationem, quæ unius Viſitationis titulo penſitatur. Plures uno die Eccleſias inviſunt, pluresque procurationes accipiunt, cùm unam uno die Eccleſiam inviſere, unamque proinde procurationem accipere debeant.* 129

CAP. XV. *Stola unde dicta? Pro veſte quavis accipitur. Propriè tamen muliebrem innuit. Heic pro veſte Eccleſiaſtica tantùm*

uſurpatur. Quo tempore geſtari cœperit in Eccleſia? Cur hoc illi nomen inditum? Vocatur aliquando palla linoſtima: *aliquando* orarium *&* orarius. *Quid ſignificet* orarium, *tum apud profanos, cùm apud ſacros Scriptores? Vnde originem habeat ſive Græcam, ſive Latinam? Stola etiam dicta Græcis* ἐπιτραχήλιον, *hoc eſt* cervicale *ſeu* collarium. ἐπιτραχήλιον *unis Preſbyteris,* ὠράριον *verò Preſbyteris juxta atque diaconis convenit.* 146

CAP. XVI. *Bifariam accipitur Iuriſdictio, propriè & minùs propriè. Vtraque quid ſignificet? Alia juriſdictio interni, alia* [illegible] *fori. Quodnam utriuſque munus? Nequ*[illegible]*ùs propriè ſumptæ juriſdictionis ſig*[illegible]*la. Archidiaconis eo nomine nulla eſt interni externivè fori juriſdictio. Eccleſiarum viſitandarum jus ad externam juriſdictionem attinet, quæ etiam à non Sacerdote poteſt exerceri. Archidiaconis nulla competit juriſdictio interior. Nec exterioris, nec interioris juriſdictionis inſigne eſt* Stola. *Turpis Archidiaconorum error de* Stola. *Parœcorum juriſdictio cùm ad viſitantes Archidiaconos non transferatur, ne ue poteſt, neque debet* Stola *in Archidiaconorum viſitationibus à Parœcis exui.* 159

CAP. XVII. *Stola ſacerdotis & Diaconi cu uſbibet Eccleſiaſticum aliquod munus*

obeuntis, ornatus eſt ac inſigne. A quibuſdam Epiſcopis omni tempore geſtabatur olim. Ea utitur Romanus Pontifex etiam extra ſacramenta. Cum ea Pontifices, Sacerdotes & Diaconi ſepeliuntur. In ſacramentorum adminiſtratione & publicis orationibus ſemper ferenda eſt. Unde ad Archidiaconorum nutum non poteſt Parœcis auferri, niſi per infamiam. 169

CAP. XVIII. *Stola exuuntur Preſbyteri & Diaconi cùm ob ſcelus exautorantur. In ſignum admiſſi criminis detracta olim S. Genebaldo primo Laudunenſium Epiſcopo, Machario Antiocheno Patriarchæ, & Rothado Sueſſionenſi Epiſcopo. Quare Parœcis niſi per ſummam ignominiam auferri non poteſt in Archidiaconorum Viſitationibus.* 185

CAP. XIX. *Inquiritur cauſa propter quam Parœcos tantopere deſpiciunt Archidiaconi, nec invenitur niſi injuſta. Parœci dicti olim* Preſbyteri Cardinales, *ſunt* Minores, *ſeu* inferiores Prælati. *Archidiaconi* Epiſcoporum miniſtri *appellantur*; *Parœci verò* Epiſcoporum Adjutores, fratres, Compresbyteri & cooperatores. *Unde Parœcorum Ordo Archidiaconali illuſtrior. Archidiaconi primis ſeptem Diaconis ſuccedunt; Parœci verò 72. Chriſti Diſcipulorum locum occupant. Archidiaconorum auctoritas mobilis & volatica,*

Paræcorum firma & conſtans. Quare Paræci non ita ſunt ab Archidiaconis contemnendi, ut Stola in ipſorum viſitationibus exuantur. 195

CAP. XX. *Quamvis Stola juriſdictionis ſignum diceretur, non ideo tamen eſſet à Paræcis in Archidiaconorum viſitationibus deponenda. Nam neque deponitur à Presbyteris ſacramenta aut ſacramentalia exhibentibus, coram Romano Pontifice, Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitis ac Epiſcopis; neque à Diaconis dum iiſdem Pontificibus miniſtrant in ſolemni ſacro. Stolati ſacerdotes, ſi ſacra non faciant Euchariſtiam à quibuſlibet Preſbyteris, etiam Eccleſiarum Præfectis, accipere debent ſemper, maximè verò in communione generali feria quinta in Cœna Domini, & in morbis quibus laborant. Non ergo dolendum Archidiaconis ſi Paræci eorum viſitationibus Stolati interſint.* 217

CAP. XXI. *Minores Preſbyteri coram majoribus Stolam geſtant, ut Cardinales atque etiam Monachi coram Romano Pontifice, & alii ſacerdotes coram Eccleſiarum quibus addicti ſunt Patriarchis, Primatibus, Metropolitis, Epiſcopis, aliiſque Præpoſitis; Quod pluribus exemplis demonſtratur. Quare nihil eſt cur eam in Archidiaconorum viſitationibus non ferant Paræci.* 230

CAP. XXII. *Coram Patriarchis, Primatibus, Metropolitis, & Epiſcopis Stolati cùm ſint variis in Cæremoniis Archidiaconi, Presbyteri, & Diaconi etiam: quominus coram Archidiaconis viſitantibus Stolati quoque ſint Parœci, nihil vetat.* 249

CAP. XXIII. *Decanis Ruralibus, qui Parœci ſunt, Stolam ferre in Synodis præcipiunt Statuta Synodalia diœceſis Remenſis, circa an. 1328. Lingonenſis, an. 1404. Meldenſis, an. 1493. Senonenſis, an. 1524. Cameracenſis, an. 1550. Carnotenſis, an eodem, & Senonenſis, an. 1554. Idem Parœcis permittunt Conſtitutiones Synodales Simonis & Galonis, A. S. Legatorum, circiter an. 1215. Diœceſis Cœnomanenſis, an. 1231. Rotomagenſis, an. incerto. Budenſis an. 1279. Bajocenſis, circa an. 1300. Pictavienſis, an. 1367. & 1387. Cœnomanenſis an. 1489. Sagienſis, an. 1532. Turonenſis, an. 1537. Sagienſis, an. 1547. Cameracenſis, an. 1550. Sueſſionenſis, an. 1561. Acta Concilii Provincialis Cameracenſis, an. 1565. Statuta Synodalia diœceſis Atrebatenſis, circa an. 1569. Rotomagenſis, an. 1581. Remenſis, an. 1583. Lemovicenſis, an. 1619. Vceticenſis, an. 1635. Nannetenſis, an. 1642. Rotomagenſis, & Lexovienſis, an. 1651. Idipſum quoque Neapolitanis Parœcis conceditur.* 260

CAP. XXIV. *Senonenſis & Pariſienſis provinciæ Parœcos Stolam in Synodis geſtare jubent ſtatuta Synodalia diœceſis Pariſienſis an. circiter 1208. Aurelianenſis, an. 1314. Carnotenſis, an. 1489. Pariſienſis, an. 1515. Aurelianenſis, an. 1516. Pariſienſis, an. 1557. Carnotenſis, an. 1559. Aurelianenſis an. 1587. Pariſienſis, circa an. 1596. Aurelianenſis, an. 1564. ac Illuſtriſſimus Pariſienſis Archiepiſcopus Franciſcus Harlæus Campo-valonius peculiari* mandato, & ordine Cæremoniarum in Synodo Pariſienſi obſervandarum an. 1673. 276

CAP. XXV. *Quæ in capitibus 23. & 24. modò dicta ſunt evidenter probant. I. Parœcis licere ſtolam in Synodis geſtare vel coram Cardinalibus, S. A. Legatis, Archiepiſcopis & Epiſcopis. II hunc eſſe plerarumque Gallicanæ Eccleſiæ Provinciarum uſum, & maximè Pariſienſis, cui ab an. 1622. diœceſis Carnotenſis Suffraganea eſt. III. Archidiaconos Stolam in Synodis non induere. IV. Parœcorum juriſdictionem coram Archidiaconis viſitantibus non extingui. V. Stolatos Synodis intereſſe Parœcos ut Stola tanquam ſingulari ſigno ab aliis ſecernantur. VI. denique Parœcos in Archidiaconorum viſitationibus Stola exui ullo jure non poſſe, cùm ea in Synodis ab Eccleſiæ Pontificibus ſummis non exuantur.*

CAP.

CAP. XXVI. *Quod diſcrimen Synodos inter ac viſitationes ſtatuunt Archidiaconi, futile eſt ac frivolum. In Synodis Parœcos aquè ac Epiſcopos argui poſſe & judicari, variis Conciliorum Canonibus oſtenditur. Parœci olim habuere ſedem in Conciliis, etiam præſente Romano Pontifice. Idcirco celebrantur Concilia, ut vel firmetur Catholica fides, vel Chriſtianorum mores corrigantur. Licèt in Archidiaconorum viſitationibus Parœci poſſint argui judicarique, ubi leviores cauſæ aguntur, non tamen in iis ſunt Stola ſpoliandi: cùm eam in Synodis, in quibus argui judicarique de gravioribus controverſiis poſſunt, coram Eccleſiæ Pontificibus induant.* 296

CAP. XXVII. *Quæ in Archidiaconorum viſitationibus à Parœcis præſtanda ſunt, non videntur niſi à Stolatis ritè præſtari poſſe. Archidiaconis ad Eccleſiarum fores occurſant Parœci publicæ ſupplicationis in modum. Sed qui ſupplicationibus publicis præſunt, Stolam geſtare convenit. Archidiaconorum viſitantium juriſdictio cùm externi fori ſit tantùm, multa agunt à quibus ipſos abſtinere par eſſet. Promotores & Notarios ſuos ſuperpelliceis cur induant? Germana Archidiaconorum munia breviter enarrantur. Variis ex Conciliis ac Senatus-Conſulto Pariſienſi tenentur Acta viſitationum ſuarum vel ſtatim ab iis expletis,*

vel uno ad ſummum poſt eas expletas menſe apud Epiſcopos deponere. Archidiaconis viſitantibus Crux adoranda, Evangeliorúmque liber deoſculandus proponitur à Paræcis, quos ideo Stolatos eſſe expedit. 308

CAP. XXVIII. *Archidiaconi SS. Euchariſtiæ tabernaculum luſtrantes malunt Eccleſiaſticos ritus in hujus Sacramenti expoſitione ac circumgeſtatione ſervandos nō ſervare, quàm Parœcis Stolam permittere. SS. Euchariſtia dum educitur è loco in quo vel aſſervatur, vel quieſcit, ut poſtea detur in manus Pontificum vel Sacerdotum qui eam geſtent, aut adorandam fideli populo proponant, id fieri à Stolatis Miniſtris ipſis aſſiſtentibus debere, ex Ritualibus, Miſſalibúſque variarum Eccleſiarum libris oſtenditur. Quare immeritò Archidiaconi ſacrum ciborium è tabernaculo educentes Stolatos Parœcos ſibi ſuis in viſitationibus adeſſe nolunt.* 323

CAP. XXIX. *Archidiaconi SS. Reliquias, Baptiſterium, oleique Catechumenorum & ſacri chriſmatis vaſa ac cœmeterium luſtrare debent in viſitationibus ſuis. At ejuſmodi ritibus ſtolatos adeſſe Preſbyteros jubent Miſſales ac Rituales libri plerique. Confutantur Archidiaconi quidam duplici Stola in viſitationibus opus non eſſe aſſeverantes, altera quam ipſi, altera quam Parœci induant. Alius in Archidiaconis*

ordo non exigitur à Diaconatu. Cùm ad Preſbyteratum promoventur, eorum honos quodammodo minuitur. 339

CAP. XXX. *Multis in locis Parœci Archidiaconorum viſitationibus Stolati interſunt, Rotomagenſes, Belliſmenſes & circa Belliſmum commorantes in diœceſi Sagienſi, Catalaunenſes, Royenſi Decano & Capitulo obnoxij, Andegavenſes, & Pariſienſes. Idipſum Monachi quidam uſurpant in ſolemnibus Legatorum Apoſtolicorum, Epiſcoporum, aliorumq; inſignium virorum occurſationibus, atque etiam in Pontificum viſitationibus. Quibus Pariſienſe Senatusconſultum adverſus Epiſcopum Ambianenſem datum nititur rationes quinque, Stolæ in Epiſcoporum & Archidiaconorum viſitationibus ferendæ jus Parœcis omnibus tribuunt. Carnotenſes Parœcos, Pariſienſium inſtar, Stolatos Archidiaconorum ſuorum viſitationibus intereſſe convenit. Romani libri Rituales in Pontificum viſitationibus geſtandum pluviale præſcribentes, idem ferè agunt ac ſi Stolam geſtandam præſcriberent. Pluviale enim, quod veteris Stolæ ſimilitudinem præ ſe fert, Stola dilatata, & Stola Pluviale contractum eſt* 348

CAP. XXXI. *Stola ſecundùm Eccleſiaſticos Scriptores μυστικῶς ſignificat, I. Eccleſiam. II. Iugum Chriſti. III. Ejus obedientiam.*

ac ſervitutem. IV. Evangelii obedientiam. V. Caſtitatem. VI. Exhortationem ad divinam legem. VII. virtutum ornamentum. VIII. Chriſti χαρακτῆρα. IX. Immortalitatem. X. Innocentiam. XI. Arma Sacerdotis ac Diaconi. XII. Manſuetudinem, humilitatem, patientiam, perſeverantiam, prudentiam & temperantiam. XIII. Ligaturam Chriſti ad columnam. XIV. Ejus Crucem. XV. denique poteſtatem diſpenſandi ſacramenta. Unde conficitur non mediocri injuria affici ab Archidiaconis Parœcos, Stolam in eorum viſitationibus geſtare dum prohibentur. 371

Google

Errata ſic corrige.

PAg. 8 lin. 7 ex ea, leg. de ea. Pag 42. li. 9 pedarii, le. pedarii. Pag. 48. li. 22 dele ac. li. 27. Paggium. leg. Poggium. Pag. 58. li 31 inſtrumentis le. inſtruentis. Pag. 59. li. 2. part 1. le part 2. Pag. 60. li. 22. aliqui, le. aliquid. Pag. 67 li. 7. conſcriptum & exhibitum, le. conſcripto & exhibito Pag 71. li. 14 dele cauſa. Pag. 83 li 9 fieri, le. ferri. Pag 87 li 20. merentes, le. nubentes. Pag. 103 li. 30. vigilans, le. vigilano. Pag. 107. li 12. Metropolis. le Metropolitis. Pag. 110 lig 27. quorum (intereſt, le. quorum intereſt (intereſt. Pag. 117. lin 15. audeteut, le. auditeut. Pag. 121. li 9. mandatotium, le. mandatotum. Pag. 124. li 20 Pooteſa, le. Poote Satum. Pag. 129 li 12 imperitè, le imptiuè. Pag. 139. li 30. que le. que die. Pag 140. li. 28. in, le. in Concilio. Pag. 165. li 2 & 3. conſentandem, le. conſentaneum Pag. 166. li. 2. dele collata. Pag. 176 li. 15. humi, le. humo. Pag. 189 lin 13. & 14 Pontificii, le Pontifici Pag. 197. li. 3 poſt principales, adde appellatos. Pag. 216 li 27 poſſint, le. non poſſint. Pag. 219 li. 1. Pontifice, l. Pontifici. Pag 233 li. 2 Seqrebantur, le. ſequebatur. Pag 24. li. 26 tranſpoſiti, le. præpoſiti Pag 241. li 21. Venetiis, le Romæ. Pag. 265 li 4 Eccleſiæ, le Rectoris Eccleſiæ Pag. 261 li. 18. Trienſi, le. Treceuſi. Pag. 269. li 3. Chenetus, le. Chenutus. Pag 286 li. 15. ἐξοχὴν, le. ἐξοχὴν. Pag 291. li. 30. 1581 le. 1585 Pag. 307. li. 8 ex, le. de. Pag. 358. li. 6. &, le. at. Pag. 363. li. 30. & 31. occurſandis, le. occurſandi.

Ait. 1 316921

Digitized by Google

7552

Digitized by Google